

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
C
28
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

BALDASSARIS TIMÆI
Von Guldenklee
SERENISSIMI ELECTORIS
BRANDENBURGICI
ARCHIATRI

CASUS MEDICINALES

PRAXI
TRIGINTA SEX ANNORUM
OBSERVATI.
ACCESSERE ET
MEDICAMENTORUM
SINGULARIUM
QUÆ IN CASIBUS PROPONUNTUR
DESCRIPTIONES.






LIPSIÆ,
Impensis CHRISTIANI KIRCHNERI.
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.
ANNO M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



TOTIUS UNIVERSI
ET IN HOC
MEDICINARUM
CREATORI MA-
GNO
MORBORUMQVE OMNIUM
AVERRUNCO
TER OPTIMO: TER MAXIMO:
JEHOVÆ ELO-
HIM
DEO BENEDICTO IN SECULA
SACRUM.



ANCTE DEUS qvi creasti de terrâ Medicinam & scientiam ejus dedisti Hominibus, honorari *Eccl. cap. 38.*

 in

Digitized by Google

in mirabilibus tuis; Ecce talentum ſervo tuo concreditum: Nefas erat illud in terram defodere, qvin potius operari in hoc & ad uſus promere. Qvid ſuperlucratus ſim, ex cenſu, qvem ſanctisſimo Nomini Tuo offero, vides; Documento ſunt, qvas produco accepti & expenſi tabulæ, morbi ſcilicet non meâ, ſed Tuâ, benignisſime PATER, virtute curati.

Matth. c. 25.

Miniſter fui, Tu DOMINUS: Organon ego, Tu OPIFEX: plantavi, rigavi; Tu incrementum dediſti: Qvotqvot enim ſanati ſunt, Tua ope ſanati ſunt: Nihil


hîc

Digitized by Google

hîc PANACÆA, nihil DICTAMNUS, niſi Tuâ interveniente gratiâ profuit.

Tu namqve Deus, nobis Deus es ad ſalutem & Tui ſunt JEHOVAH DOMINE egreſſus ex morte: Ego verò minor ſum DOMINE, cunctis miſerationib9 Tuis, nec habeo qvod retribuam præter laudis & gloriæ ſacrificium; Qvanqvam & hoc ſanctisſimæ Majeſtati Tuæ luculentius adolere mea non ſufficit infirmitas, ſufficiat tamen gratæ mentis libamentum, ab ingenio qvidem meo, at Tua gratiâ profectum. *Pſalm. 68.*

Hoc accipe, hoc PATER indulgentisſime benignus reſpice, ſplendoremqve vultûs Tui, ſuper famulum æterno humiliqve cultu Tibi devotum, ut hactenus ita & porrò clementer irradia!



BAL-

Digitized by Google

BALDASSARIS TIMÆI
Von Guldenklee

CASUUM MEDICINALIUM

LIBER PRIMUS DE AFFECTIBUS CAPITIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO GVILIELMO,

S. ROMANI IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI; MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM, NECNON IN SILESIA CROSNÆ ET CARNOVIÆ DUCI, BURGGRAVIO NORINBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADENSI, COMITI DE MARCA ET RAVENSBURG. DOMINO IN RAVENSTEIN, LAUENBURG, ET BüTOW, &c.
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO
SALUTEM & FELICITATEM
PERPETUAM
P.



Vod Capitis est, Capiti debetur, & hoc jure, Tibi, POTENTISSIME ELECTOR, qvi caput PATRIÆ es, hæc de capite tractatio:

Caput omnibus reliqvis membris celsius est; Sic Tua Celsissime PRIN-
CEPS

Digitized by Google

CEPS amplior eſt qvam omnium reliqvorum ordinum authoritas.

Caput admirandarum, planeq́; divinarum actionum decore, cæteris corporis partibus antecellit: Tu Virtutũ Heroicarũ ſplendore actionũq; ſeu pace ſeu bello componendarũ dexteritate vel SCIPIONES & POMPILIOS ſuperas.

Caput ſapientiæ & intellectus eſt domicilium: In Te SERENISSIME PRINCEPS rerum domi forisqve benè gerendarum conſummatisſima habitat prudentia.

Caput arx & Regia ſenſuũ motuumq; προαιρετικῶν artifex, magnas membrorum moles & integra corpora trahit:

Tu PRINCEPS Optume tot Ditionum terrarumq; DOMINUS, ſalutis publicæ, ſingulorumq; curã, plusqvã Atlantæo robore ſuſtines.

Ingens inter cætera, VIRTUTIS Tuæ documentum, novisſima in orientis Aqvilas, mox verſo cardine, in Leones Arctoos oſtendit expeditio, adeò dextrè fortiterqve confecta, ut eventum admirentur exteri, gratulentur indigenæ eo ipſò felices, qvod impendentem cervicibus cladem, potenti brachio Tuo, ſpe citius

evaserint, excussoqve servitutis jugo in majorum suorum libertatem, qvasi postliminio adsciti, tranqvillitate gaudeant multis invidendâ. DEUS JEHOVAH, qvi Te Dux Fortissime hactenus posuit velut civitatem munitam & sicut COLUMNAM ferream, murosq; aheneos toti huic terræ porro Te servet, omniqve felicitate florentem orbis Christiani bono tùm nostro etiam diutissimè superstitem præstet! D. COLBERGÆ Idibus Septembris Anni M. DC. LXII.

Jerem. 1. v. 18.

Sereniss. Celsitudinis Tuæ

subjectissimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Guldenklee,

LE-

LECTORI
BONO ET CANDIDO.
S.

NOndum mortalibus inter morborum undique erumpentium clades versantibus, afflictæ valetudinis innotuerant præsidia, nondum

Phyllirides Chiron, Amithaoniusq; Melampus

medicinam fecerant, cum lege caveretur, ut si qvis ex gravi morbo convalesceret, remedium, cujus usum salutarem senserat, tabulæ inscriptum in templo AEsculapii publicitus suspenderet, ritu sanè perqvàm laudabili & ex qvo primam Medicinæ sumsiſſe creditur originem. Etenim ubi longo annorum decursu plures ree mediorum experimentorumq; congestæ essent tabulæ Hippocrates tandem, Vir sublimis ingenii & verè divinus qvicqvid observatum & rationi congruum visum fuit in compendium redegit & primus.

— — extudit artem,

Exemplo monstrante viam.

Utinam verò laudatissimæ consvetudinis observantior fuisset posteritas, utiq; ingens adversus qvosvis morborum impetus probatissimorum remediorum hodiè exstaret συμφόρημα: Nunc etsi magna in Practicorum libris medicinarum sit farrago, pauca tamen famam sustinent & difficile est ex tot paleis seligere grana; Promissiones namq; medicamentorum, ut notat Galenus 4. de Compos. medicam. S. loco s. cap. 4. plerumq; sunt magnificæ, effectus verò aliqvando nulli, aliqvando valde exigui.

Ego cum praxin medicam, successu, qvod præfiscini dixerim, non infelici, aliqvandiu exercuissem, & multa qvæ ægris profuerant, à me repeterentur, oblivioni jam tradita, dolore cœpi de neglectâ eorundem annotatione: Memoriam enim omnium tenere divinitatis potius esse qvàm humanitatis jam olim agnovit antiqvitas, nec eadem semper in inveniendis & componendis medicamentis animo obvenit cogitatio.

Ex eo, commodum videbatur, qvæcunq; præscriberem in Diaria referre & exstant horum apud me triginta sex volumina, primo namq; praxeos triennio, labor iste, ut dictum neglectus est.

Ex his qvoties aliqvid fuit otii, fuit autem ob praxin satis diffusam, freqventioresq; modò in aulas, modo in castra excursus, rarum & breve, sæpe etiam Consulentium importunitate interpolatum, præcipua & qvæ maximè ex usu fuerant, excerpsi & additis commentariolis, in hanc qvam vides, Benevole Lector, formam redegi, eo potissimum fine, ut qvasi in speculo & sub uno intuitu haberem, qvæ longo annorum decursu in praxi utilia & probata observaveram, tùm ut viã artis medicæ Tyronibus qvasi degrumarem, qvo ad methodicam morborum curationem pervenirent expeditius, id qvod meo qvidem judicio, compendiosius fieri haud potest, qvàm si primo morbi idea & essentia cum propriâ sede atq; causis exactè cognoscatur & intelligatur; Hinc scopi curativi, artificiosè eruantur, futuri eventus cum suo tempore & modo cautè prædicantur, materia medica ingeniosè inveniantur & inventæ rectè applicentur; qvæ omnia in toto hoc opere per casuum ducentorum sexaginta & amplius resolutionem, qvantum potui, proposui, an æqvè feliciter & ubiq; assequutus sim, ipse hæreo: Magna enim humanæ mentis est caligo & nemo nostrum ἅπαντα σοφός. Confido tamen aliqva in his fore, Hygicæ initiatis pro futura, forsan & veteranis, si absit livor, non ingrata.


Adhibenda qvidem labori accuratior erat lima, nonumq; monente Lyrico, premendus in annum; Verum

—— —— vitæ summa brevis
Spes nos vetat inchoare longas.

Obstitère & alia tam publico qvam privato nomine indies & in horas domi forisq; expedienda, qvo minus perpoliri potuerit hic fœtus. Tu Amice LECTOR, vel rudem excipe, vel comptiorem ab aliis exspecta, Equidem

NEC TARDUM OPPERIOR, NEC PRAECEDENTIBUS OBSTO.

PRÆCELLENTIUM
qvorundam
VIRORUM AMICORUMQ;
ELOGIA.



VIRO

ſupra laudem poſito

BALDASSARI TIMÆO

Von Guldenklee

Domino in Neugarten & Rüze-novv, &c.

Medico Electorali, &c.

Amico veteri & primæ notæ Salutem.



AUdio, collegiſſe Te per otium, qvamvis rarum id Tibi ſit & interruptum, Caſus qvosdam Medicinales, praxi XXXVI. annorum obſervatos. Scribendi hoc genus placet: ut proſeqvaris communia ſunt vota. Laudamus in Te omnes Stylum elegantem, admiramur eruditionem, amamus varietatem, judicium ſuſpicimus. καλὸν ἔστι τὸ τῆς ὀπώρας καὶ τὸ τῆς ὥρας ὄντως πρόσωπον, ἔν τε καρποῖσι καὶ ἄνθεσι θεωρούμενον. *Pulchra eſt autumno*

tumno & vere florum & fructuum quæ spectatur facies. Pulchri etiam sunt variarum tuarum observationum FLORES & delectant oculos intuentium, non solùm in anni infantia & adolescentiâ sed fructus etiam ferent amœnos & gratiarum, feraces, juvenescente eodem, nivosaqve canitie venerabili.

FRUCTUS nectareo suo succo fessos recreant artus, & fragrantissimo halitu languentes reficiunt spiritus; Observationes Tuæ etiam multâ dubitationum jactatos medicos, reficient, procellâ; ut firmo in gravibus casibus sciant niti pede: Imbibent rerum gravissimarum avidi, cum gaudio suavissimum doctrinæ & multæ experientiæ tuæ liqvorem, per amplissimum canalem ingenii Tui in omnes mundi plagas deductum, aptum adæqvare Apollinis agros, hoc nostro ævo satis avido. Tam divitis ingenii vena perenniter scaturiat, mortalibus profutura, fœcundusqve hic cespes, immortalitatis æmulus, novis indies frugibus ingravescat. Ita rempublicam medicam magno beneficio devincies. Vale Dabantur in Athenæo Ducali ad Salam. Ao. M. DC. LXII. XVI. Calend. Augusti.

GVERNERUS ROLFINCIUS,
Ph. Med. D. & Professor. Medicus Ducalis Saxo-Vinariensis, Facultatis suæ Senior & Decanus.

VIRO

VIRO
Nobilissimo & Excellentissimo
DN. BALDASSARI TIMÆO
von Guldenklee.
Domino in Neugarten & Rüzenovv &c.
Serenissimi Electoris Brandenburg.
Archiatro.
S.

HUmanum corpus mundi Sator atqve Creator
Principio vinxit verbo, virtute stupenda
Infundens illi vires, animamqve decoram,
Sensiferos motus & labra reciproca cordis.
Humanum corpus summi PATRIS unica proles
Associare sibi, fragilisqve ligamina massæ
Induere haud renuit, magna Virtute refingens
Qvo Summo adjunctum diviná luce coruscet.
Humanum corpus cælestis tertia FLAMMA
Numinis irradiat sacrati lumine venti
Cimmerias pellens animi mentisqve tenebras
Et sancto inflammans cupientem amore JEHOVA.
Corporis humani morbos, Præclare TIMÆE
Sanasti felix, Medico comitante Supremo;
Corpora multa senis cymbæ tradenda Charontis
Servasti, vires reddens & Nestoris annos.
Ast ne qvæ felix semper tua dextra medendi
Post mortem intereat, multis medicata, senescens
Promtus ab ingenio tot docta volumina condis,
E qvibus exhaurire qveat Podaliria magna
Flumina Naturæ & plantarum noscere dotes
Omnis qvi properat conscendere templa GALENI.
Gratulor idcirco sincero corde labori
Haud sanè exiguo, qvo non nisi publica gentis
Commoda qvæsisti humanæ, nec ab æthere missa
In tenebris concessisti latitare talenta.

Sum-

Summus JOVA velit, qvi munere mun era mentis
Compensare solet largo, ne copia cornu
Promanans unqvam desit! nec acerba malignæ
Filia fortunæ turbet tua tecta, precamur.
O fæcunda bonis Medicorum Palma sophorum,
Pestes lethiferas firmata compede nectas,
Æterno claudasqve illas in carceris antro:
Sic cælo residens tandem gestabis in ævum
Nunqvam marcentes Amaranthi flore Coronas.

Amicorum suorum integerrimo fida manu gratulabar
CHRISTIANUS GROSS, SS. Theol. D. Pomeraniæ Electoralis Superintendens Generalis

---

EUROPÆ potiora Virum qvem Lumina claris
Admirata oculis dudum cecinere profundâ
Ac excellenti qvavis VIRTUTE coruscum
TIMÆUM nostræ fidus POMERANIDOS, illum
Insignis morier veluti sua Musa vetabit:
Sic præsens Liber hic certo testabitur olim
Vir qvalis, qvantus fuerit. Nam præter acumen
Ingenii & dotes, qvas nostra Hygiêa reqvirit
In Medico celebri, satis haud erat esse peritum,
Seqve ipsum superasse suâ solidâ arte; mereri
Nobilitatis Adoream opus fuit insuper, altâ
CÆSARIS ex aulâ, ac Septem de sede Trionis
Antea & Archiatrum ELECTORIS PRINCIPIS esse,
Usqve adeò faustum, ut Tibi cum GERMANIA, acuti
Subtiles, celeresqve ITALI, GALLI atqve BATAVI, &
Nescio qvæ gens non, fermè invidisse putentur.
Macte igitur virtute tuâ, mi Compater, ito
In varias mundi partes! DEUS addat Agenti

Plusqvod agas laudabiliter! sic non sine lucro
Semper honos, Nomenqve tuum, laudesqve manebunt.

Testando amori & observantiæ gratulabundus scribebam
JOHANNES KLUGIUS, D.
Serenissimi & Potentissimi Regis Polonorum Medicus.

Sint procul hinc Juvenes doctrinâ præcocis, artes
Qvi prius ingenuas, qvam didicêre docent.
Sint procul hinc Medicas properantes scribere praxes,
Et qvem vix norunt, porrigere Helleborum.
Annis, judicio, plenusq; potensq; TIMAEUS
Conveniat Medico, qvando docere, docet.
Nam postqvam varias plus septem lustra per oras
Servasset studio consilioq; Viros.
In lucem profert, qvos experientia morbos
Obtulit, ut diæ pelleret artis, ope.
Nil vulgare vides, LECTOR, tritumve vagumve
Qvod certum & rarum est pagina docta notat.
Inter cordatos igitur sit prima TIMÆO
Gloria, sic omen, Nomen HONORIS erit.

Collegæ & Amico suavissimo
In thermis Aqvensibus L.MQ.I. αὐτοσχεδίως
MARTINUS WEISIUS, D.
Sereniss. Electoris Brandenb. Consiliarius & Archiater.

NOminibus belli generosus Miles, ab omni
Felix laude neqvit digna contendere famâ
In tractus orbis diversos, prælia forti
Ni dextrâ intrepidus, sæpe instauraverit, hostes

In

In medios penetrans, usus victricibus armis:
Nescit Nauclerus clavi moderamina, nescit
Devitare maris scopulos, nec tangere portum,
Ni qvando ventis magno reboantibus æstu
Vastum emensus iter, ventos perpessus & imbres
Sæpè ratem arcuerit Scyllæ pelagiqve periclis.
Sic licet evolvas divina volumina Coi
Pergameiqve senis, qvicqvid monumenta recludunt
Magni Arabis, dubii nexus docto ore seqvester;
Ni varios animis oculisqve seqvacibus acris
Perlustres morbi casus, memoriqve recondas
Mente, qveas parili ut morbis ratione mederi
Solers, ancipiti figes vestigia plantâ.
Isthâc laude micat solidâ & Virtute triumphat
Artis Apollineæ Phœnix, prænobile sidus
Ceu Phœbe stellis præfulget turgida Phœbi
Lumine, TIMÆUS multos præcedit in arte
Per denos septemqve annos deducere morbos
Non sine laude sui, veluti de stirpe recisos
Ægris conatus, magnà Virtute medendi.
Formavit toties rerum experientia prudens
Consilium, qvod communes jam venit in usus.
Natus in auxilium, mundo Natisqve ministrat,
Phœbæis Autor; condignum ut Phœbus uterqve
Extendat Nomen, contendat sidera, cœlum
Flamma velut svevit clarè exspatiata per auras.

Nobilissimo Dn. TIMAEO de Guldenklee, Domino, Fautori, Collegæ & Amico observandissimo observationes medicas edenti, gratulari his volui

FRIDERICUS MOLLERUS, D.
Sereniss. Electoris Brandenb. Archiater in castri Gustrinensi.

Octo jam lustris divinâ Hippocratis arte
Et Regum atque Ducum repulisti corpore morbos
Et mors pulsa Tibi cessit quoque paupere tecto
Sustentante Deo felicem Præstite dextram.
Testis fama Tibi est, Frater dulcissime, magnos
Inter & Heroas: Quoties non obstitit atrox
Nec Medicis parcens rupto jam stamine Parca,
Diffugêre tuo fracti medicamine morbi.
Hæc dum sacra volens orbi benè præstita longo
Tempore, divulganda paras atque ordine pulchrò
Promis, quæ subito dictata calore medela est.
Non Tibi, sed toti genitum Te credere mundo
Te satis ostendis, vivesq; hac perpete laude,
Non tantum gelidis arctoæ Balthidos oris
Sed toto penitus semperq; illustris in orbe
Dum medicæ artis honos, nomen laudesque manebunt.
Vive valeq; diu miserisq; salutifer ægris
Perge favere; Nihil Te climactericus instans
Ille ingens moveat; Facilè superabis iniquos
Dante DEO, numeros, numerosas pellere mortes
Qui dedit, hic vitæ multos dabit insuper annos.

Ex voto
Germani & unici Fratris tui
CHRISTIANI TIMÆI von Guldenklee.
Consulis & Poliatri Trepto-
viensis.

TIMÆE civitatis excelsum decus
Qvam *voce & arte* consulari dirigis:
TIMÆE sospitator ægrotantium
Qvos *fronte* lætus & *manu* fausta erigis:
TIMÆE princeps Eruditis gloria

Qvâ

vi *dignus* & cui nemo palmam præripit:
Res-publicæ qvando virescent & salus
;liciori semita indagabitur
vam cum rudes velluntur imis *pectorum*
adicibus mores, & ægrûm *corpora*
c eriguntur & maligni *spiritus*
um *sangvine* exstingvuntur atro fortiter!
Ergo beata terra stabit Patria
ec *passionibus* prementur lividis
[ec *pestibus* succumbet atqve *inscitiâ*,
sis superstes & diu præfulgeas
uic *consulendi* dextera prudentia
ura *medendi* & nobili *scientiâ*
el, si jubente Fato ad astra transeas,
rbem regat Natus pari prudentiâ
ura medendi & nobili scientiâ.

F. Colberga
VALERIUS JASCHIUS,
SS. Theol. Doctorandus.

BALDASSAR TIMÆUS
DOCTOR MEDICUS,
HÆREDITARIUS IN NEUGARTEN

per anagramma

— — TOTUS LUMEN AB ARTE VIDERIS
DIGNA TER ES CEDRO MUSA, DIANA, CHARIS.

TOTUS es, ae medica divinus ab arte Machaon
Lumen & in Patria Solis imago meâ.
MUSA DIANA CHARIS, sua qvum Tibi Numina do-
Digna ter es cedro MUSA, DIANA, CHARIS. *(nant*

BALDASSAR TIMÆUS.
SALMASIUS ARDEBAT.
CLAUDIUS SALMASIUS.
MUSA DULCIS, SAL VISA.

Ardebat dulces ad Belgidos aqvora Musas
Cujus Musa merus sal mihi visa fuit.
Ardes Mæcenas, Salmasius alter easdem,
Et Tua, Sal dulcis, Palladi Musa sapit
Delicium cæli SALMASIUS atqve TIMAEUS
AEtheris æternos ardet uterq; sales.
Delicium Pindi, Clarius cum Pallade Phœbus
Perpetuos Fama spondet utriq; sales.

BALDASSAR TIMÆUS D.

παραγραμματιζόμενος.

ALTER NOBIS MACHAON.

CURIATE PARTEM, MEDICUM desiderat ÆGER
PIERIS Aonio languet amore Tui..
CURIA Consiliis, meletemate PIERIS, ÆGER
Corpore sanato, TE MEDICANTE, valet.
Alter es his igitur tribus, ô TIMÆE MACHAON
Sis triplici & NOBIS dignus HONORE tribus,

Ad Nobilissimi Nominis Paragramma
F.
HöNN, SCHUZIUS.

IN:

INDEX CASUUM LIBRI PRIMI.

ASUS. *PAGINA.*

XXIX.

Digitized by Google



CASUUM

Digitized by Google

CASUUM MEDICINALIUM LIBER PRIMUS DE AFFECTIBUS CAPITIS.

CASUS I.
Cephalalgia Biliosa.

Torquatus de Comitibus Dux Guadagnuoli Exercitus Imperatorii Campimarschallus Generalis, constitutionis calidæ & [sicc]æ, ætatis consistentis, varius [cor]poris exercitiis deditus, ci[bis]q; dulcibus, aromaticis & vino [ge]neroso gaudens, mense Junio [an]ni M. DC. XXX. de dolore ca[pit]is mordaci & pungente, absq; [no]tabili gravitatis sensu queretur. Facies & oculi ad flave[dine]m quandam sive colorem ci[tri]num tendebant, somnus erat [bre]vior & interruptus, lingua sic[ca] & amaritudine infecta, pulsus [fre]quens & velox. Urina inter[du]m tenuis & aquea, mox iterum [infe]cta & citrina.

RESOLUTIO.

Ab humore bilioso capitis dolorem excitari, ipse sensus mordacitatis, punctionum & caloris arguis, concurrentibus & reliquis signis modò enumeratis. Generari autem facilè in corpore calido & sicco potuit bilis, à vini potentioris usu, cibis dulcibus, aromaticis, & nimia corporis, æstuante imprimis cælo, exercitatione.

Abest gravitas, ob tenuitatem bilis, quæ poros subit, nec inflat, nec eâ mole premit, quâ tendat.

Facies & oculi colore citrino videntur *infecti* à bile flava, cum sanguine ad hasce partes delatâ.

Somnus brevior est & interruptus à vaporibus calidis & acribus, quatenus membranas cerebri vellicando, Spiritus turbant: partim à dolore sensum communem afficiente, quo commoto, reliqui omnes commoventur.

Lingua sicca est & amaritudine in-

fecta, ab humore bilioſo ſuâ naturâ calido & amaro, per ſubſtantiam ejus vel membranam, quæ ipſam inveſtit, diffuſo.

Pulſus frequens & velox, propter bilis in reliquo corpore abundantiam.

Urina modò tenuis & aquea, bile ſurſum & ad caput tendente: *modo tincta & citrina*, dum eadem cum humoribus in venis permiſcetur & cum urina excernitur.

Præmiſſo affectus non adeò difficilis nec pernitioſi, prognoſtico, viarum communium repurgationi Enema ex refrigerantibus & emollientibus deſtinavi: Hinc mediana dextri brachii, urgente imprimis ægro, phlebotomiâ, more gentis ſuæ asſveto, aperta eſt; parcius tamen quod non abundaret, emiſſus ſangvis.

Bilem ipſam feliciter ejecimus infuſo Rhabarbari ex aq. cichor. & Endiviæ, addito Syrupo violarum ſolutivo & magiſterio Agarici. Commodè namque in mentem venit, quod Galenus lib. 1. κατ' τοπ' cap. 2. monet: In omni capitis morbo, à quocunque humore fiat, admiſcenda eſſe Phlegmagoga.

Fervorem & evaporationes humoris bilioſi, mitigavimus tali Julabio:

R. Aq. cichor. ℔ſſ. Endiv. acetos. ana ℥iiij. Syrup. granator. acidor. berber. violar. ana ℥ij.
Spir. ⊖li q. s. ad grat. aciditat.

Somnum conciliavimus Emulſione papaveris, quæ & dolorem ſiſtit:

R. Sem. papav. alb. ʒiij.
† frig. major. excort. ana ʒj
Aq. nymphex, violar. ſomnif. noſtræ ana ℥j
M. F. Emulſio, add.
Magiſter. Margarit. ℈j.
Spir. roſar. gr. vij. M.

Hoc fine & lotiones pedum ex foliis lactucæ, Nymphex, violarum, capitibus papaveris &c. adhibitæ.

Ad dolorem demulcendum ex topicis, evacuato prius humore bilioſo, fronti & temporibus Epithema applicui:

R. Aq. roſar. ℥iij. verben. ℥iſſ.
Succ. roſar. rubr. ℥j. Aceti roſacei ℥ſſ. M.

In declinatione Ungventum Alabaſtrinum optimè profuit. Diætam præſcribſi refrigerantem & humectantem, ptiſanam hordeaceam cum paſſulis, ceraſa acida cocta, carnes vitulinas, pullorum &c. cum acetosâ, lactucâ, citro &c. Ex piſcibus percas, melanuros, fundulos, lucios &c. dulcibus & vino prorſus interdixi, & cum à cereviſiâ per naturam abhorreret, loco potus ordinarii decoctum hordei & vinum paſſulatum commendavi.

CASUS II.

Cephalalgia pituitosa.

REGINA **Polleien** / *Uxor Viri Nobilissimi Domini COMI à SIMMERN, Aulici Ca-rei, ætate sexagenaria, temperamenti humidi & frigidi, tempore hyberno capitis dolorem con-traxerat, cum sensu gravitatis tensione.*

Aderat & mentis quidam stu-r, omniumq; sensuum tarditas perpetua in somnium propen-, oculi intumescebant, per os, latum & nares multum salivæ pituitæ subinde excernebatur: ina cruda, crassa & albicans: lsus parvus, tardus, mollis & rus.

A tertiâ horâ noctis usq; ad no-m invalescebat dolor.

RESOLUTIO.

Pituitosum humorem mole suâ out gravare & quasi tendere ab-dantia ejus indicat; In consti-ione enim corporis frigidâ & nidâ, qualem ægra obtinet, fieri n potuit, quin multum pituitæ nularetur, præsertim in ætate ili & facultate naturali jam exi-nte debili, accedente & victus ione minus convenienti, crebro icet lacticiniorum, piscium, a-rumque ciborum viscidorum , somno nimio, otio & nunc quidem etiam aeris frigidi inclementiâ.

Adest *mentis stupor, omniumq; sensuum inertia & in somnum propensio*, à nimia cerebri humiditate & sopitis quasi ab humore frigido spiritibus animalibus.

Oculi vel potius palpebræ intumescunt à pituitosis crassisque humoribus, musculis earundem se insinuantibus.

Pituita per os, palatum & nares effluit quatenus per communia capitis emunctoria à facultate cerebri expultrice tanquam onus noxium & molestum protruditur.

Urina crassa, cruda & albicans redditur, ab abundante in toto corpore pituita.

Pulsus parvus, mollis & tardus est, ob debilitatam facultatem vitalem, quæ arteriam sufficienter & promptè dilatare non potest.

Ab hora tertia noctis usq; ad nonam ingravescit dolor, quod pituita hoc tempore maximè dominetur.

Curationem, quanquam decrepitâ hac ætate & hyberno tempore, difficilem, orsus sum à primarum viarum repurgatione, ordinato Clystere, qui simul materiam à partibus superioribus & maximè à cerebro revelleret & versus inferiora alliceret:

℞. Herb. meliss. beton. rutæ,
Hyssop. salv. rorismar.
ana mβ.

Flor. chamæmel. malv. c. toto
ana mj.
Centaur. minor. p. 1.
Rad. altheæ ℥vj lil. albor. ℨiij.
Sem. carui, fænicul. ana ℨij.
Coq. ex. ſ. q. aq. ſimpl. Rec. Colatur.
℥x. Electuar. diaphœnic. hier.
ſimpl. ana ℥ß. ol. cham. Rutæ ana
℥j. ſal gemm. ℨj. M. F. clyſter.

Hinc pro materiæ craſſæ & viſcidæ attenuatione, inciſione & abſterſione præſcripſi Mixturam horis matutinis & veſpertinis trium unciarum pondere ſumendam:

R. Aquæ fænicul. hyſſop.
ana ℥iiij.
betonic. ſalv. ana ℥ij.
Syr. de hyſſopo ℥ij.
Syrup. de ſtæchad. ſimplici
betonica ana ℥j.
Oxymel. ſquillitic. ℥jß.
Eſſent. rorismarini. ℨij. M.

Pituitam hoc modo præparatam evacuavi decocto meo laxativo:

R. Decoct. laxativ. ℥ijß.
Agaric. trochiſcat. ℈j.
Aq. cinam. ℨij. M. F. potiuncula.

Verum cum humoris pituitoſi major eſſet copia, quàm ut uno actu exterminari poſſet, ad ulteriorem præparationem commodiſſimum inter alia viſum eſt ligni Gvajaci decoctum, utpote, quod non tantum humores crudos coquit, craſſos & viſcidos attenuat & incidit, ſed & caput ac corpus frigidum & humidum egregie ſiccat & calefacit.

Continuato per novennium decocti hujus uſu, denuo clyſterem, poſteà pilulas præſcribſi:

R. Extract. noſtri ſolutiv. ℈j.
agaric. ℈ß.
Reſin. Gialapp. gr. iij.
Ol. ſtill. nuc. moſchat. gr. ij.
M. c. aq. cinam. F. pilul. no IX.
deaurentur fortiter.

His adhibitis remiſit dolor, nec ullum humoris pituitoſi, aliàs per nares & palatum copiosè effluentis, relictum veſtigium, quare à purgantibus abſtinendum duxi, præſcribtis quæ caput, cerebrum & ventriculum roborarent, inter quæ eſſentiam rorismarini & deſtillatum meum ex ligno ſaſſafras & cinamomo utiliſſimum depræhendi. Ne quid tamen humoris pituitoſi denuò cumularetur, pilulas de ſuccino Cratonis, ſingulis hebdomadum periodis ſumendas, commendavi, ordinato ſimul & convenienti victus regimine.

CASUS III.
Cephalæa Scorbutica, Cum abſceſſu juxta aurem ſiniſtram lethalis.

Honeſtiſſima Fæmina, URSULA KUNDENREICHIA, Dni: MELCHIORIS Wayen/ *Civis & Mer-*

rcatoris Colbergensis, p. m. dua, constitutionis quidem ida & sicca, multis tamen de- xionibus obnoxia, anno ætas septuagesimo tertio, sub ini- m autumni in vehementissi- im Capitis dolorem incidit, n vigiliis contumacissimis, dif- li respiratione & cordis angu- ac palpitatione. Facies pal- a erat vel potius livida: Pul- parvus, debilis & inæqualis; inæ varia, interdum alba & ssa, interdum rubra, turbida, sedimento farinæ laterum abſimili: Supervenit tumor t aurem sinistram, qui cum uti non posset, convenienti- remediis emollitus & aper- est. Profluxit materia tenu- serosa, ex flavo nigricans, lus ichor ab atrâ bile esse so- sed nullo cum levamine; Sa- ntibus namq; in miseram abs- ulla remissione doloribus a- issimis tandem è vitâ deces-

RESOLUTIO.

Quanquam constitutio corpo- alida & sicca, fluxionibus per arum sit obnoxia, mutato ta- per ætatem nativo tempera- to, immunitatem sibi polliceri potest, quatenus ad contrarias qualitates vergit unà cum senio, id quod afflictissima hæc Fœmina abundè experta est. Ab anno enim ætatis circiter quinquagesimo, frequentissimis & dolorificis fluxionibus, modò ad dentes & oculos, modò ad fauces & pectus, sæpè ad scapulas, dorsum, lumbos & coxas decumbentibus, vexata est, donec novissimè, congestâ circa sensiles cerebri membranas, ichorosâ quadam & acri, scorbuticæque malignitatis participe materiâ, in atrocissimos Capitis dolores, incideret.

Adsunt Vigiliæ, ob nimiam sensus communis à vehementi dolore irritationem, humorisque ichorosi & vaporum acredinem.

Respiratio difficilis est, propter impeditum liberum diaphragmatis motum, quatenus ab humoribus vitiosis, lienem & vicinas partes distendentibus, vel à vaporibus pravis & malignis comprimitur.

Ab iisdem vaporibus malignis & *cordis angustia & palpitatio excitatur:*

Facies pallida est, aut potius livida, ob sanguinem impurum & nigris ichorosisque humoribus inquinatum.

Pulsus parvus, debilis & inæqualis, ob facultatis vitalis debilitatem.

Urina alba & crassa, ob cruditates ex imbecillitate caloris nativi collectas, interdum *rubra, turbida cum sedi-*

sedimento farinæ laterum simili, ob humoris salsi, tartarei, & scorbutici commixtionem.

Alvus sicca & obstructa, propter humiditatem, quibus feces dilui debent, ad lienem & renes translatam.

Maculæ in cruribus efflorescunt ab humoribus ichorosis & serosis ad partes ignobiliores extra venas in cutem protrusis.

Supervenit tumor pone aurem, parte aliquâ humoris ichorosi à capite in glandulas decumbente.

Periculum minabatur doloris vehementia sine remissione affligens; vigiliæ item continuæ, aut si quando sponte, vel artis operâ remitterent, somnus turbulentus, brevis, interruptus & cum pavore, visis etiam sæpe per quietem tristibus. Augebat metũ ætas senilis & decrepita, virium langvor, & caloris nativi debilitas, accedente & malignitate scorbuticâ, viscerumque atoniâ.

Curationem nihilominus urgente ægrâ & Amicis aggressus sum, applicato primum revulsionis & evacuationis gratiâ Enemate:

R. Herb. malv. c. toto mj
beton. meliss.
Centaur. min. fumar.
ana mß.
Flor. chamæm. mj. stæch. arab.
p. I.
Fol. sen. elect. ℥ß.
Rad. polypod. quern. altheæ
ana ℥ß.
Sem. carui, anethi ana ʒij.
Incis. & conquass. coq. ex. s. q. aq. simpl. Rec. Colatur. ℥x. Elect.
diacathol. Cass. pro clyst.
ana ℥ß. Ol. anethi ℥j.
rutac. ℥ß. salis gemm. ʒj.

Pro humorum vitiosorum præparatione præscribsi syrupum meum aperitivum, additis Cephalicis & antiscorbuticis.

R. Syrup. nostri aperitiv. ℥iiij.
ex succ. antiscorb. ℥ij.
de fumar. betonic.
stæchad. simpl. ana ℥j
Aq. Beton. meliss. fumar.
fœnicul. ana ℥iij
Essent. rorismarin. ʒiij.

M. F. potio, de quâ singulis matutinis sumendæ tres unciæ; sub vesperam interdum aquam meam Cephalicam, interdum spleneticam, & antiscorbuticam exhibui. Præparata convenienter materiâ, purgantem potiunculam propinavi:

R. Decoct. nostri laxativ. ℥ij.
Extract. fol. sen. ℈j.
Pulv. Gialap. gr. v. M.

Præmissis Universalibus evacuationibus & particulares per enhina & gargarismos convenientes institutæ; Utq; materia quodammodo

ɔdo etiam per ſenſibus incom-
rtam tranſpirationem diſcutere-
t, adhibitæ capitis inunctiones, &
nbrochœ.

Interea & cerebri ac cordis ro-
rationi proſpectum, exhibitâ per
ces Eſſentiâ Ambræ, rorismari-
, citri, Tincturâ Coralliorum,
nfectione Alkermes, ſpiritu Ce-
alico Auguſtanorum & ſimilibus,
o vehiculo placuit talis aquarum
xtura;

Aq. noſtr. Cephalic. ℥iij.
Cordial. carbuncul.
Cinam. c. flor. borrag.
deſtill. ana ℥j
Ceraſor. nigr. ℥iſs.
Rotul. man. chriſt. perlat. ʒiſs.
Spir. flor. tiliæ, lil. convall.
roſar. ana gt. vij M.

Alvus per ſe ſicca & obſtructa
quenti enematum applicatione
ricitata, nonnunquam etiam
poſitorio irritata eſt.

Vigilias inter initia unguento
nnifero, Emulſione papaveris
i, & aquâ noſtra hypnotica pro-
avimus, poſtmodum nihil am-
is hiſce proficientibus ad lau-
ii opiati exhibitionem confugi-
s, cujus beneficio ubi ſemel atq;
um, ſed dilucidis intervallis,
iciliata eſſet quies, etiam effi-
iſſimi medicaminis vim dein-
s eluſit pervigilii contumacia.

Ex topicis ad atrocisſimum Capitis dolorem mitigandum, varia, eaque exquiſitè comparata remedia adhibita, ſed fruſtra omnia: Magna quidem ſpes in abſceſſus apertione videbatur poſita, ſed & hæc nos fefellit, cum profluente indies ſat largiter ichorosâ quadam & fœtidiſſimâ acrique & mordaci materia, nihilominus perſeveraret dolor, nec quicquam de ſævitiâ ſuâ remitteret, unde factum, ut disſipatis, in corpore aliàs debili, ſpiritibus & abſumpto nativo humido, moreretur ægra, cujus animæ benè ſit in Domino! id quod ex animo precor, non tam hæreditatis, cujus portio & mihi cesſit, quàm pietatis, virtutumq; in hac fœmina ſingularium, amore.

CASUS IV.

Hemicrania.

M*ARGARETA BONDIN, Illuſtrisſimi Baronis Nicolai Kaggen, Gubernatoris Halmſtadenſis in Sveciâ Conjux, calidioris temperamenti & in flore ætatis conſtituta, per circuitus vehementi Capitis dolore afficiebatur in dextrâ potisſimum parte: durabant ſæpè immanisſimi cruciatus per integrum diem à cerebro ad oculi dextri radicem*

dicem pertingentes, tantâ cum sævitiâ, ut nec lucem tolerare, nec somnum capere posset, quin & levi tactu exasperabatur malum, ut nec manum ferret, nec pectinem.

RESOLUTIO.

Hemicrania sive dimidii capitis dolor, quem patitur ægra, à subditis partibus jecore imprimis calidiore, quatenus biliosorum vaporumq; acrium copiam sursum emittit, excitatur; Hinc & dextra capitis pars magis affligitur.

Dolor ad radicem oculi usque extenditur ob crassam tenuemq; meningem, à quibus oculi globus tunicas suas accipit, affectam.

A contactu exacerbatur, quatenus non tantum membranæ cerebri sed & pericranium afficitur.

Lucem non fert ægra ob dolorem nimium ad oculorum radices usque pertingentem.

Somnium mordax vaporum agmen, sensiles cerebri membranas subinde vellicans, impedit.

Curatio difficilis quidem videtur, cum radices jam egerit affectus, nec ullis hactenus auxiliis cesserit; Non tamen impossibilis, constantibus in floridâ hâc ætate, viribus: Maturanda tamen ne gravius malum, apoplexiam scilicet vel paralysin aut epilepsiam inducat.

Ad revellendum itaque & evacuandum humorem morbificum Enema præscripsi:

R. Herb. violar. Endiv. Mercurial. beton. malv. c. tot. ana m ß.
Hord. integr. ℥j. Rad. alth. ℥ß.
Sem. scariol. Endiv. ana ʒiij.
fœnicul. ʒij incis. coq.
ex s. q. aquæ simpl.

R. Colaturæ ℥x. pulp. cassiæ ℥j.
Elect. hier. simpl. ℥ß. ol. violar. chamæm. ana ℥j.
sal. gemmæ ʒj. M. F. Enema.

Hinc venæsectionem ex Cephalica brachii dextri institui.

Ad pleniorem vitiosorum humorum purgationem decoctum ex Cholagogis & phlegmagogis additis Epaticis & Cephalicis per vices exhibui.

Interdum ad sudores eliciendos aquam Cardui benedicti cum Essentia ligni Sassafras propinavi.

Ad contemperandum Epatis atrorumq; viscerum calorem, commendavi decoctum:

R. Rad. cichorii ℥j. acetos. fragor. ana ℥ß.
Fol. Endiv. scariolæ ana ℥ß.
Flor. rosar. cichor. violar. ana m ß.
Sem. melon. Endiv. ana ʒij.
Passular. minor. ℥iij.
Incis. & conquass. coq. ex s. q. aq. hordei.

R. Co-

R. Colatur. ℔iſs. ſyr. ex ſucc. cichor. Endiv. Card. bened. ana ℥ij
ſucc. citri ℥iſs. Mixta clarific. & filtrentur.

Magis tamen palato arridere viſa eſt roſarum rubrarum tinctura, conſerva radicum cichorii, acetoſæ, Endiviæ & ex his paratum Electuarium;

R. Conſerv. roſar. ⊕lat. ℥iij
rad. cichor. ℥iſs.
acetoſæ ℥j.
Condit. lactuc. hiſpanic. ʒvj.
flor. citr. ʒiij.
Syr. berber. q. ſ. M. F. Electuarium.

Ad particularem Capitis purgationem, Errhina & maſticatoria præſcribſi, ſæpè etiam horis matutinis ſternutationes movi, immiſſo in narem dextram vel in utramque folio betonicæ vel tabaci aut pulvere liliorum convallium cum ambra gryſca.

Doloris acerbitatem anodynis mitigavi, interdum ad conciliandum ſomnum ſoporifera admiſcui.

R. Ungvent. de alabaſtr. popul. Somnifer. noſtr. ana ʒij.
Opii gr. viij. Croc. ℈j.
Ol. ſtillat. aneth. gr. iij M.

Inter alia dolorem feliciter compeſcuit ſequens pulmentum fronti tepidè inductum;

R. Fol. verben. recent. mj.
contund. in mortario, poſtea add.
Ferment. acerr. ℥ij.
Ol. roſar. q. ſ. Miſce.

His per intervalla repetitis non minus ac venæſectione & purgantibus ſuprà deſcriptis, convaluit ægra.

Diætam toto curationis tempore præſcripſi temperatam, ex cibis evchymis & modicè refrigerantibus, juſculis pullorum, carnium &c. borragine, lactucâ vel acetosâ alteratis, ptiſanâ hordeaceâ, carnibus vitulinis, hædinis, ceraſis acidis coctis & ſimilibus: Eduliis piperatis, ſalſis & acribus ut & vino, niſi oligophoro & abundè diluto interdixi, proſcriptis ſimul vehementioribus animi affectibus, irâ imprimis, cujus more ſexus ſui admodum videbatur impatiens.

CASUS V.
Dolor capitis ab ebrietate.

Magiſter quidam Equitum cujus nomini honoris gratia parco, Homo intemperans, gurges atquè helluo, fruges conſumere natus, cum ſolenni bibulorum feſto, quod bacchanalia vulgus vocat, vino generoſo largius ſe invitaſſet, in capitis dolorem incidit, adeò vehementem ut Cyclopes in cere-

brum migrasse putaret, diesquè noctesquè insomnes duceret, non sine magnâ mentis anxietate & perturbatione.

RESOLUTIO.

Quamvis commiseratione digni non sint, nec artis præsidia mereantur Lurcones, quibus nihil prius, nihil dulcius,

Quam certare mero & cyathos versare capaces.

Ob symptomatum tamen, quæ Ebriis interdum accidunt, periculum, precibus eorum aliquid dandum est. Experientiâ namque constat alios delirio, alios vertigine & convulsionibus correptos, alios apoplexiâ subito extinctos esse, ut annotavit Aristoteles 3. sect. problem. Hippocrates 5. aphorism. Sect. 5. Schenckius observ. 149. Horstius lib. 2. observatione 12.

Sunt quidem non pauci etiam ex Medicorum ordine, qui ebrietatem sanitati conferre ac propterea semel in mense concedendam putant, quatenus somni profundioris ratione, virtutibus animalibus allevamentum inducatur, sudor proliciatur, atquè ea quæ superfluunt, resolvantur, sæpè etiam vomitus excitetur, humoresquè vitiosi rejiciantur, cum stomachus humorum corporis saburram nunquam promptius vel commodius, quam repletus, exonerare possit, unde præter Galenum & Avicennam veteres Medici inter salubria conservandæ sanitatis præcepta, quovis mense, alii semel, alii bis vomere, constituerint. Gal. lib. 4. de utilitat. part. Avicenn. 4. Fen. primi capitis: sic Mnesitheus, Atheniensis Medicus, in Epistola sua de Cothonismo scribit; Quodam dierum intervallo inebriari, videtur mihi corpus expurgare & animum recreare. Coacervantur enim in nobis ex quotidiana potatione quædam humorum acredines, quarum opportunissimus est per urinam exitus & purgatio per compotationem maximè competit: Abluitur enim vino corpus, quod est calidum & humidum & urina quæ de nobis colatur, acuta est &c.

Verùm sententia hæc, cum ab aliis, tum à doctissimo Horstio lib. 2. de tuendâ sanitate studiosorum c. 1. abundè refutata est, ubi tamen cum Avicenna levem modicamque vinolentiam in mense concedit, eo sensu, quo Seneca nonnunquam ad ebrietatem usque veniendum statuit, non ut mergat, sed ut curas deprimat: Hoc enim modo animus ab intensioribus negotiis quodammodo liberatus, in se ipso colligitur, calor nativus moderatâ vini salubris potione suscitatur & latentes cruditates resolvuntur &c. Sed ut ad Cothytum nostrum redeam, *affligitur ille capitis dolore*, quatenus

tenus à nimiâ vini potentioris ingurgitatione exhalantes fumi caput & cerebrum petunt, membranasque tendunt, mordent ac vellicant.

Urgent vigiliæ ob spirituum in cerebro à vaporum caliditate & acrimoniâ, perturbationem.

Adest mentis anxietas, suffocatis quasi & perturbatis effervescentium fuliginum impetu spiritibus, nisi quis forsan & hic τὸ θεῖον subesse dicat. Egò sanè plures novi, etiam inculpatæ aliàs vitæ, qui à crapulâ tantum animi senserunt angorem, quasi ingens aliquod & morte piandum perpetrassent facinus: Pulchrè in hanc rem Horatius:

----- ----- Corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoq; prægravat una
Atq; affigit humo divinæ particulam auræ.

Quantum ad Curationem, consului, ut crudum & fluctuans in ventriculo vinum, vomitu rejiceret, immisso primùm digito, postmodum & pennâ oleo perunctâ: Sed cùm neutrum procederet, exhibui oxymel simplex aquâ tepidâ dilutum, cujus beneficio magnam crudorum humorum copiam evomuit; Mox & alvus sponte suâ bis vel ter soluta est.

Evacuatâ materiâ oxyrrhodinum futuræ coronali & temporibus imposui.

R. Aq. rof. opt. ℥ij. verben.
Sambuc. chamæm. aneth.
ana ℥j.
Acet. rosac. ℥j. ol. rosar. ʒvj.
M.

Ad restingvendum calorem à vino generosiore contractum, vaporesquè reprimendos, Jolabium præscripsi:

R. Aq. acetos. ℔ß. cich. Endiv.
ana ℥iij.
Syr. granat. acidor. berb.
ana ℥iij
Succ. citr. recent. express. ℥iij.
M.

Pro conciliando somno frictiones manuum pedumquè cum sale & aceto institui, exhibitâ sub vesperam Emulsione papaveris albi & semin. 4. frigid. major.

Cibis miscui moderatè refrigerantia & vaporum ad caput ascensum inhibentia, lactucam nimirum, acetosam agrestam, cytonia & pulverem coriandri aceto præparati cum tantillo sacchari, in fine pastus sumendum.

Sedatis, hoc modo, capitis doloribus acræpalum commendavi abstinentiam, tutissimum præcavendæ ebrietatis munimentum, sed frustra; vitæ namque genus militare temperantiam non ferre ajebat, nec consvetudinem, quæ inveterata, in naturam jam abierit. Aliud itaquè suggerendum avertendæ te-

mulentiæ remedium. Svasi ex consilio Mnesithei, ne merum biberet non mixtum, nec affatim & cum tuburcinatione, sed sensim & quasi pitissando, præsertim in symposiorum initiis, gradatim à poculis minusculis ad Cothones & culullos ascendendo; præterea ante conflictum amygdalas aliquot amaras delibaret vel olivas immaturas aut brassicam, vel Balsamum aloëticum Beguini, quem vulgò den Saaß-Balsam vocant, vel syrupum quem Platerus in praxi describit:

R. Succ. caulium albor. granator. acidor. ribeum ana ℥ij, acet.
vini ℥j, sacch. tantillum,
bulliant ad consistentiam syrupi tenuis.

Verùm cum & hæc sæpè fallant & periculosum sit vel semel inebriari, tutius fore dixi, si potatorum consortia devitaret, juxta monitum Sapientis Proverb. 23: Nolite esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, & paulò pòst. Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber & sicut regulus venenum diffundet. Amaritudo animæ vinum multum, Ecclesiast. c. 31. Sed surdo videbar narrare fabulā. Ut enim difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum crevêre; Sic ægrè vel nūquam eradicatur, quæ per ætatem invaluit & in consvetudinem abiit, luxuria: Seneca de irâ cap. 18.

Scilicet ad mores natura subinde recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia. Nam quis
Potandi finem posuit sibi, quãdo culullis
Assvevit semel & fasces submisit Jacho.

Ad imitationē juvenalis Satyr. 13. lib. 5.

CASUS VI.
Phrenitis.

Joannes Bulgrin, Filius Magnifici & Excellentissimi Viri Dni Andreæ Bulgrin, Illustriss. Principis Pomeraniæ in Episcopatu Caminensi Cancellarii, sub caniculam Anni M. DC. XXVIII. nullo alio præcedente morbo, vigiliis contumacibus, febre continuâ & delirio perpetuo detinebatur, facies saturato rubore conspiciebatur suffusa, oculi torvi, modò fixi, modò vagantes, vociferabatur, è lecto interdum prosiliens adstantes impetebat, interrogatus respondebat cum iracundiâ, dictorum gestorumq; omnium immemor.

RESOLUTIO.

Delirium hoc phreneticum ab inflammatione membranarum cerebri dependet, quatenus sangvis biliosus è vasis suis effusus membranas cerebri occupat, ibiquè putrescit & accenditur. Hinc cerebrum in intemperiem calidam abripitur, unde & spiritus insitus & qui in cerebro generatur & continetur incalescit, & nimis mobilis redditur, varieque agitatur atque indè delirium continuum excitatur.

Adest *febris continua*, quatenus color præter naturam in capite accensus, simul etiam in corde & consequenter in toto abundat, febrimq; producit.

Facies rubet ab effervescente vi caloris præternaturalis, sanguine. *Oculi torvi sunt*, ob spirituum cum acribus vaporibus commistionem: *Modò vagantur, modò subsistunt* pro objectorum ex phantasiæ perturbatione sese offerentium, diversitate.

Æger *vociferatur, omniaq; cum contentione, rixâ & furore* peragit, ob animi à bile circa cerebrū ejusq; membranas putrescente excitatam ferociam, facultatumq; principum, imaginationis scilicet & ratiocinationis depravationem.

Dictorum gestorumq; immemor est, ob læsam ab intemperie calidâ & siccâ memoriam, quatenus secundum Galenum 3. de loc. affect. cap. 5. inordinatum spirituum animalium motum facit, eosque ut sentit Scaliger Exercit. 307. sect. 28. nimis mobiles reddit.

Curationem, factâ ob ætatem juvenilem & corporis robur, salutis spe, auspicatus sum à venæsectione, ut affluens ad caput humor, confestim revelletur. Ægrum itaque compræhendi jussi, ne phlebotomum elideret & incisâ Cephalicâ dextri brachii uncias circiter septem vel octo sangvinis detraxi. Vulnus ne ante coalitum ab ægro revelli posset, Cheirurgus, meo svasu, accuratè obligavit, & linimento ex alöe, pilis leporinis & ovi albumine munivit.

Ut biliosi sangvinis sursum ruentis impetus quodammodo interciperetur, fasciolâ aquâ rosarum & aceto imbutâ, colli venas constrinxi leniter, dorsumq; ungvento rosaceo inungendum præcepi.

Fronti verò & temporibus mox inter initia repellentia applicavi:

℞. Sem. papav. alb. ℥ß. lactuc. ʒij. Cotund. in mortar. add. aq. rosar. ℥j. aq. flor. Rhead. Nymph. aneth. ana ℥ß. Farin. hordei q. s. M. F. Cataplasma tepidè fronti applicandum.

Fortiora repellentia non adhibui

bui, ne inflammatio ad cutem vergens, repulsa ingravesceret.

Ad aversionem materiæ ligaturas crurum dolorificas & frictiones institui, appositis etiam vesicatoriis.

Altero post venæsectionem die, ad humoris biliosi evacuationem, potiunculam lenitivam præscripsi:

R. Passul. min. ℥vj. prun. damasc. Sebesten ana no vij. flor. violar. p. 1. Incis. coq. ex s. q. seri lact. caprini. In colaturâ ferventissimâ infund. Rhabarb. elect. ℥iij Cinam. acutiss. ℈j. stent in infusione per noctem, manè ebulliant leniter. In colatur. dissolv. pulpæ tamarindor. ℥ß. Syr. ros. solutiv. ℥j. ♀ri ⊕lat. gr. v. M. F. potiuncula brevis.

Tertio & quarto eadem topica, modò descripta adhibui.

Post quartum resolventia admiscui in hunc modum:

R. Flor. chamæm. summit. aneth. ana mß. Flor. rosar. rubr. mj. Coq. ex s. q. aq. simpl. ad mollitiem & trajiciantur per cribrum, add. farin. hordei q. s. M. F. Cataplasma fronti tepidè applicandum.

In declinatione sola resolventia adhibui ex fiorib. chamæm. melil. sem. altheæ, lini &c.

Vertici columbarum pullos per spinam divulsos calentes imposuimus, potenter enim resolvunt.

Toto autem morbi decursu calorem in cerebro & universo corpore per alterantia demulcere, viriumque integritatem confortantium beneficio tueri allaboravimus, quò fine mixturæ nostræ cordialis frigidæ cochlear unum atque alterum sæpius exhibuimus:

R. Syr. perlar. orient. ℥iiß.
granator. ℥iß.
flor. Rhead. ℥ij.
Aq. nostr. Cordial. frigid. ℥iij.
Cerasor. nigr. ℥ij.
Spir. rosar. flor. tiliæ ana gt. XV. M.

Ad effervescentiam sangvinis & spirituum optimè profuit oleum perlarum, de quo Petræus in Nosologia lib. 1. diss. 2. Præstantissimum est oleum perlarum verum: Sicuti enim pauculæ ejus guttæ mirabili spectaculo ardentissimum vini spiritum in butyrum scissile coagulare possunt, ita quin Spiritus effervescentes & volatiles ipsius cerebri, fixiores & stabiliores reddere queant, nullum est dubium.

Ad arcendas vigilias & conciliandum somnum Emulsionem præscripsi:

R. Sem. papav. alb. ℥ß. lactuc. ʒij. 4. frigid. major. excort. ana ʒj Aq.

Aq. nostræ somnifer. ℥ij.
violar. ℥j.
M. F. Emulsio. add. margar. præpar. ℈ij.
Rotul. man. Christ. ʒj.
Spir. rosar. gt. IX. M.

Fronti & temporibus unguentum nostrum somniferum alutæ inductum, applicui, sed frustrà, quare ad laudanum opiatum confugiendum duxi.

℞. Syr. flor. Rhead. ℥j.
Confect. Alkerm. ℈j
Dissolv. in his laudan. opiat. gr. iij.
add. ol. perlar. gt. vij.
Aq. violar. ℥iß. M.

Quievit optimè per integram noctem cum notabili levamine. Postero namquè die ad mentem redire, modestius loqui, omnemquè ferociam exuere, contrà de virium langvore capitis dolore & siti conqueri cœpit. Exhibui denuò mixturam cordialem supra descriptam & jolabium ex refrigerantibus & confortantibus.

℞. Aq. cerasor. nigr. ℥vj.
borrag. ℥iiiß.
Syr. granat. flor. tunic. ana ℥iß.
flor. Rhead. ℥ii.
Spir. ⊕li q.s. ad grat. aciditat.

Victum præscripsi refrigerantem & humectantem ex cremore ptisanæ hordeaceæ, prunis, jusculis alteratis borragine, lactuca, spinachio, acetosa & similibus. Pro potu ordinario concessi cerevisiam Colbergensem tenuem & cum pauco lupulo coctam, interdicto omni vino.

CASUS VII.

Delirium Scorbuticum.

Uxor Zachariæ Movii Aromatarii, nulla præcedente febri inopinatò mentis alienationem incurrebat absquè æstu & siti, Urina reddebatur crassa & rubra, pulsus durus & serratilis, qualis in pleuritide deprehendi solet, in cruribus maculæ purpureæ & sublividæ efflorescebant, gingivis levi contactu sanguinem fundentibus, malum ut subitò invadebat, sic præter rationem iterum remittebat.

RESOLUTIO.

Cum nulla Capitis per se affecti nec inferiorum partium inflammationis aut febris, morbive alicujus acuti adsint indicia, dubium non est quin à scorbuticâ putrefactione excitetur delirium, quatenus commota materia vaporosa ad caput elevatur & qualitate suâ malignâ, magis quàm caloris vehementiâ,

tiâ, spiritus animales in cerebro turbat & depravat. Confirmant hoc ipsum maculæ in cruribus efflorescentes, gingivæ sangvinem fundentes, & Urinæ præter caloris excessum, rubræ, crassæ & turbidæ, certissima Scorbutici affectus indicia.

Curationem itaque vulgarem, deliriis oppositam in hoc quidem casu posthabendam & solis appropriatis antiscorbuticis, ex mente Eugaleni, agendum censui. Alvus tamen durior & obstructa convenienti Enemate prius emolita & reserata est. Hinc mixturam ex succis antiscorbuticis depuratis cum aquâ fumariæ & melissæ dilutam per intervalla exhibui; Interdum potui ordinario tantillum Spiritus cochleariæ & nasturtii aquatici immiscui, quin & revulsionis gratiâ frictiones extremorum, præsertim pedum institui, & cum ex relatione Mariti mensium obstructionem subesse intelligerem, adhibitis pedilaviis convenientibus saphenæ incisionem svasi, & sic Divinâ favente gratiâ, delirantem sanæ menti restitui.

CASUS VIII.

Mania.

Andreas Alartus, Juvenis viginti septem circiter annorum, temperamenti calidi & sicci, de capitis quadam gravitate & aurium tinnitu diu conquestus, postquam tempore æstivo vehementiori corporis motu nimium incaluisset, noctesquè aliquot insomnes duxisset, multa absurda & inepta loqui & agere cæpit cum insigni ferociâ, adeò ut obvios interdum invaderet, vestes & tegumenta dilaceraret, per plateas hinc inde vagabundus discurreret, nescio quæ subinde secum mussitans; Oculorum obtutus videbatur intentus, minax, torvus & truculentus, corporis robur admirandum, ut vinculis vix contineri posset.

RESOLUTIO.

Maniâ correptum ex signis modò enumeratis haud difficulter colligebam. Causam delirio dedit atra bilis, quâ totum corpus ex flavedine nigrum scatebat: Hæc à liene fervido genita spiritus animales & vitales igneo calore accendit, mentemquè imaginatione & ratiocinatione depravatâ pervertit; Accessit vehementior corporis motus & aëris constitutio calida, ob quam humores magis aduruntur & διάθεσιν maniacam acquirunt. Hippocr. 3. Aphor. 22. Puto tamen præter fervorem spirituum

um aliam aliquam qualitatem potentiorem & occultam venenis cognatam subesse; cùm impossibile sit tam varia & gravia symptomata, quæ in maniacis se exserunt, & ad plures annos sæpè extenduntur à solo calore & fervore spirituum produci.

Vigiliæ à vaporibus calidis, acribus & melancholicis, spiritus turbantibus & subindè commoventibus excitantur, sed magis forsan ab occultâ illâ & venenatâ qualitate, cum sæpè aliquot mensium spacio non dormiat æger & experientiâ constet aliquos etiam ultrâ annum perpetuis vigiliis detentos fuisse.

Absurda loquitur & agit æger ob imaginationis & ratiocinationis depravationem.

Audax est propter igneum spirituum fervorem.

Corporis robur supra modum ingens & validum, quatenus ratione depravatâ solus appetitus dominatur spiritibus animalibus, eosque igneos quasi & fervidos à mentis functionibus, solummodo ad nervos & musculos convertit.

Curationem, ubi quædam de morbi diuturnitate & curationis difficultate, præmonueram, auspicatus sum à venæsectione, apertâ basilicâ brachii sinistri, è quâ cum nigrior sanguis proflueret, paullò largius eundem detraxi.

Sub vesperam ejusdem diei ad conciliandum somnum exhibui Emulsionem.

R. Sem. papav. alb. ℥ß. 4. frigid. maj. excort. ana ʒj. Aq. nymph. rosar. hypnotic. nostræ ℥j. F. s. a. Emulsio. add. Margarit. præp. ℈j spir. rosar. gt. vij. M.

Hinc ad materiæ præparationem serum lactis caprini, cum sequenti syruporum mixturâ per dies septem propinavi:

R. Syr. nostri aperitiv. ℥iiij. de fumar. ℥iij. de pomis Borsdorff. borragin. violar. Endiv. ana ℥ij. M.

Pro evacuatione humoris atrabiliarii præscripsi extractum Hellebori nigri in syrupo violarum solutum; sed cum usum ejus ut & aliorum purgantium indignabundus rejiceret, tandem vino nostro passulato laxativo, quod avidè & in magna copiâ tribus quatuorve diebus hauriebat, sufficientissimè purgatus est, & cum εὐφορία: In somnum enim prolapsus per vices quievit, mitiusque aliquantulum agere visus est.

Placuit venam pedis sinistri quæ ad pollicem excurrit incidere, simulque ad restingvendum fervorem spirituum & roborationem cordis & cerebri Julapium exhibere:

R. Aq. nostræ cordial. frigid. Ce-

phal. frigid. ana ℥iiij. violar. borragin. nymph. lactuc. rosar. ana ℥ij.

Syr. granat. dulc. corall. rubr. flor. Rhead. tunic. ana ℥j.

Succ. citr. recent. express. ℥ij. M. F. Jolabium.

Ex intervallo aliquot dierum vino passulato laxativo iterum purgatus est, repetita & phlebotomia in brachio; Serum autem lactis caprini ferè per totam æstatem bibit.

Interdum aliquid salis nitri ex aquâ anagallidis flore purpureo, exhibui, quatenus illud impuros, fervidos & inquietos spiritus purificat, restinguit & figit, hæc autem specificâ quadam proprietate huic malo resistere creditur.

Vigilias quibus æger dies noctesque detinebatur, interdum Emulsione papaveris albi superius descriptâ, sed felicius Opiatâ nostrâ hypenoticâ, profligavimns. Sæpè nec bis nec aliis soporiferis quicquam profecimus, ægro pertinacissimis & continuis vigiliis in multos quandoq; dies, imò integros menses detento.

Pro alteratione & roboratione, præter superius Jolabium, tincturam violarum, rosarum, aquam nostram cordialem frigidam ex succis.

Emulsionem ex 4. seminibus frigidis, aquam Perlarum, Tincturam Coralliorum, Lunæ, Essentiam ambræ, Confectionem Alkermes & similia exhibui; purgantia quoq; & phlebotomias per intervalla repetivi.

Ex topicis capiti inter initia applicui repellentia, actu tepida:

R. Lign. Rhod. Flor. rof. rubr. ana ʒij. nymph. santal. rubr. ana ʒj. Acet. rosacei ℥j. Aq. rosar. opt. ℥vj. Nymph. ℥ij. extrahatur tinctura. In colat. dissolv. Camph. gr. XV. Mosch. gr. v. M. pro Epithemate.

Interdum frontem & tempora balsamo Saturni perunxi.

Postmodum repellentibus discutientia miscui:

R. Ungv. de alabastr. ℥ß. popul. ʒij. Opii gr. IX. Croc. ℈ß. ol. stillat. aneth. chamæmel. ana gt. ij. M. F. Linimentum.

Pro capitis lotione commendavi folia lauri, verbenæ, betonicæ, anagallidis, flor. cham. rosar. violar. Nymph. stæch. bacc. junip. & rad. hellebori nigri, quem in affectibus melancholicis non solum intus sed & extra utiliter adhiberi compertum est.

Cordis regionem tali linimento sæpius inungendam præcepi:

R. Ung. in frig. Galeni ℥ß. rosar. ʒij.
Pulv. violar. rosar. pallid. Nymph. ana ℈iß.

Spic.

Spic. cord. frigid. ℈ij. Cerat. Santal. ℥iij. M. F. Linimentum.

Ad totius corporis alterationem vaporumquè acrium discussionem balneum aquæ dulcis ex humectantibus & refrigerantibus aliquoties adornavi, ut & pedilavia & frictiones extremorum ad revulsionem, sed frustrà omnia. Invalescente enim indies morbo, nihil medicaminis porrò admisit æger, unde totum negotium naturæ commisimus, quæ & ipsa cum pertinacissimo morbo quindecim plus annis colluctata, tandem victa succubuit.

Dum hæc scribo, alter quidam Maniacus Martinus Möller vietor paucos ante dies hoc malo correptus, opem meam implorabat, svasi sangvinis missionem ex basilicâ brachii sinistri, hinc ad conciliandum somnum per vices opiatam nostram hypnoticam exhibui, tandem & corpus, per melanogaga convenientia purgavi, adhibitis simul alterantibus, & roborantibus, quorum usu intra novendium quidem convaluit, recrudescente tamen annuatim malo. Novissimè & alius in vicinia, Filius VÖGLERI, Advocati & Civis Cöslinensis ultra triginta annos hoc malo affectus, spontè & citra ullius medicamenti usum sanæ menti restitutus est, immemor tamen omnium quæ durante delirio peregerat, non minus ac linguæ latinæ & quicquid artium humaniorum juvenilibus annis didicerat, imò & legendi scribendique oblitus.

CASUS IX.

Carus.

A*GNETA, Viri Magnifici, Generosi & Nobilissimi DN. EBERHARDI BREHMEN, Gubernatoris Provinciæ Narvensis Filia, virgo viginti circiter annorum, temperamenti frigidi & humidi, An. M.DC.XXXV. sub finem autumni aëre intempesto, pluvio & frigido, longum iter ex Livoniâ in Pomeraniam faciens fructibus horariis & multo lacte tàm dulci quàm ebutyrato hinc inde in diversoriis, præsertim rurestribus, pasta, tandem Colbergam deveniens de dolore Capitis gravativo aliquandiu querebatur, tandem inopinatò in somnum profundum incidebat, sensu & motu quasi ablato, ut nec vellicationibus nec vociferationibus quantumvis clangorosis excitari posset, acu tamen in plantâ pedis puncta, pedem contrahebat, cæterum oculis clausis instar stipitis aut trunci immota jacebat, nisi quod respi-*

ratio aliquâ ex parte videbatur libera.

RESOLUTIO.

Dubium erat inter initia, quo nomine affectus iste indigitandus esset: Aderant qui Apoplexiam accusabant, sed refragabatur membri retractio factâ puncturâ & respiratio libera; Alii lethargum verebantur, quibus obmutescentia ad interrogata repugnabat & febris absentia; Alii Catalepsin ominabantur, verùm aliud oculi perpetuò clausi, aut ad vociferationes aperti, mox iterum collapsi indicabant: Mulierculæ quædam Epilepsiam augurabantur, ignaræ Convulsionum, quas habet comites. Ego pro Caro habendum censui, quatenus in corpore frigido & humido concurrentibus causis refrigerantibus & humectantibus aëre nimirum & cibis, ut dictum, cumulata pituitosorum humorum copia ventriculos cerebri obstruens, impedimento est, quo minus Spiritus animales in organa sensus & motus influere ac liberè in cerebro moveri possint.

Præmisso itaquè ancipitis spei prognostico, commodum videbatur alvum glande acriori stimulare, revulsionisque gratiâ frictiones extremorum & ligaturas dolorosas pannis asperis & calentibus instituere, alvum iterata glandium acriorum applicatione ad excretionem stimulare, omnique conatu in id incumbere ut meatus cerebri quamprimum ab infarctu liberarentur, quo fine & aquam nostram apoplecticam Heroicam pro dissipandâ materiâ & roborando cerebro instillavimus, linguamq; & palatum Theriaca & Castoreo, frontem verò & nares oleo rutaceo & succini inunximus. Ast frustrà omnia. Placuit itaque sternutamenta experiri, quo nomine granum unum atque alterum, mox describendi pulveris naribus inspiratum est per calamum:

℞. Helleb. albi, castorei, piper. alb. ana ℈j. ol. destill. rut. majoran. salv. ana gt. ij. M. F. pulvis subtilissimus.

Eo ipso momento caput iterum movere, aperire oculos, crebraque sternutatione multa pituitosa, & viscida, per os & nares excernere, loqui, adstantes internoscere & sic paulatim ad se redire visa est. Datum illicò cochlear unum atque alterum mixturæ Cephalicæ pro roboratione:

℞. Aq. nostr. Cephal. calid. ℥iij.
apopl. Heinii Carbunc. Cinam. ana ℥j.
Spir. lil. convall. meliss. ana gt. xiij.
Cerasor. nigr. ℥ß.
Rotul. man. christ. perlat. ʒij. M.

Cum-

Cumquè non tantùm Caput sed & universum corpus, multis vitiosis humoribus præsertim pituitosis scatere haud obscuris constaret indiciis, illo ipso die Enema applicatum est:

R. Herb. ℥ial. origan. cent. minor. puleg. calaminth. beton. ana m ß.
Sem. carthami in petra ligat ʒvj.
Agaric. in petra ligat. ʒiij.
Flor. stæch. arabic. ʒij.

Incisa & conquassata coq. ex s.q. aq. simpl. Rec. Colatur. ℥x. Elect. hier. simpl. hier. Logadii benedict. laxativ. ana ʒiij. ol. rutac. ℥j. chamæmel. aneth. ana ℥ß. Sal. gemm. ʒj. M. F. Enema.

Subsequenti die recruduit malum repetivimus priora, sed sine successu, ora itaq; diducto tantillum mixturæ nostræ Cephalicæ Theriacalis cum aqua hirundinum solutæ, instillavimus, mox pulvisculum sternutatorium suprà descriptum naribus immittendum præcepimus, cujus usu statim excitata est, rejectâ iterum per palatum & nares magnâ pituitæ copiâ, sub vesperam denuò Enema applicatum est, manè exhibuimus potiunculam minorativam:

R. Decoct. nostr. laxativ. ℥ij.
Magister. Agaric. ℈ß.
Syrup. diasereos ℥ß.
Aq. cinam. ʒij. M.

Hinc præparationi humorum aliquot diebus institimus, decocto ex incidentibus, attenuantibus, calefacientibus, & appropriatis, in hunc modum conflato;

R. Costi Ægyptiac. veri ʒvj. Rad. pæon. ☾ decresc. collect. fænic. acori veri, angelic. Cyperi, Enulæ, Ireos ana ʒiij. Herb. rorism. betonic. meliss. salv. origan. majoran. Thym. ana m ß.
Flor. primul. veris, lavendul. lil. convall. stæch. Arab. ana p. 1.
Bacc. laur. juniper. ana ʒiij.
Sem. aneth. fænicul. rutæ ana ʒiß.
Lign. Sassafr. odorif. ʒvj.

Incisa & conquassat. coq. ex. s.q. a. simpl. R. Colatur. ℔iij. syrup. de hyssopo, de stæchade, de pæon. ana ℥iß. de beton. ℥ij. oxym. simpl. ℥iiß. Mixta clarificent. c. album. ovi. D. in fictili. s. decoct.

Pro electivâ purgatione præscripsi pilulas.

R. Mass. pilul. nostr. Cephalic. ℈j.
Extract. helleb. nigr. c. spir. vin. præparat. gr. vij.
Ol. stillat. nuc. moschat. gt. ij. M. F. pilulæ n. IX. deaurentur fortiter.

Corpore universo purgato, particulares evacuationes institui per errhina & apophlegmatismos convenientes.

Ad cerebri roborationem præscripsi Essentiam rorismarin. lavend. salviæ. Spiritum lil. convall. meliss. flor. tiliæ, Cerasorum nigrorum; Tincturam ☾ Coralliorum. Magisterium succini, cornu alcis, margaritarum &c. Ex sequenti aquarum mixtura per vices sumenda:

R. Aq. lil. convall. c. vin. destillat.
Aq. lign. Sassafras. ana ℥ij.
Cephal. nostræ calidæ ℥iij.
Spirit. Cerasor. nigr. ℥j.

Interdum morsulos Cubebarum vel Rotulas de succino cum oleo stillat. nuc. moschat. delibavit, sæpissimè verò Electuarii sequentis portiunculam assumsit.

R. Elect. nostr. Cephalic. ℥iij.
Conserv. anthos, primul-veris betonic. ana ℥j.
Condit. myrobal. chebul. ℥j.
Nuc. Indic. ʒvj.
Calam. aromat. ℥j.
Mell. anacard. q. s. M. F. Electuarium.

Inter externa balsamum rutæ commendavi & castoreum, lotiones item Capitis ex herbis & floribus Cephalicis calidis, fricando inter lavandum caput agarico crudo, donec spumet instar smegmatis. Tandem cum & mensium obstructionem subesse perciperem, corpus denuò purgavi, mensesquè moventia exhibui, mox & saphenæ sectionem primò quidem in pede sinistro, postmodum & in dextro institui, evaporationes item per sellam & pedilavia diebus aliquot continuis, instante mensium fluxu, adhibita, quibus factum ut retenta menstrua primò cum dolore & exiguâ quantitate, deinceps rectè & sufficienter profluerent, ægraquè perfectæ sanitati restitueretur, in hunc usque diem salva & incolumis, multorumque liberorum mater.

CASUS X.

Vertigio per consensum ventriculi.

GEORGIUS CYRIACUS, Judicii Provincialis Schiefelbeinensis in Neo-Marchia Præses, per intervalla scotomiam quandam oculis offundi omniaquè in gyrum verti sentiebat, idque potissimum jejuno ventriculo, aderat & nausea & oris amaritudo, absque ullo capitis affectu aut sensuum læsione: Assumto cibo cessabat malum.

RESOLUTIO.

Vertiginem à malè affecto ventriculo excitari, indicat nausea & oris amaritudo, quatenus linguæ tunica ventriculi tunicæ communis est & continua. Affligit plerumque jejunum quia ventriculus vacuus

cuus alimentum undiquè attrahit & consequenter etiam Epatis excrementa, unde bilis tùm maximè effervescit & exhalantes cerebro transmittit fumos, quibus spiritus animales inordinatè & circulariter moti, vertiginem inducunt. Cessat autem à sumto cibo, quatenus ebullitio in ventriculo cibo potuque restringitur & vaporum adscensus reprimitur.

Ad liberandum itaque à vitiosis humoribus ventriculum, primò quidem Vomitivum præscripsi:

℞. Salis ⊕li albi ℈iiß.
Aq. fænicul. ℥iiij.
Syr. violar. ℥ß. M.

Ubi aliquoties sine labore multa biliosa & pituitosa rejecisset, ad roborandum ventriculum & inhibendam vaporum elevationem cochlear unum atque alterum Syrupi nostri corallini exhibui.

Hinc ad humorum præparationem potiunculam tribus matutinis hauriendam commendavi:

℞. Aq. Endiviæ, acetosæ ana ℥ij.
absinthii ℥iij.
Syr. de cichor. ℥iij.
betonic. ℥iß.
Spir. ⊕li gr. IX. M. pro tribus dosibus.

Pro evacuatione subjunxi Decoctum meum laxativum:

℞. Decoct. laxativ. ℥ij.
Syr. rosar. solutiv. ℥ß.
Extract. Rhabarb. ℈j.
♀ri ⊕lat. gr. v.
Aq. Cinam. ʒij. M. F. potiuncula.

Ad ventriculi & capitis tanquam partis recipientis confortationem ordinavi Electuarium manè & vesperi juglandis quantitate sumendum:

℞. Conserv. rosar. ⊕lat. ℥iij.
flor. tunic. ℥iß.
Condit. myrobalan. Chebul. ℥j.
carn. cytonior. ℥iß.
Rad. cichor. cort. citr. ana ℥ß.
Coriandr. præp. ʒiß.
Medull. nuc. Indic. condit. ℈iiij.
Syr. coral. q. s. M. F. Electuarium.

Ad inhibendum vaporum ad caput adscensum commendavi grana lucida mastiches à pastu deglutienda, ut & Tragæam aliàs & vertigini specificâ proprietate oppositam:

℞. Flor. Euphras. ʒiij. maceris ʒj.
Sem. coriandr. præp. ʒij.
Corall. rubr. præp. ʒj.
Succin. alb. præparat. gr. XV.
Sacch. rosar. tabulat. ℥iiij.
Ol. still. fænic. carui. nuc. moschat. ana gt. vij.
M. F. Tragæa.

Nares inungantur balsamo rosarum vel florum cheiri, efficacissimo vertiginis remedio.

In

constitutio, nimirum ut sint temperati, subtiles, lucidi & mobiles.

Hæc omnia si rectè se habeant, rectè etiam se habet memoria, sin minus, contra fit.

In præsenti casu temperiem cerebri à moderata Caliditate & siccitate quam habuit, ad frigiditatem & quæ hanc plærumque sequi solet, humiditatem deflectere, statuo, cùm ob ætatem & senium, in quo caloris est parum & multum excrementorum, tum ob curas & mœrorem, quibus concoctionem vitiari, corpus refrigerari, Spiritusque dissolvi & absumi certum est: Nec parum huc facere potuit Austrina per integram hyemem aëris constitutio & domicilium in decliviore Urbis, quæ occasum spectat, parte ad aquas positum, in quo omnem suam supellectilem situm facilè contrahere sæpe mihi conquestus est æger, aëremq; in conclavi nisi apertis fenestris eventiletur, squalidum, ipse non semel deprehendi. Quantam autem corpora nostra & præcipuè cerebrum alterandi vim habeat aër, prolixè docet Hippocrates libro de aëre, aquis & locis. Galenus 6. Epidem. comment. 6. t. 8. & manifestum hoc est in catarrhis aliisq; cerebri affectibus.

Cum verò à frigiditate & humiditate cerebri spiritus animales ad actiones inepti reddantur, mirum non est, ob hanc ipsam caussam in sexagenario hoc sene memoriam imminutam.

Quemadmodum enim infantes ob nimiam humiditatem, quâ calor obruitur, sic senes ob caloris & spirituum penuriam, operationibus mentis parum valent. Hinc Aristoteles in senibus & pueris unam oblivionis caussam agnoscit, quod cerebrum utrorumq; sit humidissimum, illorum quidem propter decrementum, horum verò propter augmentum: Et Scaliger in puero multa excrementa, in sene etiam aliena esse scribit. In infantibus quidem calor est copiosissimus, ab humiditate tamen obruitur; In senibus verò calor est debilis & multa sunt excrementa.

Etsi verò quæ ætatis ratione accidit memoriæ imminutio, curationem ægrè recipiat, attamen cum viribus satis constaret, nec decrepitæ sed γερόντ☉ & mediæ senectutis esset æger, inhumanum esse duxi virum optimum sine omni salutis spe relinquere, ac proindè

1. Ad intemperiem Cerebri frigidam & humidam corrigendam, pituitamquè quæ cum ea conjuncta erat, præparandam, præmissa viarum communium purgatione, præscripsi mixturam ex incidentium, attenuantium & calefacientium censu, additis Cephalicis, in hunc modum:

Digitized by Google

R. Aq. lign. saſſafr. ℥iiij.
Serpilli, majoran, Hyſſopi betonic. ana ℥iij. Meliſſ. ℥ij.
Eſſent. ſalviæ, roriſmarin. ana ʒj.
Eleo ſacchor. fœnicul. q.s.
ad gratum ſaporem
Miſc. pro ſex doſibus.

Hinc ad evacuationem materiæ præparatæ, dedi pilulas:

R. Maſt. pilul. noſtr. Cephal.
Extr. noſtr. phlegmag. ana ℈ſſ.
Magiſter. Agarici gr. IX.
Ol. ſtill. nuc. moſchat. gt. iij.
M. c. aq. beton. F. pilulæ
No xiij.

Poſtmodum ad calidum nativum inſtaurandum & ſpiritus torpidos excitandos Cephalica quædam & appropriata, quæ non tantum manifeſtis ſed & occultis qualitatibus memoriam confortant caputque roborant exhibui, qualia ſunt aqua ſophorum Dorncreilii, magnanimitatis Hartmanni Cephalic. Caroli V. Imperatoris, Elixir Peuceri, pulvis Trithemii, Electuarium meum Cephalicum, Tinctura Lunæ, Eſſentia ambræ, meliſſæ, roriſmarini &c.

Ex his modò unum, modò plura invicem mixta cum vehiculis convenientibus obtuli, interdum etiam ad evitandam in morbo contumaci & diuturno nauſeam ab omni medicamentorum exhibitione abſtinui, niſi quod interea ex conditis Cephalicis, nuce ſcilicet Indica, Myrobalanis Chebulis, radicibus acori & ſimilibus, palato non ingratis, tantillum delibaret æger.

Experiri etiam inter alia placuit famoſam illam ſapientum confectionem ex anacardiis ſine butyro, ſed non ſine Caſtoreo præparatam; Neque enim aſſentiri illis poſſum, qui caſtoreum omittendum putant, cum nihil ſit, quod ſpiritus animales torpidos magis excitet, ac hoc ipſum.

Cæterum & externa quædam adhibita, Tinctura nimirum ligni ſancti, aqua hederæ arboreæ occipiti cum petiis duplicatis, calidè applicata. Capitis etiam lotiones cum lixivio, in quo folia lauri, majoranæ, meliſſæ, roriſmarini, flores lavendulæ, liliorum convallium, chamæmeli, Rad. aſari, iridis &c. ebullierint, inſtitutæ, fricando ſubinde inter lavandum caput agarico crudo, qui pituitoſum humorem egregiè extrahit: Et cum odores etiam cerebro robur quoddam afflare ſolcant, balſama appropriata naribus, occipiti & temporibus inungenda commendavi, non neglectis particularibus Capitis per errhina & Apophlegmatiſmos, evacuationibus. Interea & victum morbo & ætati convenientem præſcripſi; Verùm cum ſic nihil proficerem, præparantia & purgantia denuò repetivi; Nunc dum hæc ſcribo roborantibus iterum & appro-

propriatis Cephalicis & memoriam confortantibus utitur æger, quo eventu, dies docebit, ut autem salutaris sit, Deum precor!

CASUS XII.

Epilepsia ab utero.

BARBARA *Conjux Joachimi Löffzovven, Civis & Mercatoris Colbergensis, mensium obstructiones ultra semestre passa, circa uteri regionem in pectine & utroquè inguine ac dorso dolebat, abdomen distentebatur, aliquando & cor palpitabat cum insigni respirationis difficultate, novusimè toto corpore convellebatur cum sensus motusquè voluntarii omnimodâ ablatione.*

RESOLUTIO.

Sanguinem menstruum diutius retentum corrumpi & tandem accedentibus aliis humoribus pravam imò venenatâ interdum qualitatem concipere, manifestum est: Hinc procul dubio factum, ut exhalantes à materia corrupta vapores, acri & malignâ suâ vi, membranas cerebri nervorumque genus vellicarent & Epilepsiam inducerent.

Præcessit *uteri & ingvinum dorsiq; dolor* & abdominis inflatio, à copia retenti sangvinis menstrui & flatibus, partium harum, musculos & membranas distendentibus.

Cor palpitat, quatenus à pravis evaporationibus impetitur; Vis enim ejus irritata vehementiore motu, quod noxium est, expellere nititur.

Respiratio difficilis est propter vapores crassos ab utero ascendentes & circa diaphragma subsistentes, motumque ejus liberum impedientes.

Curatio inter initia dubiæ quidem spei videbatur, procedebat autem DEO juvante feliciter, in hunc modum adornata:

Primò ægram in locum lucidum transportari jussimus & capite nonnihil sublimem collocari; mox dentibus diductis os aperiri, cochlearꝗ ligneum, ne iterum claudi & lingva fortè lædi posset, utque facilius respiraret, interjici curavimus. Hinc membra convulsa, pollices & manuum digitos, qui vehementer convellebantur, tùm alias partes sensim leniterquè in rectum extendimus, factâ inunctione ex sequenti oleorum mixturâ:

R. Ol. lumbricor. compos. ℥ß.
è castoreo, rutac. ana ʒiij.
amygd. dulc. ʒvj.
Pingved. human. ℥ß.
Ol. succin. rectificat. gt. XI. M.

Plantas pedum oleo è piperibus & aceto vini acerrimo calidè fricari præcepimus, lateresque igni-

Digitized by Google

tos petiis duplicatis & vino calente conſperſo appoſuimus, ut calore ſangvis & ſpiritus verſus inferiora concitarentur, partesque inferiores calefactæ vapores malignos cerebrum petentes, revellerent.

Spinam quoque dorſi à vertice verſus os ſacrum oleis modò deſcriptis inunximus, lingvam & palatum Theriacâ Andromachi cum caſtoreo & guttis aliquot olei de ſuccino illinivimus. Naribus graveolentia, aſam fœtidam & caſtoreum admovimus, pudendis autem ob uteri adſcenſum, Zibethum linteolo inductum obſtetricis operâ applicavimus. Cæterum & ſternutamenta experiri placuit:

R. Piper. alb. Caſtor. helleb. alb. ana ℈j.
Ol. deſtill. rut. major. ana gt. ij.
M. F. pulvis, cujus granum unum atq; alterum naribus immiſſum iteratis ſternutationibus multum pituitoſi & viſcidi humoris per os & nares expulit. Intereà ex antepilepticis ſpecificis & uterinis aquam hirundinum cum caſtoreo, galbano & aceto deſtillatam per vices inſtillavimus, ſimulque & alvum acriori glande ad excretionem laceſſivimus, quâ obtentâ convulſiones & reliqua ſymptomata ſenſim remittere, ægraque ad ſe redire viſa eſt. Recidivæ tamen metu ſub crepuſculum ejusdem diei, ſaburram vitioſorum humorum aliquâ ſui parte minuere & exhalantes ad caput vapores Enematis beneficio revellere tentavimus:

R. Herb. arthemiſ. pulegii, rutæ, majoran. beton. ana mß.
Flor. chamæm. tiliæ lavend. ana p. ij.
Rad. lil. albor. Ireos, pæon. ana ℥ß.
Sem. rutæ, dauci, aniſi, carui ana ʒj.
Inciſ. & conquaſſata c. ex ſ.q. aq. ſimpl.
R. Colatur. ℥x. Elect. diacathol. bened. laxativ. ana ℥ß.
Spec. hier. ſimpl. ʒiß.
Ol. rutæ ℥ij. Sal. gemm. ʒj.
M. F. Enema.

Altero die ex ſaphenâ ſiniſtri pedis ſangvis detractus eſt.

Hinc ad vitioſos humores eliminandos nodulum laxativum ex foliis Senæ, Agarico, Gialappa & radicib. hellebori nigri additis corrigentibus & appropriatis Cephalicis & uterinis, præſcripſi, cujus uſu per vices iterato ſufficientiſſimè purgata eſt.

Corpore evacuato appropriata quædam & ſpecifica antepileptica uterinis mixta commendavi, qualis eſt ſpiritus ex antidoto Matthioli & camphorâ compoſitus.

Eſſentia noſtra Epileptica cum Caſtoreo & pulvis, cujus hæc eſt compoſitio:

R. Fæcul. bryon. pæon. ana ʒij.

Suc-

Succin. alb. pr. Ungul. alc. pr.
Matris perlar. præp.
Corn. alcis absque △ calcinat.
Magist. coral. rubr. ana ʒß.
Castorei ℈iß. M. F. pulvis.
detur à ℈j ad ℈ij. ex aq. Epilept. Langii & Histeric. Mynsichti.

Ad mensium provocationem alternatim modò pilulas de hierâ simplici cum extracto Sabinæ & Castorei, modò potiunculam exhibui quæ sequitur:

R. Aq. meliss. arthemis. ana ℥j.
matrical. ℥ß.
Essent. nostræ uterinæ ʒß.
Pulv. myrrh. elect. ℈j.
Castorei gr. vij.
Croci gr. iij.
Succin. alb. pr. apic. flav. lil. alb. ana ℈ß. M. F. potiuncula.

Impetrato mensium fluxu, svasi imposterum præservationis loco specifica antepileptica superius descripta circa Lunæ phases & magnas temporum mutationes, usurparet, corpusquè tempore verno & autumnali purgaret, quo facto ab omni recidiva hucusquè immunis fuit, uteri tamen suffocationibus interdum obnoxia.

CASUS XIII.
Apoplexia.

EGIDIUS von der Myle/ *Senatorii ordinis & Secretarius Colbergensis optimè meritus, à Serenissimo Electore Brandenburgico ad munus Archivarii vocatus, actis publicis in Archivo Sedinensi evolvendis, separandis & in ordinem redigendis ultra trimestre incumbens, ex fætore quem à situ & squalore fornicibus inclusa volumina contraxerant, in dolorem capitis incidit, mox & Catharro correptus, cum aëri frigido, funus integerrimi quondam Viri, DN. CHRISTOPHORI CUNDENREICHII comitatus, se exponeret, domum repetens in foro subitò concidit, voce & respiratione interceptâ, motuquè & sensu omni abolito, paullò post cum stertore è vitâ discessit.*

RESOLUTIO.

Ut Cerebrum svaveolentibus delectatur, si odoris vehementia absit; sic fœtoribus mirè offenditur; Allium & cæpe capiti nocentissima sunt: Carbonum fumo & fornacum noviter compactarum, calcis item & linteorum madentium evaporationibus, multi subito perierunt. Lichni fuligines, cùm extinguitur, fœtum in utero enecant, si Plinio credimus.

Nihil hic de narcoticis musti & cerevisiæ recentis, nihil de venenatis & malignis cadaverum, sulphuris, mercurii &c. vaporibus dicam;

Digitized by Google

Hoc ſanè certum eſt librorum volumina chartasque papyraceas, ſi ſitum contraxerint, ubi verſantur, graviſſimum exhalare fœtorem, cujus ferocia non poteſt non Cerebro ſpiritibusq; eſſe nocentiſſima: Conſtat hoc ipſum vel ex præſenti caſu; veriſimile namque eſt, caput cujus nulla antehac fuit infirmitas aut ægritudo, diuturnâ exhalationum putridarum imbibitione inſigniter debilitatum, ac proinde multa in cerebro excrementa, præcipuè pituitoſa, cumulata fuiſſe, quæ vi externi frigoris, cui ſe expoſuerat Æger, commota & in meatus cerebri expreſſa, baſin ejusdem impetuoſè invaſerunt, obſtructoq; nervorum principio, apoplexiam induxerunt.

Dicerem, cerebro ab iſtis fœtoribus malam & narcoticam διάθεσιν impreſſam, ſpiritusque animales torpidos & ad motum ineptos redditos, ut neque in cerebro rectè moveri, neque in organa ſenſus & motus influere poſſent, ſed hæreo an fœtori huic νάρκωσις aliqua vel malignitas ſubſit? etſi eſſet, cur Æger non eo tempore, quo inter hos fœtores verſabatur, ſed ex tam longo demùm intervallo concidit? Certius hallucinari videbatur Medicorum non nemo, qui Ægrum Catharro ſuffocativo premi exiſtimabat, cum in hoc ſenſus & motus integri permaneant, ſermo autem & reſpiratio ſæpius intercipiantur.

Etſi verò mortem imminere, cùm ex affectus magnitudine, tùm ex prognoſtico Hippocratis, quo lib. 2. Aphoriſm. 42. Apoplexiam fortem nullo modo, debilem non facile ſolvi poſſe ſtatuit, prævidérem; Adſtantium tamen & præcipuè Conjugis liberorumquè lacrymis motus, artis quædam præſidia tentavi ac primò quidem revulſionis gratia frictiones extremorum & ligaturas dolorificas, mox ſectionem & Cephalicæ in brachio inſtitui: Hinc Enema præſcripſi:

R. Herb. primulæ veris, betonic.
Salv. rutæ, origani,
Centaur. minor. ana mß.
Fol. lauri. flor. lavendul.
ſtæch. arabic. ana p. 1.
Rad. angel. ℥ß. Fol. ſen. ʒv.
pulp. colocynthid. in pet. ligat. ʒiß.
Sem. ſeſeleos, carui, rutæ
aneth. ana ʒiß.

Inciſa & conquaſſata coq. ex aq. ſimplici. R. Colaturæ ℥x. Electuar. hier. ſimpl. ʒvj. bened. laxativ. ℥ß. ol. rutac. caſtorei ana ℥j. ſal. gemm. ℈iiij. M. F. Enema.

Retento ultra horæ ſpacium clyſtere, alvus ſuppoſitorio acri proritata eſt, ſed absque effectu, id quod ſopiti planè ſenſus erat indicium, præſertim cum & ſectâ venâ nec

nec respiratio liberior, nec in cæteris ulla mutatio sequeretur.

Ad excitandam itaquè facultatem animalem, aquam nostram apoplecticam Heroicam cum spiritu Cerasorum nigrorum & essentia Rorismarini per vices infudimus, lingvam & palatum theriaca & Castoreo, tempora verò, verticem & nucham oleo succini inunximus; sternutatoria etiam cum Castoreo naribus inspiravimus, tandemquè & cucurbitulam, summum illud Apoplexiæ remedium, capiti imposuimus, sed frustra omnia. Labascente enim & vitali facultate, septimâ ab invasione horâ, exspiravit vir ad invidiam doctus & in omni scientiarum lingvarumque genere peritissimus.

Memoriam Amici longè svavissimi hæc mea servat Epigraphe:

EGIDIUS von der Myle/
EX NOBILI
ET IN BATAVIS FLORENTISSIMA MYLIORUM
FAMILIA NATUS,
VIR ACERRIMI JUDICII, ET
ADMIRANDAE MEMORIAE
POSTQVAM
IN HOC MUNDI THEATRO
NON ALIPTES AUT PALAESTRITA
SED ALMAE THEMIDOS
JURIUMQ;
CONSULTUS
ORATOR, POETA, HISTORICUS
UNDIQVAQ; CONSUMMATISSIMUS
PERSONAM
DECORE ET IMMORTALI
NOMINIS GLORIA
ANNOS LVIII.
SUSTINUISSET
PRAECIPITI FATO
AD COELESTIA VOCATUS
FULGET
IN PERPETUAS AETERNITATES.

CASUS XIV.

Paralysis.

N*Obilissimus Dominus FRIDERICUS à KLEIST, Venationum in aulâ Neosedinensi Magister ætate sexagenarius, postquam aliquandiu Capitis dolore, oculorum scotomia & vertigine laborasset, subito lateris sinistri resolutione tangebatur, adeò ut nec brachium nec pedem movere posset; sermone tamen & intellectu integrus; Latus affectum deprehendebatur actu frigidum, sanum econtrà calidissimum.*

RE-

RESOLUTIO.

Affectus quo cum colluctatur nobililissimus Vir paralysis est, seu abolitio motus in sinistro latere.

Proxima & conjuncta ejus causa est spirituum animalium in nervis ejusdem lateris defectus; Is verò defectus è nervorum obstructione dependet; obstructio ab humore pituitoso, viscido cavitates nervorum replente, influxumque spirituum animalium intercipiente.

Humoris autem pituitosi causa fuerunt errores in victu, cibi crassi, viscidi, excrementitii, coctu difficiles, potus largior, ventriculus frigidior &c. His & similibus de causis pituita in corpore collecta & ex parte unà cum sanguine pro nutrimento ad cerebrum delata tandem superabundans in ipsam nervorum substantiam sese insinuavit ac cavitates eorum replendo spiritibus animalibus transitum præclusit, unde motus in parte affectâ abolitio. Vitium autem ipsum in sinistra spinalis medullæ parte & quidem circa ejus initium hæret, siquidem omnibus Capitis partibus salvis, sub capite tantùm latus sinistrum afficitur.

Pars læsa frigida est, sana autem calidior, quatenus in latere affecto humores frigidi & crassi impedimento sunt, quo minus spiritus non solùm animales sed & vitales sese liberè in eam diffundere queant. Sana verò pars callidior est, quia calor influens totus in eam convertitur & quaquà versum dimanat.

Malum hoc quidem per se periculosum diuturnum & curatu difficile est, benè tamen sperare jubet reliqui corporis vigor etiam in senili hac ætate satis validus, sensuum internorum omnium integritas, tactus in affecta parte sensus incorruptus, tempus vernum curationis aptissimum & spontanea, quam Æger promittit in usu medicamentorum obedientia.

Curationem itaque auspicatus sum ab humoris pituitosi eliminatione, præmittendo primarum viarum evacuationem ne humores crudi in iis stabulantes, præparantium, quæ hic admodum sunt necessaria, usu, ad intimiora corporis nervosque deriventur:

℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Agar. trochiscat. ℈j. M. F.
Haustus.

Hinc ad humoris viscidi crassique præparationem syrupum ex incidentibus & attenuantibus præscripsi, additis Cephalicis & quæ nervoso generi amica sunt:

℞. Rad. Ireos. Enul. calam. arom.
ana ℥ß.
pæoniæ ʒij.
Herb. salv. meliss. Hyssop. prim. veris, betonic. rut. ana mß.
Flor. lavendul. stæchad. arabic. rorismar. ana p. 1.

Sem.

Sem. Siler. montan. anisi. fænic. Carui ana ℥iß.

Incis. & conquass. coqu. ex aqu. simpl. ℔iij ad remanent. ℔ij. Colat. add. Mell. anthosat. q. s. F. Syrupus tenuis, qui aromatisetur pulv. nuc. moschat. Cubebar. & Cinam. ana ℨß.

Continuato Syrupi hujus cum aquis appropriatis diluti, per dies quinque usu, alium laxativum exhibui.

R. Rad. fænicul. ℥ß.
Ireos ℨij.
Herb. betonic. paralys. flor. anth. stæch. Arab. ana mß.
Sem. anis. fænic. ana ℨij.
Passul. minor. ℥j.

Incis. & conquassat. c. ex s. q. aq. simpl. in Colatur ℔iß. infund. per noct. Fol. sen. s. s. ℨvj. Agaric. trochiscat. Turpeth. gummosi ana ℥ß. Gialapp. ℨ ij. Cass. lign. Zingiber. Galang. macer. ana ℈j. Manè ebulliant semel atquè iterum & exprimantur fortissimè add. sacch. albiss. ℥ij. M.

Cum ex iteratâ medicamenti hujus usurpatione, Æger aliquantum debilitaretur, dies aliquot quieti concessimus, exhibitis intereà quæ cor & cerebrum roborarent.

Viribus recuperatis, ad pituitam nervis tenacius impactam, ulterius attenuandam, resolvendam & discutiendam, decoctum ligni Guajaci propinavimus in hunc modum adornatum.

R. Lign. Guajac. veri ℥iiij.
Cort. ejusdem ℨj.
sassafras ℨvj.
Rad. pæon. Enulæ. Ireos ana ℥ß.

Incisis & conquassatis affund. aq. font. puriss. ℔v. stent infusa calido loco per Hor. 24. posteà coquant. ad remanent. ℔iijß.

In fine decoctionis ingerantur
Flor. salv. primul. veris, anthos lavend. stæchad. Arab. ana ℨij.
Cinamom. acutiss. ℥ß.
Cost. Ægypt. ℨiij.

Ebulliant semel atque iterum, colatura dulcoretur sacchara.

Sudavit aliquoties in Laconico, suscitato vapore ex decocto herbarum convenientium scoriis vel lapidibus ignitis insperso.

R. Herb. major. salv. Hyssopi, serpill. ana mj.
Flor. cham. mj. lavend. mß.
Bacc. junip. ℥iiij. Fol. laur. miß.

Coq. ex aq. simpl. s. q. pro suffumigio.

Hinc iterum naturæ concessa quies & roborātia usurpata: mox præmisso clystere, ad pleniorem evacuationem pilulæ præscriptæ:

R. Extract. nostr. solutiv. ℈j.
Magister. Agaric. gr. xv.
Ol. still. nuc. mosch. gt. ij. M. F. pilulæ no. IX. deaurent. fortiter.

Ad cordis, cerebri, nervosarumque

partium roborationem Essentiam ambræ cum spiritu Cerasorum nigrorum & confectione Alkermes exhibuimus: Interdum cochlear unum atque alterum sequentis mixturæ delibavit:

R. Aq. nostr. Cephalic. ℥iijß.
Carbunc. ℥j.
lil. convall. c. vin. destill. ℥ijß.
Essent. rorismar. ℥ß.
Spir. lavend. lil. convall. flor. tiliæ, ros. meliss. ana gt. xv.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒij. M.

Nec ingratæ fuêre ex succino in hunc modum paratæ Rotulæ:

R. Succ. alb. præp. ʒiß. Rad. Ireos ʒj. Ambræ gr. v. ol. stillat. cinam. gt. vj. Nuc. moschat. gt. IX. sacchar. albiss. in aq. lavend. solut. ℥iij. F. s. a. Rotulæ.

Spinam & latus sinistrum præmissis frictionibus tali ungvēto bis de die inungendum præcepimus:

R. Ol. lumbricor. compos. ℥ij. philosophor. ℥ß. vulpin. laurin, rutacei ana ℥j.
Ol. stillat. succin. ℈j. majoran. salv. rorismar. ana gt. xv.
Pingved. Castor. ʒij. Ceræ parum M. F. ungventum.

Cæterùm & particulares Capitis evacuationes per intervalla institutæ, conveniensque morbo diæta præscripta.

Cibos commendavimus succi excrementitii & viscidi expertes, calefacientes & attenuantes. Carnes assas magis quam elixas, panem semine carui, fœniculi, anisi, aut melanthii conditum; Ex piscibus saxatiles & aromatibus probè correctos concessimus, proscripto omnium alimentorum frigidiorum humidiorum & flatulentorum usu, præcipuè verò lac & lacticinia, aves item aquatiles & carnes agninas ac porcinas damnavimus.

Pro potu laudavimus Hydromel & Cerevisiam Lobsineensem, interdicto vino austero & crasso, dulce indulsimus sed minus potens & parcâ manu sumendum.

Aerem elegimus calidum & siccum, quem si pluviæ vel tempestates aliquando inviderent, arte correximus.

Somnus & vigiliæ ne modum excederent, alvusq; lubrica esset, omni studio procuravimus, & hæc omnia felici eventu, motu enim affectarum partium sensim redeunte, convaluit Æger.

CASUS XV.

Melancholia Hypochondriaca incipiens cum scorbuto & propensione in somnum.

ANNO M. DC. LII. Mense Novembri admodum Reverendus, Nobilissimus & Excellentissimus **DN. FRIDERICUS**

BUN-

RUNGIUS, Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius intimus, Pomeraniæ Orientalis Cancellarius & Canonicus Colbergensis, Compater, Adfinis & Frater meus honorandus, profundis & assiduis cogitationibus subinde detinebatur, adeò ut ad interrogata aliquando non responderet, aderat sensus gravitatis in capite, obscuritas oculorum, angustia cordis, Hypochondriorum tensiones, maculæ in cruribus & perpetua in somnum propensio.

RESOLUTIO.

Melancholiæ Hypochondriacæ semina in mesenterii, lienis, vicinarumque partium mæandris pullulascere, sensimque fumosis exhalationibus caput & cerebrum impetere, inter cætera cogitationum assiduitas & profunda tenaxq; meditatio innuit, quatenus elevati ex Hypochondriorum sentinâ vapores, spiritus animales inquinant, & quasi torpidos & ad motum segniores fixosque reddunt.

Adest *sensus gravitatis in Capite* propter crassos & fumosos halitus, cerebro ejusq; membranis incumbentes.

Visus obscurior est, spiritibus visivis permixtione fuliginum obtenebratis.

Cordis angustiam excitant tetri vapores per venas & arterias sursum tendentes & in transitu cordis regiam infestantes.

Hypochondriorum tensiones ab humore melancholico & flatu crassiore proveniunt.

Maculæ in cruribus ab ebullitione & fermentatione humoris melancholici, malignitate scorbuticâ inquinati, efflorescunt.

Propensio in somnum à vi narcotica humoris scorbutici & vaporum exindè ascendentium, dimanat.

Ut itaque tempestivè exstirparetur infelix hoc lolium, repurgatis viarum communium ductibus, missoq; ex basilicâ sinistri brachii sanguine, præparationis gratiâ per integrum novendium mixturam meam Hypochondriacam antescorbuticis impraegnatam quatuor ante pastum horis exhibui:

R. Syr. nostr. aperitiv. ℥iiij.
beton. fumar. flor. tunic. cort. citr. ana ℥ij.
Succ. depurat. coch. nast. ana ℥iiij.
Aquæ nostræ hypochondr. ℔ß.
Spir. coch. nasturt. cerasor. nigr. ana ʒij.
M. pro novem dosibus.

Hinc extracto Hellebori nigri legitimè præparato corpus electivè purgavi:

R. Extract. Helleb. nigr. ℈j.
Resin. Gialapp. gr. iiij.

Digitized by Google

M. F. pilul. n. IX. deaurentur.

Interpositâ unius diei quiete, revulsionis gratiâ pedis sinistri vena, quæ ad pollicem excurrit, aperta est.

Ex hoc essentiam meam Hypochondriacam commendavi, cujus usum saluberrimum expertus est.

Pro roborando capite, & visceribus præscripsi Electuarium;

R. Conserv. rad. cichor. fumar.
melis. borrag. bugloss.
rorism. ana ℥j.
Electuar. nostr. Cephalic. ℥iij.
Spec. elect. de gemmis, diamosch.
diamargarit. frigid. læt.
Rhasis ana ʒj.
Condit. nuc. Indic. flor. citri rad.
Scorzoner. ana ℥ß.
Conf. Alkerm. ʒiij.
Spir. ros. ʒß.
Syr. gran. dulc. q. s. M. F. Electuar.

Interdum Essentiam ambræ vel rorismarini ex aqua mea Cephalicâ, sæpius confectionem Alkermes & ex eâ additis quibusdam Cephalicis, paratos morsulos assumpsit.

Ad reprimendos ascendentium vaporum fuligines, à sumto cibo apposui Confectionem seminis carui præparati, simulquè adoramenta quædam specialiter huic scopo inservientia in formam noduli redacta, naribus destinavi:

R. Sem. nigell. carui ana ʒiij.
rutæ ʒij.
Rad. angelic. Zedoar. ana ʒiß.
Camph. gr. vx. M. F. nodulus ex
Syndon. rubr. aceto rutaceo
conspergendus.

Victum præscripsi moderatè calidum & humectantem, ex iis quæ facilè concoquuntur, benè nutriunt & flatulentiâ destituuntur, qualia sunt caro vitulina, agnina, vervecina, gallinarum, caponum, perdicum, pisces saxatiles, passulæ minores, pruna damascena, & similia.

Pro potu ordinavi Cerevisiam temperatam & vinum tenue melissæ foliis medicatum quatenus lieni & capiti prodesse animique tranquillitatem & hilaritatem inducere creditur.

Anno M. DC. LV. sub initium recruduit malum, supervenêre & alia symptomata gravissima, quibus cum ultrà semestre conflictatus è vitâ decessit Vir Excellentissimus, Patriæ nutantis columen & præsidium longè desideratissimum: dolorem ex tanti Viri & Amici incomparabilis morte cordi impressum, inter lacrymas hæc mea, quantum potuit expressit Nænia:

Ornatu nudata tuo, spoliata metalli
Nobiliore penu, dirum Mavortis & atrox
Incusas facinus POMERANIA; Rectius iram
Fato-

Fatorum & claras frequenti in funere mortes
Tot fraudata Viris defles, conamine quorum
Integrare suas poterat RESPUBLICA vires.
Nondum tergemino deflectũt annua tractu
Sydera, cum Patria Præsul meritissimus ora
DAMIZIUS properâ decessit morte Curuli:
Hinc pietate gravis, nulli & virtute secundus
GUNTERSBERGIADES & ZIZWIZ, clarus uterq;
Eloquio, clarus meritis, rebusq; gerendis,
Concilio erepti Patrum, pallentibus umbris
Ante diem squalent: Mox irreparabile & ingens
Illud præsidium Pomeranæ & gloria terræ
HORNIUS occumbit; Vir quem facundia linguæ
Judiciiq; vigor, celsis præfecit habenis.
Nunc Tu magne cadis RUNGI, cordatior alter
Quo sanctas Patriæ leges & jura tueri
Non fuit; O prudens, O pectus amabile! longi
Nestoris aut MutI, si docta mentis acumen,
Si pietas frenare necem posset, condignius ævo!
Deseritur fides Argo afflictissima Nautis
Et miseri mediis, quas undiq; & undiq; rerum
Turbida tempestas miscet jactamur in undis.
Despumasse quidem visa est Aquilonis & Austri
Noxia TEUTONIÆ rabies, sed turbine verso
Ecce novi surgunt fluctus, quos Nereus ipse
Nec sistat Triton, nisi Tu Pater optime Divûm
Segnior ad pœnas, hos tranquillaveris æstus.
Exsurge ô DEUS & bellorum nubila tandem
Auricomo pacis dispescito sydere, frange
Hostiles animos, spumantia tela Cruores
Contere & hanc nostram quæ jam viduata sareptam
Præsidiis succinge novis, reliquosq; labantis
ATLANTES Patriæ serva, moderamine quorum
RELIGIONIS HONOS RESPUBLICA PRIVAQUE tuta
Stent firmata loco, jacturæ ignana prioris.
Ast Tu, quem vita saturum, longoq; laborum
Agmine confractum fatalis sustulit hora
Care Cinis, placidè molli requiesce cubili.
Æternata polo vivet mens enthea, terris
Fama tenax meritis & parto stabit honore;

Interea & nostri monumentum latus amoris
Accipe Mnemosynes Fano quam ponimus ARAM.

FRIDERICUS RUNGIUS
QVA NATALIUM ANTIQVITATEM UTRIQVE POMERANIAE
QVA MERITORUM EXCELLENTIAM TOTI FERE SEPTENTRIONI CONSPICUUS
POSTQVAM
PATRIÆ
EJUSDEMQVE
DUCIBUS ET DYNASTIS
FIDEM ET INDUSTRIAM
RARA JUDICII DEXTERITATE
ET CIRCUMSPECTA EXPEDITIONUM
PROMPTITUDINE
DOMIFORISQVE
AD SUMMOS ETIAM REGES
ET MEMORABILE ILLUD
OSNABRUGAE CONFECTUM
PACIS NEGOTIUM
LEGATUS
PRO VIRILI CONTESTATUS
ESSET
NOVISSIME
AUSPICIIS
SERENISS. E L. BRANDENB.
DN. FRIDERICI GUILIELMI, &c.
CUI AB INTIMIORIBUS CONSILIIS FUIT, ET CANCELLARIUS OMNEM
INSTAURANDAE REIPUBLICAE
BELLI TREDECENNALIS
CALAMITATIBUS CONCUSSÆ
IMPENDIT OPERAM
TANDEM
URGENTIORIBUS CURIS ET
LABORUM PERTINACIA
PLUSQVAM MORBO
VEL SENIO
QVOD VIRIDE
ET QVINQVAGINTA TANTUM SEPTEMQ; ANNORUM
FUIT LENTE FRACTUS
ANIMAM
SERVATORI CHRISTO
IPSIS NATALITIORUM
SOLEMNIBUS INTER PRECES ET SUSPIRIA PIE
REDDIDIT,
CORPUS
REQVIETORIO NOBILI
CONJUX MOESTISSIMA
MARIA CUNDENREICHIA
DECENTI RITU
CONDIDIT.

D. XII.

Digitized by Google

D. XII. FEBR. ANN. M.DC.LVI.

Dies peregrinationis meæ parvi & mali, & non pervenerunt ad dies Patrum meorum.

Genes. XLVII.

CASUS XIV.
Melancholia Hypochondriaca confirmata.

G*Enerosus & Nobilis Dominus GEORGIUS* vom Walde / *Hæreditarius in Thunovv, &c. ultra biennium mente anxius, tristis sine causa & meticulosus, cordis sentiebat angustias & palpitationes, multa falsa imaginabatur, sæpe mortem instare metuebat, ac proinde lachrymabundus opem petebat, Hypochondriorum, in latere præsertim sinistro dolorem perpetuo accusabat, interdum murmura & ructus: Aliquando & capitis dolore, vertigine, aurium tinnitu & vigiliis aliisq; affectibus tentabatur, qui tamen sæpè eodem die intermittebant & repetebant, unde nonnunquam hilaris & loquax, mox iterum tristis & taciturnus videbatur.*

RESOLUTIO.

Symptomata enumerata Hypochondriacam phantasticã sive melancholicam indicant. *Mentis perturbatio & anxietas cum tristitia & metu & falsis imaginationibus*, à vapore melancholico ex Hypochondriis ad caput elevato, dependent, quatenus spiritus animales inquinat, conturbat & obfuscat. Idem vapor dum summa petit, in transitu cordis regiam invadit fumatique impetu eandem adeò coangustat, ut violenter palpitare & veloci arteriarum motu molestissimos hosce vapores excutere cogatur, quæ lucta cum ægro valde gravis sit, de vitâ desperat, opemque & auxilium profundè ductis implorat suspiriis.

Hypochondria tenduntur & dolent cum murmure & ructibus à coërcita & effervescente ibidẽ materiâ crassa, feculenta & tartarea.

Caput dolet à vaporibus membranas cerebri distendentibus qui ipsi & spiritus turbantes ac circulariter moventes, flatulentiâque suâ aurium tinnitum inducunt.

Intermittunt hæc symptomata, Ægerq; hilaris est, quoties evaporationes illæ fuliginosæ discussæ transparent.

Repetunt & tristitiam, metumq; incutiunt, dum novi vapores cerebrum invadunt, & spiritibus animalibus permiscentur eosque turbant.

Vigilias sicci vapores ab humore atra-

tum cultri cuſpide ter capi poteſt, ſuperbibendo hauſtum vini ſequentis:

R. Syr. de pomis Borsdorff. ℥iiij.
acetoſit. citr. ℥ij.
Julep. roſar. ℥j.
Spir. roſar. lil. convall. ana ℈iß.
Vin. Rhenan. opt. ℔iiij. M.

Cum alvus ſegnior Chalybem quotidie non deponeret, irritandum duxi enemate ex emollientibus & laxantibus; tandem & bolum purgantem præſcripſi:

R. Conſerv. fumar. ʒij.
Confect. Alkerm. ℈j.
Extract. helleb. nigr. ℈j.
Reſin. Gialapp. gr. iiij. M. F. bolus aſpergendus ſaccharo.

Excrevit ingentem humoris atrabilarii copiam, & melius habere cæpit, quin & altero die hæmorrhoides intumuêre, è quibus hirudinum applicatione feculentum ſangvinem detraximus cum notabili allevatione.

Poſtremo ad venarum meſaraicarum & viſcerum caliditatem emendandam, ſerum lactis caprini cum ſyrupo cichorii alteratum nòvem diebus continuis exhibuimus.

Aliquando & balneo aquæ dulcis uſus eſt, nec alia externa omiſſa, tus, fomenta, emplaſtra & ſimilia. Intereà dum hæc fierent ad reprimendum vaporum adſcenſum ſæpè liquid datum eſt, præſertim à paſtu ſub horam ſomni:

R. Sem. coriandr. Aceto deſtill. præp. ℥ß.
Spec. aromat. roſat. diatr.
Santal. aromat. roſat. diatr.
Condit. nuc. Indic. ℥ß.
Carn. cytonior. ʒvj.
Nuc. moſchat. ℈iiij.
Conſerv. roſar. veter. ℥iß.
Sacch. albiſſ. in aq. roſar.
Solut. ℔ß. M. F. ſ. a. Morſuli.

Ad cerebrum, ventriculum, aliasque partes principes roborandas præſcripſi Electuarium:

R. Conſerv. rorismar. meliſſ.
borragin. ana ℥js.
Cond. rad. Eryngii cichor. ana ℥ß.
Nuc. indic. condit. ʒvj.
Cort. citr. aurant. cond. ana ℥ß.
Confect. Alkerm. ℥ß. Flor. citr. condit. ʒv.
Spir. roſar. lil. convall. ana gt. xiij.
M. c. ſyr. de cortic. citr. q. ſ. F. Electuarium.

In ipſo paroxyſmo feliciter exhibui Opiatam meam Antimelancholicam:

R. Confect. de Hyacyntho ℥j.
Alkerm. ʒß.
Lapid. Bezoar. ℈j. Smaragd. præp. ℈ii. Corn. alcis absque △ calc. ʒi. Magiſt. ſuccin. alb. perlar. corall. rubr. ana ℈j.
Spir. roſar. rubr. Idæi. lil. convall. ana gt. xiij.

Digitized by Google

Syrup. flor. pæon. q. s. M. F.
Opiata.
Dosis à ʒß. ad ʒj. ex seq. aquar. mixturâ:

R. Aq. nostr. Cephalic. temper. ℥iiij.
Cord. frigid. ℥ij. Carbunc. ℥j.
Cinam. c. flor. borrag. absque vin. destillat. ℥ij.
Spir. lil. convall. flor. tiliæ, rosar. rub. Idæi ana gt. xv.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒij. M.

Ad vaporum discussionem egregiè proficit Errhinon grani unius atque alterius pondere naribus inspiratum.

R. Flor, lil. convall. gr. xxj.
Fol. betonicæ gr. xv. Amb. grys. moschi ana gr. M. F. Pulvis.

Urgentibus vigiliis propinavi Emulsionem:

R. Sem. papav. alb. ʒiij. melon. exc. ʒiß. Aq. nostr. somnifer. violar. borrag. ana ℥j. M. F. Emulsio, add. margarit. præpar. ℈j. spir. rosar. gt. XI. M.

Cum præpotentis DEI auxilio præsidiis his methodicè adhibitis à pertinaci & molestissimo morbo liberatus esset, suasi, imposterum singulis annis tempore verno & autumnali corpus blandè purgaret, omnesque in victu errores, quantum possibile devitaret, eamque observaret diætam, quam peculiari scripto consignaveram; Sic fore ut ab immanissimi affectus recidivæ liber & immunis esset.

CASUS XVII.
Incubus.

Generosus & Strenuus DN. ABRAHAMUS SCHONNICKEL, Equitum in exercitu Imperatorio Magister, ebrietati deditus, quoties supinus decumberet, sub initium somni onere gravissimo se premi, interdum ab hoste invadi & quasi strangulari somniabat, ita ut neq; clamare, neq; se movere, neq; fugere posset, donec tandem multo labore & conatu de somno expergisceretur.

RESOLUTIO.

Incubus quem signa præsentiæ manifestè detegunt, à levi obstructione meatuum cerebri, qui ad initium spinalis medullæ excurrunt, dependet, quatenus spiritus animales obstructis viis ad organa sensus & motus liberè deferri nequeunt. Obstructionis hujus causa non est humor, sed vapor, citò namque fit, & citò desinit: vapor iste à pituita viscida & crudis humoribus in hypochondriis & circa præcordia hærentibus elevatur. Quoties enim per crapulam & cruditatem, vel aliis de causis turgescit & movetur, diaphragma & pulmones comprimit,

t, inde in cerebrum delatus nerrum principium quodammodo ſtruit, motumque thoracis, deneto ſpirituum animalium influxu pedit, quo impedito & reſpira- & vox intercipitur, & phantaſia is triſtibus turbatur. Levior eſt ſtructio, aliàs enim earum vel aplexiam induceret.

Invadit ſub initium ſomni, quates hoc tempore vapores craſſios majori copia ad caput elevãtur.

Cum ſupinus decumbit Æger, quia omptior tunc eſt vaporum ad cat adſcenſus, qui ipſi & facilius in cham & poſteriores cerebri par- & ſpinalis medullæ principium untur, cum meatus in illo decubinonnihil deprimantur.

Multo labore & conatu expergitur, quia vapor craſſior eſt, & rcoticæ qualitatis particeps.

Curationem difficilem fore præxi, non tam morbo quam intemantiâ Ægri territus. Severius que monui ab ebrietate, repletie & crapula ſibi impoſterum caret, vini potentis & cereviſiæ craſris valdeque lupulatæ uſum, ciosq; flatulentos & vaporoſos detaret, ſobriè frugaliterque viveret, rcius cœnaret nec à ſumto cibo ſomnum niſi elapſo trihorio ſe mponeret, ſupinusque nunquam cumberet.

Ad ventriculum primasque vias pituitoſi humoris infarctu liberandas exhibui decoctum meum laxativum. Hinc ob plethoram ex Cephalicâ brachii ſangvinem detraxi. Mox ad materiæ viſcidæ, lentæ & craſſæ inciſionem, attenuationem & præparationem, mixturæ ſequentis ſingulis matutinis uncias tres exhibui:

R. Aq. hyſſop. betonic. ana ℥iij.
fœnicul. ſalv. ana ℥ij.
Syr. de betonic. Hyſſop. ana ℥ij.
Oxymel. ſimpl. ℥iij. M.

Pro electivâ purgatione præſcripſi pilulas:

R. Extract. Agaric. ℈ſs.
Panchym. Croll. ℈j.
Ol. ſtillat. fœnicul. gt. iij.
M. F. pilul. no. xiij. deaurentur.

Ad revulſionem pedilavia inſtitui & frictiones, poſtmodùm & ſaphenæ ſectionem.

Pro roborando ventriculo & Cerebro commendavi diacorm. tribus ante cibum horis ſumendum, Conſervam item florum tunicæ cum Confectione Alkermes, Eſſentiam ambræ, rorismarini, magiſterium Coraliorum, perlarum &c.

Ad reprimendos vapores, à paſtu ad cubitum ituro dedi tragæam:

R. Sem. coriandr. præp. ʒvj.
pæoniæ ʒiſs.
Cinam. macer. Cariophyll.
ana ℈j.
Corall. rubr. præp. ʒj.
Ol. ſtillat. carui gt. XI.
Nuc. moſchat. gt. vij.

Rotul. man. Christ. perlat. ℥iiß.
M. F. Tragæa.

Ad particularem Capitis evacuationem præscripsi pulverem ex foliis betonicæ, majoran. florib. lil. convall. & ambrâ.

Naribus odoramenta caput roborantia & vapores discutientia destinavi ex balsamo rutæ, succini, rorismarin. &c.

His usurpatis, rarius quidem invasit malum, cum tamen ob repletionem & compotandi consuetudinem, recurreret, monui Cubicularium, ut quoties in somno quiritantem & lamentantem audiret, statim corpus leniter vellicaret, dormientem compellaret & excitaret ac deinde pro vaporum revulsione & discussione extrema pannis asperis & calentibus aliquandiu fricaret, tandemque pulveris sive tragææ supra descriptæ tantillum exhiberet, quo facto insultus quidem breviores sensit, biennio tamen post, Epilepsiâ exstinctus est.

CASUS XVIII.
Catharrus.

Nobilissimus DOMINUS BERNHARDUS Schultzen / *ex finibus Regni Turcici per Podoliam & Poloniam tẽpore hyberno in Pomeraniam iter faciens, gravitatem quandam & tensionem Capitis sentiebat cum defluxione ad fauces, tussi & rejectione materiæ viscidæ & pituitosæ, nares erant obstructæ, facies subtumida, somnus profundus, urinæ albicantes & turbidæ, alvus subpressa.*

RESOLUTIO.

Catarrhum à causâ frigidâ excitatum judico, quatenus reclusis à frigore externo poris, per quos aliàs vapores exhalare solent, materia Catarrhi cumulata vel aliis de causis in capiti congesta, vi ambientis & ad ipsum Cerebrum per vias patentes penetrantis frigoris, cõmota & expressa, ad facies defluit.

Capitis gravitas & tensio à pituitâ cerebrum occupante membranasque distendente excitatur.

Tussim humor à capite ad fauces & asperam arteriam sensim defluens excitat.

Nares obstruuntur ab humore crasso ossa ethmoida obsidente & exspirationem impediente.

Facies tumet diffusis in musculorum externorum spacia humoribus.

Somnus profundus à Cerebro refrigerato & humectato dependet.

Urinæ albicant & turbidæ sunt à crudorum & pituitosorum humorum in venis & meatibus contentorum copiâ.

Alvus

Alvus subpressa est ex repletione
-stinorum à pituita ob quam
-ulum ita facilè percipere non
-sunt.
-Ante omnia itaq; lenienti phar-
-co alvum laxandam censui exhi-
- decocto meo solutivo: Hinc
-præparationem materiæ frigidæ
-dæ & crassæ mixturam ex cale-
-ntibus, incidentibus, & attenu-
-bus præscripsi:
-q. salv. beton. fænicul. ana ℥ij.
Hyssop. ℥iij.
-r. de betonic. Hyssop. ana ℥iß.
-xym. simpl. ℥j. Essent. rorism.
-j. M. pro 4. dosibus.
-niversali corporis purgatione
-pilulas:
-xtract. pil. de hier. c. agaric.
phlegmag. ana ℈j.
-l. stillat. salviæ gt. iij.
-syr. de Hyssop. F. pilulæ. no. IX.
deaurandæ.
-articularem Capitis evacuati-
-n Errhinon præscripsi:
-q. major. ℥j. pulv. sem. nigell.
-fol. betonic. ℈ß. ambr. gr. iii.
attrahatur naribus per vices
-jejuno ventriculo.
-paullò remissius ageret, addi-
-stillum flor. lil. convall. & ta-
-simulquè nares obstructas in-
-ali balsamo:
-ngved. anserin. c. aq. majo-
-ter lotæ ℥ß. ol. stillat. ma-
-n. gt. v. salviæ. beton. ana gt.
iij.

M. F. Balsamus.

Repurgato convenienter corpore & capite, ad reliquam catharri materiam exsiccandam caputque corroborandum singulis matutinis cochlearia tria aquæ Cephalicæ exhibui:

R. Aq. lign. sassafr. ℥iiij.
Aq. lil. convall. c. vin. destill. ℥ij.
Cubebar. ℥j.
Meliss. ℥ij.
Essent. rorismar. ℥ij.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒij. M.

Vesperi sub horam decubitus Electuario usus est, quo simul & vaporum adscensus inhibetur;

R. Electuar. nostr. Cephalic. ℥iij.
Conserv. rosar. rubr. ℥j.
Nuc. Indic. condit. ʒvj.
Medull. nuc. Indic. cond. ʒij.
Cubeb. ʒiiß. Coriand. præp. ʒiß.
Thur. oliban. ℈ij. Essent. salv. ʒij.
M. c. syrupo de Rosis q. s. F. Electuarium.

Capiti pileolum sive Cucupham ex speciebus siccantibus & roborantibus destinavi:

R. Fol. meliss. salv. majoran.
Origan. ana p. ſ.
Flor. rosar. rubr. ʒij. lavendul.
stæch. Arab. rorismarini pæoniæ, tunic. ana ʒj.
Thur. nuc. moschat. Cinamom.
Caryophyll. gran. kerm. ana ʒß.
Gumm. Elemi Benzoes ana ʒj.
storac. calam. ʒij.
Grosso modo trita syndon. rubr.

 in-

includantur, frequentique filo interbaſſata in formam Cucuphæ redigantur.

Pro pedum lotione ſequentia præſcripſi:

℞. Herb. ſalv. Hyſſop. Origan.
Thym. beton. majoran.
ana mj.
Flor. chamæm. miſs. ſtæch. mi.
Summitat. aneth. mi.
Bacc. Juniper. ℥ij. ſalis ℥iij.
Incid. groſſ. modo pro pedilavio.

A lotione & abſterſione plantæ pedum medullâ Cervinâ, quantum ferre potuit calidiſſimè inunctæ ſunt, ſicque à defluxionibus moleſtiſſimis, DEI gratiâ, plenè liberatus eſt, vir integerrimus meique amiciſſimus.

CASUS XIX.

Catarrhus ſuffocativus.

Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarius intimus, Capitaneus & Oeconomiæ in Pomerania Orientali Director, Nobiliſſimus Dominus JACOBUS HEIDEBRECK, Hæreditarius in Parnavv, Byzigker & Cratzig &c. poſt vehementem corporis & animi commotionem defluxione cum impetu ad fauces & pectus ruente tentabatur, reſpirabat difficillimè cum ſummo ſtertore & pectoris elevatione, adeo ut à ſuffocationis periculo parum abeſſet.

RESOLUTIO.

Pectus & pulmones à Catarrhi depluvio impetuosè infeſtantur, quatenus per vehementem corporis & animi commotionem, materia in capite agitata & à calore fuſa ac liquata in partes ſubjectas βιαίως καὶ ἀθρόως irruit.

Reſpiratio difficilis eſt, propter aſperæ arteriæ & pulmonum ab humore viſcido à capite irruente, obſtructionem.

Cum ſtertore, ob viarum per quas ſpiritus ducitur, anguſtiam; *& elevatione*, propter motum thoracis præter naturam auctum.

Suffocationem defluxio repente, ſubitò & confertim in fauces & pectus irruens minatur.

Et ſi verò in præſenti vitæ periculo verſari videretur Æger; ſpem tamen aliquam faciebat conſtans virium robur, unde in præcipiti malo, haud cunctandum eſſe duxi, ſed omni potius conatu allaborandum ut materia ad fauces & pectus defluens, revellendo, derivando & quibuscunque modis in plures partes diſtraheretur, defluxionumque impetus cohiberetur. Quo fine alvus ſuppoſitorio acri, mox & clyſtere provocata; Hinc frictiones extremorum pannis calentibus & aſperis inſtitutæ, cruribus & brachiis

iis cucurbitulæ applicatæ, futuræ ronali capitis quod calvum erat ratum Galeni ex ſtercore Columrum & thapſiâ impoſitum. Nua oleo ſuccini inuncta, nihilq; con quæ ſuffocationem impedire terant, neglectum.

Remittente quodammodo fluınum impetu materiam à capite pulmonibus ad ventriculum & eſtina trahere, indeq; per alvum acuare viſum eſt, exhibitis deconoſtri laxativi ℥ij. Agarici troſcar. ℈j. Gialapp. gr. vij. Excreſeptem dejectionibus ingentem noris pituitoſi copiam, liberius reſpirare cæpit; Ne tamen alid materiæ in inſidiis remaneret, expectorationes promovendas ſcripſi Emulſionem, cujus uſum m in ipſo Paroxyſmo valde faſrem expertus eſt, ſumendo per es cochlearia quatuor vel quinq;

Condit. rad. enul. ℥iſs. Cortic.
 aurant. cort. citri ana ℥ſs.
ncif. contund. in mortar. poſteà
 affund. Aq. hyſſop. ℥vj.
 fænic. ℥ij,
xprim. fortiſſ. & colent. add. Aq.
 aſthm. Rudolph. Imperat. ℥j.
 cinam. ℥ij.
ooch ſan. & expert. ℥ſs. M.

DEI gratiâ, præter omnium ectationem & ſpem ex Achei quaſi palude liberatus eſt Æger; Ne verò deinceps in hanc ſcyllam defluxionibus admodum obnoxius, incideret, ſuaſi obſervata frugali diætâ, ſæpius pilulis de ſuccino Cratonis & vino Adriani Papæ contra catarrhos, uteretur, quo facto in huncusq; diem ab omni morborum inſultu, præter mirabilem illum palpebrarum affectum, cujus in Epiſtolis meis Medicinalibus fit mentio, immunis vivit.

CASUS XX.
Tumor palpebrarum.

L*IDGARDIS CUNDENREICHIA, Conjux Viri integerrimi DN. JOHANNIS CALSOVVEN, tumore quodam laxo & quaſi Oedematoſo afficiebatur, ſine omni dolore & moleſtiâ, niſi quod oculos aperire non poſſet.*

RESOLUTIO.

Ἐμφύσημα hoc ab humore aquoſo, ſeroſo & flatulento, quo abundare videbatur ægra, natum eſt.

Fomentavi palpebras decocto florum chamæmeli, rutæ, cumini; Inunxi eaſdem oleo anethi & rutæ, ſed fruſtra. Humores itaque ſeroſos evacuandos eſſe duxi exhibito pulviſculo:

℞. Crem. ♀ri ℈ij. magiſter.
 Gutt. Gamandr. gr. vij.
 Reſin. Gialapp. gr. iij. M.

Poſt-

Digitized by Google

Poſtmodum palpebris Emplaſtrum applicui;

R. Pulv. ſem. cumin. ſubtiliſſ. ℥iij.
Farin. tritic. fabar. ana ℥iß.
Mell. roſat. q. s. M. F. Emplaſtrum.

Intra biduum penitus evanuit tumor, brevi tamen recruduit, impoſui denuò emplaſtrum, iterum ſubſedit. Verùm cum ſæpiùs poſteà recurreret & Cachexiam ſubeſſe animadverterem, convenientibus remediis eandem expugnavi, ſicq; ab omni recidivâ immunem præſtiti.

CASUS XXI.

Ex verruca in oculi ſiniſtri palpebrâ malè curatâ Cæcitas.

M*ECHTILDIS* von Polslem / *Uxor DN. GEORGII FROREICHII Quæſtoris in Epiſcopatu Caminenſi provincialis, myrmeciam ſive verrucam glabram & ſeſſilem in oculi ſiniſtri palpebrâ multis annis alebat, nullo adhibito remedio, ſiquidem moleſtiæ & doloris erat expers. Obtulit ſe tandem ultrò Cheirurgus quidam Caſtrenſis opem exiguâ herbulâ pollicitus; Succo nimirum ex Eſulâ recenti expreſſo verrucam illinivit, ſimulquè linteolum eodem ſucco imprægnatum, oculo clauſo ſub veſperam palpebræ impoſuit, noctu totius oculi tumor & inflammatio ſuborta, tam atroci cum dolore & cruciatu, ut de vitâ deſperaret Ægra.*

RESOLUTIO.

Accerſitus, ad leniendos immaniſſimos cruciatus lac muliebre inſtillavi oculo, idemquè & palpebræ cùm petiis duplicatis tepidè applicui. Fronti autem & temporibus Epithema ex repellentibus induxi. Mox ad inflammationem coërcendam apertâ in cubito venâ ſangvinem ad uncias ſeptem detraxi.

Hinc alvum Enemate convenienti provocavi, aliaque revulſionum media adhibui; Dolore nihilominus perſeverante & immane quantum ſæviente cataplaſma anodynum tepidè impoſui;

R. Pomor. dulc. no. iii coq. ex aq. roſar. & plantag. q. s. ad mollitiem, trajiciantur per cibrum pulpæ add. ſacchar. albiſſim. ℥ii. Camph. gr. XI. Croci gr. v. M. F. Cataplaſma.

Hujus uſu ſæpiuſculè repetito immaniſſimi dolores mitigati, poſtmodùm ex toto remiſère, quin & ipſe tumor ſenſim diſparuit: Oculus verò à mordaci & erodente thythymali ſucco inſigniter læſus,

in

a calamitosam cæcitatem concesserit.

Galenus 10. de usibus partium parte 12. scribit in somno se accusatum fuisse, quod oculorum munera non satis accuratè explicasset; quid de hoc Barbitonsore medicastro oculos aliorum temerario ausu excæcante olim fiet, cum in die illo decretorio omnium reddenda erit ratio? *stultorum adjumenta, nocumenta* ut habet vetus Emblema, quo pingitur villicus anseres per amnem portans, dum cavet ne mergantur, cingulo collo tenus allitos, jugulat.

Anseribus Fatuus constringit colla per amnem
Dum vadit; Hoc stulti more juvando nocent.

CASUS XXII.

Palpebrarum paralysis.

DE mirabili hoc affectu vide Epistolarum mearum Medicinalium Libr. 1. Epistolam primam & sequentes, cum celeberrimorum quorundam Galliæ, Italiæ, Germaniæ & Belgii Medicorum consiliis & facultatis medicæ in Alma Leucoreâ responso.

CASUS XXIII.

Rubedo oculorum, lachrymæ & videndi imbecillitas.

DN. Laurentius Gutschmer, Senator Colbergensis, temperamenti calidi & humidi de rubedine oculorum & visus obscuritate querebatur, lachrymis continuò profluentibus cum mordaci dolore & ardore, facies perpetuo rubore suffusa videbatur; Hypochondrium sinistrum dolore gravativo pressum.

RESOLUTIO.

Ophtalmiæ quam patitur Æger, causa proxima est sanguis biliosus & serosus, qui partim per venulas tunicæ annatæ diffunditur & rubedinem, ardorem & dolorem excitat, partim ad oculorum superficiem & angulos delatus lachrymas movet; utroquè nomine videndi obscuritatem inducit.

Sangvis iste biliosus & serosus generatur vitio Epatis & lienis: Epar enim intemperie calidâ, quod inter alia facies rubore perpetuo suffusa arguit, affectum, multum bilis generat; lien autem, ut dolor gravativus in hypochondrio sinistro innuit, obstructus, materiam serosam ab alimentari non rectè secernit, unde in totum corpus uterque humor unà cum sangvine dimanans, aliquâ sui parte per venas

nas & arterias capitis & temporum ad oculos suâ uaturâ & vitio quodam hæreditario debiles, confluit & ibidem prædicta symptomata excitat.

Ad sangvinis itaque vitiosi evacuationem & revulsionem, præmisso minorativo, Cephalicam dextri brachii aperire placuit, cùm longâ experientiâ constet in quacunque ophtalmia venæ sectionem multum prodesse, adeò ut etiam vehementissimi oculorum dolores solâ venæ sectione intra horam sublati sint. Galen. lib. de curandi ratione per sangvinis missionem cap. 16. & 17.

Hinc ad præparationem humoris biliosi præscripsi Jolabium:

R. Syr. violar. ℥iij. affund. spir. ⊕li gt. xv. M. exactissimè posteà add. Aq. cichor. ℥vi. fragor. rosar. Euphras. ana ʒij. m. pro 4. dosibus.

Pro evacuatione potiunculam ordinavi:

R. Decoct. nostr, laxativ. ℥ij.
Extract. Rhabarb. ℈i.
♀i ⊕lat. gr. iiij.
Syr. rosar. solutiv. ℥ß. M.

Hisce præmissis particulares Capitis evacuationes per apophlegmatismos & gargarismos institui, rejectis errhinis, quæ cum ad anteriora & oculos trahant, merito suspecta sunt.

Nec omissæ diversiones, derivationes & revulsiones per cucurbitulas scarificatas, frictiones, pedilavia & vesicatoria ponè aures applicata: Setaceum Agyrta quidam ante biennium cum Dantisci in Borussiâ, eodem affectu affligeretur, collo injecerat, sed infelici successu; subortâ enim aliquoties in perforatâ cervice insigni & ferè incompescibili hæmorrhagia, Æger de vitâ periclitabatur, adeò ut remoto setaceo vulnus iterum consolidari oportuerit; Ejus loco fonticulum in brachio excitavi, cujus fluxum etiam nunc salutarem experitur, antehac perpetuis destillationibus obnoxius.

Ex topicis mox inter initia repellens Epithema fronti & temporibus induxi:

R. Flor. balaust. rosat. rubr. ana p. i. Santal. rubr. ʒi. Coqu. ex aceto rosacco; In colatura conquassetur albumen ovi unius, posteà add. Bol. Arm. terr. sigillat. ana ʒiß. Thur. oliban. ℈j. M. F. Epithema.

Oculis instillavi essentiam florum Cyani, excellens fluxionum calidarum, acrium & salsarum oculos impetentium remedium.

Dolorem oculorum, si quando urgeret, lacte muliebri & pauco opio feliciter compescui.

Intereà & hepati, quod calidissimum erat & lienis oppilationi consulendum duxi, exhibito per dies

[di]es aliquot sero lactis caprini cum [s]ucco cichorii, Endiviæ, fæniculi, [fu]mariæ, cujus usu continuato etiam acrimonia humorum egregiè [t]emperata, adeò ut à fluxionibus [m]olestissimis omninò liberaretur [Æ]ger, visu tamen nonnihil obscuro [&] hebeti.

CASUS XXIV.

Visus diminutio subito exorta.

D*N. NICOLAUS HOLPERI, Scholæ Calmariensis in Sveciâ Rector, temperamenti calidi & humidi corpore obesus & plethoricus, cum hyemante cælo, visitandi Amicos gratiâ, rus concessisset, ibidemq; benè potus in conclavi supra modum calefacto integram noctem quievisset, manè expergefactus ingentes capitis & oculorum dolores, hinc visus quandam obscuritatem sensit, quæ paucorum dierum decursu in tantum aucta est, ut literas tàm scriptas quàm prælo expressas etiam grandiores dignoscere amplius non posset, oculis planè claris apparentibus, citra ullum eorundem vitium, nisi quod pupilla nigrior quodammodo & amplior videretur: Objecta tamen lucida & majuscula haud difficulter agnoscere & discernere poterat.*

RESOLUTIO.

Excrementa Cerebri pituitosa calore nimo Hypocausti fusa & liquata in nervos opticos illapsa, visus obscuritatem peperisse, nullum est dubium. Obstructis enim nervorum meatibus spiritus animales ad oculos deferri nequeunt; quanquam in præsenti casu nervi visorii non ex toto obstruantur, aliàs enim perfecta adesset cæcitas, sed ex parte tantùm, unde Æger objecta quædam præsertim lucida agnoscere & discernere valet.

Malum quidem curatu difficillimum, cum materia nervos obsidens in profundo lateat, & crassa sit, nec facilè discuti aut loco suo dimoveri possit; aliqua tamen restitutionis spes exindè affulget, quod visio non prorsus abolita & reliqua corporis constitutio satis firma & vegeta, quin & ipse Æger dicto obediens & temperantissimus.

Curationem itaquè in nomine Christi aggressus ad evacuationem præliminarem, præscripsi potiunculam.

R. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Extract. agarici ℈i.
♀ri ⊕lat. gr. iij. M. F. potiuncula.

Altero die ob plethoram, quæ in

 hoc

hoc viro insignis erat, phlebotomiam in brachio dextro institui.

Hinc ad humoris pituitosi præparationem & attenuationem ordinavi mixturam:

R. Aq. fœnic. ℥iiii. beton. hyssop. Euphrasiæ ana ℥ii.
Syr. nostr. ophtalm. ℥ii.
aperitiv. ℥iii.
Oxymel. squillitic. ℥iss.
Mixta filtrentur per chartam emporeticam pro quinque dosibus.

Præparatam materiam electivâ purgatione eduxi;

R. Mass. pilul. nostr. Cephalic. ℈i.
Extract. panchym. Crollii ℈ss.
Trochisc. alhandal. gr. ii.
⊖ Euphras. gr. iii. ol. fœnic. gt. ii.
M. F. pilulæ No. XI. deaurentur fortiter.

Universalibus hoc modo præmissis subjunxi particulares capitis evacuationes.

R. Sem. nigell. ℈ii. Agaric. trochisc. ℈i.
Piper. alb. Helleb. alb. ana ℈ss.
Fol. majoran. ℈i. Ambr. mosch. at. ana gr. ii.

M. F. pulvis magnitudine pisi jejuno ventriculo naribus attrahendus. Pone aurem utramque vesicatoria applicavi, quatenus eo loci ramus à venâ iugulari intro subit, qui ad nervos opticos utrinque vergit.

Excitari posteà & fonticuli in brachiis.

A setaceo autem totus abhorrebat.

Repetitio pilularum suprà descriptarum usu, ad insensibiliter resolvendam & discutiendam materiam lotiones capitis institui.

R. Sarsparill. ℥ii. stæch. Arabic. beton. Euphras. ana mii. verben. majoran. Rorismarin. hyssopi, salviæ ana mi. coquantur in livivio quo caput levetur.

Loco saponis agarico crudo caput fricetur inter lavandum, egregiè enim pituitam resolvit & discutit.

A lotione, caput, tempora, & frontem aqua Cephalica Caroli Quinti conspersimus, superinductâ Cucuphâ ex sequentibus:

R. Fol. major. origan. betonic. salviæ, verbenæ ana mss.
Flor. stæch. Arabic. Rorismarin. ana p. i. Lign. sassafr. ʒiii. Nuc. moschat. Caryophyllor. macer. ana ʒss. Gummi Elemi, storac. calamit. ana ʒi. succin. alb. ʒiss.
Trita obducantur syndone rubr. pro Cucuphâ.

Ad pituitam in capite absumendam & cerebrum visumque roborandum præscripsi Electuarium:

R. Electuar. nostr. ophtalmic. ℥iiii.
Cephal. ℥ii.
Nuc. Indic. cond. ℥i. Medull. nuc. Indic. cond. ʒiss. Cubebar. ʒiii. sem. siler. montan. ℈ii. succin. alb. præp. ℈i. macer. ℈ii. spi-

spirit. Euphras. ℥ii. Essent. rorismar. ℥i.
M. c. Syrup. de stæchade Arabic. q. s. F. Electuarium.

His tantùm obtinuimus ut literas majusculas iterum legere & obvia quæque aëre sereno dignoscere posset; quare ulterius progrediendum & repetitis evacuantibus ad ligni Guajaci, sassafras, aliorumquè penetrantium medicamentorum usum accedendum esse duximus; sed filum Curationis abrumpere coëgit instantis brumæ sævities, navigationibus periculosa, neque enim hybernare nobiscum, ob rei familiaris incommoda, poterat Vir optimus. Suasi itaque domi decocto ligni uteretur, sæpiusque pilulis de succino Cratonis & Extracto Agarici caput purgaret, frequentissimè autem & ferè quotidiè Electuarium opticum Mynsichti cum spiritu Euphrasiæ vel aquam nostram opthalmicam usurparet, observato decenti & temperato victus regimine, vitando imprimis cibos crassos & concoctu difficiles, carnes fumo siccatas vel in muriâ maceratas, exta & extrema animalium, viscosa omnia ut & legumina præsertim panicum visui nocentissimum, lactucas, pisa, lentes, brassicam, cepas, raphanum, sinapi, lac & lacticinia, caseum, olivas, dactylos, castaneas nuces, semen cannabis, cancrorum carnes, mel, acetum, vinum generosum, & vaporosa omnia quæ caput replent. Cibi condiantur Cinamomo, nuce moschata, Euphrasia, fæniculo, roremarino, majoranâ, salvia. Monui prætereà oculos diligenter custodiret ab aëre frigido, vento, fumo, pulvere, veneris quoque intempestivæ usum ac crapulam cane pejus & angve fugeret, animique affectiones prudentiæ freno, non minus ac cætera omnia ita temperaret, ne modum excederent, quantum possibile.

CASUS XXV.

Visus debilis ad remota.

Studiosus quidam juvenis queritur se mensæ assidentem legere posse etiam minutis literulis consignata, non tamen internoscere, si qui hominum conclave ingrediùtur, donec proximiùs accedant, longiùs verò dissita planè se non cernere: duravit iste affectus jam ferè sesquiennio.

RESOLUTIO.

Vulgaris est opinio, spiritum opticum si sit lucidus, tenuis & multus, facere ut Homo exquisitè & distinctè omnia cernat, tàm propinqua, quàm remota: Si sit lucidus & tenuis at paucus, propinqua

tantum facilè agnosci, remota autem & valdè luminosa, difficulter; si sit lucidus & multus, at crassus, remotiora melius cerni; Si lucidus, crassus & paucus, nec remota nec propinqua expeditè videri; Obscurum verò visui planè incommodum esse & tanto magis quo crassior est.

Verùm hæc opinio ut rectè monet Sennertus admitti non potest;

I. Quia falsâ nititur hypothesi, visionem nimirum fieri per emissionem radiorum.

II. Quia caussam curti visus ponit esse paucitatem spirituum, cum tamen affectus iste peculiaris sit juvenum, in quibus nullus spirituum defectus animadvertitur. Etenim cum spiritus deficiunt, plerumque etiam in aliis sensibus vitium aliquod percipitur, quatenus cerebrum spiritus non solum oculis sed & aliis sensuum & motus organis suppeditat. Contra videmus alios ex morbo diuturno debiles & quorum penè omnes exhaustos credas spiritus ad longinqua spatia visum protendere.

Platerus caussam cur aliqui propinqua tantum, aliqui remota saltem rectè vident, rejicit in situm humoris crystallini scribitque lib. 2. prax. cap. 7. illis qui propinqua rectè & acutè, distantia verò minimè possunt cernere, humorem crystallinum in posteriore paullò sede oculi versus nervum retiformem suam sedem obtinere; illis verò qui res propinquas minùs vident, sed easdem procul ab oculis remotas rectius intuentur, crystallinum humorem à sede suâ naturali antrorsum versùs pupillam magis inclinare, quod senescentibus plerisquè, aliis citius, aliis tardius evenire putat.

Contra hunc disputat Plempius lib. 4. Ophtalmographiæ problemate 39. & vitium non in situ humoris crystallini sed tunicæ retiformis hærere ex principiis Kepplerianis prolixè demonstrat, tandemquè concludit, eos qui propinqua duntaxat distinguunt, retiformem habere à pupilla remotius sitam, ita ut longinquarum rerum perceptione nequeat illa ad pupillam accedere; Cum ergò longinquè posita objecta radios mittant quasi parallelos & hi citò in conum desinât, atque adeò requirant retiformem propinquiorem, fit ut in talibus hominibus non præbeant distinctam repræsentationem.

Porrò talem tunicæ retinæ situm vel à nativâ formatione esse tradit vel ex vitæ institutione; quemadmodum vitam agentes sedentariam intra parietes, vel manuariis aliis artificiis subtilibus incumbentes; His enim continenter propinqua tantum obtuentibus, in eo situ firmatur retiformis & indurescit,

ut

ut ad remota repræſentanda reddatur inepta.

Contra longinqua diſtinctius quam propinqua videntes retiformem habere pupillæ magis admotam, qualiter nempè retiformem conſtitutam eſſe oportet, ut remoti objecti radios diſtinctè exhibeat & hinc viſum vel à natura vel conſvetudine contrahi ſcribit, quatenus illi qui à puero venationibus, aucupio, navigationibus vel itineribus deditiſunt, oculos ad remota cernenda adſveſcunt.

Cæterum & aliam curti viſus cauſam adducit, humores nimirum oculorum craſſos & turbidos, quatenus ſpecies eminus venientes & craſſos oculi humores ingreſſæ retunduntur & vel penitus exſpirant atque immoriuntur illic, antequam retinam attingant, vel ita debilitantur, ut non niſi debilem ac confuſam viſionem aptæ ſint producere. Cominus verò eodem venientes, cum quo propius ab ortu ſuo abſint, eò ſint vegetiores, integrè poſſunt & validè ferire retinam tunicam, adeoquè efficere viſionem diſtinctam. His diligenter penſitatis, cauſſam imminutæ ad remota viſionis, quâ afficitur Studioſus iſte, ad humorum oculariorum craſſitiem referendam eſſe cenſeo. Situm enim ſeu humoris cryſtallini ſeu tunicæ retiformis à naturâ rectè fuiſſe conſtitutum vel ex eo patet, quod utraquè tam remota quam propinqua exquiſitè & diſtinctè cernere potuerit, nec immutatum fuiſſe ex vitæ inſtituto, veriſimile eſt. Humores autem ocularii, facilè craſſi & turbidi reddi potuerunt ex victu, quo uſus eſt, craſſo & inordinato, cibis lentis, viſcidis, concoctu difficilibus & multo humore crudo abundantibus, potu largiore, ac intempeſtivè priore nondum concocto, aſſumto &c. Victus itaq; meliorandus, humores pituitoſi & craſſi præparandi & evacuandi, deniquè uſurpanda quæ craſſitiem & obſcuritatem in humoribus, quãtum poſſibile eſt, tollunt, oculosq; roborant & viſum acuunt.

Prius conſiſtit in fugâ alimentorum, quæ craſſum, viſcidum excrementitiumquè ſuccum generant & difficulter concoquuntur, qualia ſunt caro bubula, ovilla, porcina, anſerina, anatina, piſces grandiores & qui in aquis ſtagnantibus & paludoſis capiuntur, omnia fumo durata vel in muriâ macerata, exta item & extrema animalium; Peculiari vi nocet ſemen cannabis, caules lactucæ, lentes, fabæ, panicum &c. Vitãda etiam vapoſa & quæ caput replent, inprimis crapulâ & cruditas.

Econtra utendum cibis boni laudabilisque ſucci & facilis concoctionis, carnibus nimirum vitulinis, vervecinis, gallinaceis, capreo-

linis,

linis, perdicum, columbarum sylvestrium, turdorum aliarumquè avium montanarum.

Ex piscibus conveniunt saxatiles, funduli, troctæ, lucii, percæ, barbi, cyprini qui in aquis puris degunt; ex maritimis salmo, solea, passer rhombus, asellus minor, &c. modò sint recentes, aëre enim vel fumo siccati vel sale conditi, crassum alimentum præbent.

Potus sit vinum tenue vel cerevisia defecata melioris grani & pauci lupuli.

Somnus & vigiliæ modum non excedant, vitentur lectiones & meditationes à sumto cibo, lucubrationes & maximè omnium nocturnæ commessationes studiosis hodiè nimis familiares.

Aër sit temperatus & purus, expers fumi, pulveris & ventorum.

Alterum medicamentis incidentibus & attenuantibus, quibus subinde miscenda ophtalmica, perficiendum:

℞. Aq. Euphrasiæ, rorismarini fænicul. betonic. Hyssopi ana ℥iij.
Syrup. de stæchad. simplic.
Hyssopi, betonic.
ophtalm. nostr. ana ℥j.
Oxymel sqvillit. ʒvi.
M. pro viiij dosibus, mane & sero assumendis.

Tertium purgantibus phlegmagogis & quidem per intervalla iteratis expediendum:

℞. Mass. pilul. nostr. Cephalic. ℈j.
Magister. Agarici ℈ß.
Ol. fænicul. gt. iij.
Sal. Euphras. gr. iiij.
M. c. aq. fænicul. F. pilul. No. XV. deaurentur fortiter.

Ne autem uni medicamento natura adsvescat interdum sumi potest extractum pilularum lucis major. Cum sale Euphrasiæ, vel pulvis meus phlegmagogus oleo fænicuti tinctus.

Egregiè inter alia huc facit vinum laxans Plempii:

℞. Summitat. Euphras. mj.
Fol. betonic. majoran.
Cariophyll. ana mß.
Flor. lavendul. anthos ana p. I.
Fol. sen. S. S. ℥j.
Agarici trochiscat.
Hermodactyl. ana ʒiij.
Sem. fænicul.
Granor. Juniperi
Cinam. acutiss. ana ʒij
Caryophyllor. ʒj.
Sacchar. albiss. ℥iij.
M. pro nodulo.

Posterius denique exydercicis peragendum, quorum magna apud Practicos exstat farrago: Mihi longo usu probatum est Electuarium, cujus hæc compositio:

℞. Succi Euphrasiæ ℥iiij.
fænicul. ℥ij. chelidon.
rutæ, lavendul.
rosar. pallid. ana. ℥j.
Mellis virginei probè despumati ℔iß.

℔ iß. Coq. ad consistentiam Syrupi, posteà add. Pulv. Euphras. recent. siccat. ℥ij.
sem. fænicul. ʒv.
siler. montan. ʒij.
Maceris, cubeb.
Cinam. ana ʒis.
Cariophyllor. ʒj.
M. F. Electuarium.

Nec ultimæ notæ est Spiritus Ophtalmicus & aqua Ophtalmica Döreri, aqua item visum clarificans Riverii, aqua sassafras cum Euphrasia destillata, Essentia rorismarini Euphrasiæ &c.

In prandio & cœnâ utendum est vino Euphrasiato:

R. Rad. Enulæ ℥iiij. Fol. & flor. Euphras. miiij.
Sem. fænic. siler. montan. ana ℥ij.
Inclusa nodulo suspendantur in musto vel hydromelite recens cocto donec deferbuerit.

Inter externa laudatur liquor qui ex jecore mustelæ piscis elicitur, si prius lotum in vitri medio ita suspẽdatur, ne fundum vel latera tangat & vitrum accuratè clausum soli exponatur, donec sensim destillet liquor, qui visum obscurum tenebricosumque miraculi instar lucidum reddere, creditur.

Plempius commendat fotum, cujus in attenuandis & discutiendis humoribus oculis contentis miram esse efficaciam scribit:

R. Fæniculi, rutæ, hyssopi, Euphrasiæ, chelidoniæ, verbenæ, betonicæ, pulegii ana mß.
Sem. fænicul. anisi, carui ammeos siler. montani ana ʒii Euphras. ℥ß.
Maceris, Cinamom. Caryophyl. Nuc. moschat. ana ʒj.

Incisa & conquassata primo coquantur in aqua, deinde violentior fiet fermentatio, si mulsæ incoquantur, adhuc valentior si vino incoctis adjiciatur spiritus vini vulgaris.

Hæc & similia diu multumque continuanda sunt, donec pristino vigori restituatur visus, quod ut fiat orandus DEUS est, à quo omnis medela.

CASUS XXVI.

Suffusio vera.

N*obilissimus Dominus* A*NTONIUS* Manteuffel/ *Hæreditarius in Cerstin & Kruchenbeck &c. Vir consistentis ætatis, oculos habens magnos & eminentes Capitis dolore aliquandiu affectus, ægrè ferebat sibi continuo videri culices aliaquè parva corpuscula oculis obvolitare, interdum quasi retia telis araneorum similia offerri; succedebat paulatim visus obtenebratio & pupilla in colorem marinum trãsmutatio.*

RESOLUTIO.

Affectus, qui Nobilissimum hunc Virum infestat, suffusio dicitur sive ὑπόχυμα. Causa ejus continens initio fuit humor tenuis & fluxus, nunc crassior & lentus inter Rhagoidem sive corneam tunicam & humorem crystallinum hærens & foramen uveæ sive pupillam magnâ sui parte obstruens.

Collectus est hic humor vitio cerebri, quatenus intemperie frigida & humida affectum, multum excrementi pituitosi producit. Abundantem in capite humorem facilè admiserunt oculi nativâ quadam debilitate laborantes. Certum namquè est oculos prominentes & magnos, promptius humores recipere, virtusque in magno spacio diffusa infirmior est & viarum laxitas facilè aditum præbet. Est autem suffusio hæc ex genere earum quæ auctæ dicuntur in secundo gradu, ut ex visus obtenebratione & pupillâ colorum marinum præ se ferente liquidò apparet.

Hinc spes in angusto videtur posita: Metuendum enim ne in perfectam suffusionem degeneret & cæcitatem inducat.

Dandum tamen aliquid precibus Ægri, nihilque non tentandum, quo materia pupillam obstruens eliminetur, revellatur, discutiatur, caputque & cerebrum roboretur, sicq; impendens cæcitas, quantum possibile, præcaveatur.

Hæc ut methodicè fierent ad eluendas vias communes Enema ex emollientibus & lavantibus præscripsi: Mox ad materiam viscidam, crassamq; incidendam & attenuandam commendavi mixturam:

R. Aq. nostr. Cephal. ℥iij.
Rorismar. fœnicul. Euphras.
Hyssop. ana ℥ij.
Syr. de betonic. stæch. simplic.
Ophtalm. nostr. ℥ij.
Hyssop. ℥iß.
Oxym. sqvillit. ℥i. M. pro 5. dosibus.

Præparatione factâ purgans electivum exhibui:

R. Extract. panchym. Crollii ℈j.
Mass. pilular. mear. Cephalic. ℈ß
Troch. alhandal. gr. iij.
Ol. fœnic. gt. iij. M. F. pilul. no. IX.

Revulsionis gratia cucurbitulas scarificatas & vesicatoria iteratis vicibus & per intervalla adhibui.

Ad discussionem & extersionem aquam Ophtalmicam Prævotii in medicina pauperum descriptam laudavi, ut & illam Borii:

R. Fellis galli ℥.
Sanguin. muris ʒiij.
lact. mulieb. ℥ß. M. pro Collyrio.

Pro fomentatione oculorum præparavi decoctum:

R. Herb. major. verben. malv. fœnicul.

nicul. Euphras. Chelidon. major. ana mj.
Sem. lin. fœnugr. fœnicul. ana ℥ß.

Bulliant in aq. simpl. ad dimidium, vapor excipiatur oculis capite tecto.

Adhibitæ interdum & capitis lotiones ex majorana, betonica, melissa, stæchade, Euphrasia, meliloto, foliis lauri, rorismarini, aliisque Cephalicis & ophtalmicis in lixivio coctis. Inter lavandum caput fricetur Agarico crudo, ut præcedenti consilio dictum.

His nihil proficientibus fonticulos in utroque brachio excitavi, postmodum repetito præparantium & evacuantium etiam fortiorum usu, penetrans illud & ad humorem pupillæ infixum absumendum & expellendum celebre potensque ex Guajaco, sassafras, sarsaparilla &c. remedium, ophtalmicis & Cephalicis appropriatis exaltatum præscripsi hunc in modum:

R. Rad. sars. parill. ℥ij. Lign. sanct. ℥j. santal. rubr. ℥ß. Rad. liquit. cich. ana ʒiij. sassafr. ʒiij. asperg. spir. ♎ris ℈iß. Infund. per H. 24. c. aqu. puriss. ℔vi. posteà add. passular. min. ℥iij. Cibeb. ℥iß. Herb. Euphras. c. florib. mj. Flor. cyan. Flor. betonic. ana mß. Semin. coriandr. fœnicul. ana ʒiß. Coq. s. a. ad remanent. librar. iiij.

Sumat singulis matutinis uncias quatuor vel quinque & sudet in Laconico, observatâ convenienti & accuratâ diæta. Loco potus ordinarii bibat decoctum secundarium:

R. Reliquias superioris decocti, add. lign. sassafr. odorifer. ℥j. Cinam. acutiss. ℥ß. sem. coriandr. fœnicul. ana ʒij. passul. minor. Cibebar. sacch. Canar. ana ℥iij. superfund. aq. puriss. ℔ij. Coqv. ad remanent. ℔x. pro potu ordinario.

Ex hoc svasi vinum ophtalmicum laxans Plempii aliquandiu biberet, cujus hæc descriptio:

R. Summitat. Euphras. mj.
Fol. betonic. majoran. Caryophyllat. ana mß.
Flor. lavendul. anthos ana p. 1.
Fol. sen. S. S. ℥j.
Agaric. trociscat. Hermodactyl. ana ʒiij.
Rad. fœnic. polypod. ana ℥ß.
Turpeth. albi ʒiij. sem. fœnicul.
Gran. Juniper. Cinam. ana ʒij.
Caryophyll. ʒj. sacch. albiss. ʒij.
M. pro nodulo.

Palpebras ungvento Severini quotidiè inungendas præcepi.

R. Folium unum vel plura tabaci, macerentur in aqua Euphrasiæ & exprimatur succus, qui cum butyro majali coquatur ad consistentiam ungventi.

Tandem & setaceum cervici injectum & topica præstantissima non

minus caute quàm diligenter adhibita, sed frustra omnia; suffusione indies augescente & tandem in perfectam cæcitatem degenerante, quâ in hunc usque diem tenetur Vir optimus.

CASUS XXVII.
Suffusio spuria.

ILlustrissima Domina, DOMINA MARIA JULIANA Saxoniæ, Angriæ, & VVestphaliæ Princeps, Febri Semitertiana gravissimè decumbens, ingruente Paroxysmo de caligine quadam oculorum & obversantibus corpusculis, mox de visus diminutione, paullò post de omnimoda ejusdem abolitione, querebatur, adeò ut nec adstantes nec alia objecta dignoscere posset: Remittente febri, sensim remittebat oculorum obtenebratio, eâdem recurrente, recurrebat & visus diminutio, subsequensq́ ejusdem abolitio.

RESOLUTIO.

Suffusionem notham in febribus quandoque per consensum totius excitari, manifestum est, quatenus ab effumante partium inferiorum illuvie vapores per venas & arterias simul cum sanguine spiritibus sursum ad oculos feruntur. Hoc verò inquisitione dignum, quomodo visus per febrim planè aboleri, eâdemq; remittente, redire possit?

Equidem salvo aliorum judicio caussam hujus rei in vaporum densitatem, caliginem & copiam rejiciendam puto, quatenus spiritibus opticis commiscentur, eosdemquè obtenebrant & foramen uveæ sive pupillam crassitie suâ & copiâ obstruunt ac impedimento sunt, quo minus species visibiles recipi possint. Cessat autem cessante paroxysmo videndi impotentia, resolutis ac discussis per sudores vel insensilem transpirationem vaporibus, quemadmodum tinnitum aurium, dolores Capitis & alia symptomata in febribus à vaporum impetu excitata, tempore ἀπυρεξίας remittere videmus.

CASUS XXVIII.
Cæcitas ex ulcere pedis Rheumatico intempestivè occluso.

HEINRICUS Manteuffel / Hæreditarius in Trinicke, multis annis ulcere Rheumatico pedis sinistri affectus doloris & molestiæ à fluxu & pruritu sæpe excitatis pertæsus, consolidationem à Cheirurgo petiit, in quâ cum frustra per totum semestre occuparetur artifex, tandem ope cujusdam

jusdam vetulæ paucorum dierum spatio ulceris occlusionem obtinuit. Elapso mense uno atquè altero, in capitis dolores incidit, adeò vehemẽtes ut de vitâ desperaret, paullò post obcæcatus est; Exinde quolibet manè à somno multum viscidæ ac flavescentis fœtidaque materiæ frequenti expuitione citra tussim rejecit, conquestus se quamdiu jejunus esset, eundem fœtorem in ore percipere, quem olim ex ulcere pedis.

RESOLUTIO.

Ex intempestiva ulceris diuturni & fluentis occlusione cæcitatem hanc subortam, nullum est dubium. Cum enim longo jam tempore natura assveverit humores noxios ad pedem deturbare & per apertum in eo ulcus evacuare, facilè fieri potuit, ut occlusâ viâ ad supernas partes ipsumque Cerebrum regurgitaverint, & in principium nervorum opticorum effusi, cæcitatem induxerint, quod ipsum & fœtor quem Æger à somno in ore percipit, similis illi quem ulcus olim in pede exhalavit, manifestè indicat.

Præmissâ itaque cùm universali totiùs, tùm particulari capitis evacuatione revulsionumque remediis, omni conatu allaborandum censui, ut occlusum ulcus in pede iterum aperiretur, quod cùm alio modo obtinere non possem, fonticulum in pede affecto excitavi, sed exiguo cum fructu. Quod enim inde promanabat nec quantitate nec qualitate ulceri continuè & affatim olim fluenti respondebat. Quare denuò omnis generis evacuationes, revulsiones & derivationes institui, exhibitis etiam quæ caput & cerebrum roborarent, materiamque nervis opticis impactam discuterent & absumerent. Tandem & decantatum illud fluxionum remedium, quod setaceum vocant, perforatâ Cervice applicatum, nihilque eorum quæ ad calamitosum hoc malum avertendum facere poterant, intermissum: Sed parum ex voto, nisi quod immanissimi Capitis dolores mitigati, cæcitate in hunc usque diem perseverante.

CASUS XXIX.

Cæcitas ex veneficio.

ANNO M. DC. XXIX. Miles quidam gregarius in fortalitio ad portum Colbergensem novissimè à Cæsarianis exstructo, excubias agens, subitò & quasi in momento obcæcabatur, nullo corporis, capitis aut oculorum præcedente morbo aut vi vel casu externo: visum recuperabat incantamentis.

Digitized by Google

RESOLUTIO.

Adductum à Commilitonibus ad me obcæcatum hominem, de corporis constitutione, sanitate, & morbo, de victu, de externis, aliisq; ad causæ investigationem pertinentibus interrogavi, sed nihil eorum quæ cæcitatem adeò repente & subitò inducere possent, deprehendi: Oculos itaque accuratè inspexi, nec in his quicquam vitii animadverti, omnibus eorundem partibus & coloribus, quin & ipsâ pupillâ naturaliter constitutâ. In mentem venit quod de suffusione subitò exortâ scribit Fernelius lib. 5. patholog. cap. 5. & de nervorum opticorum obstructione ab agitatis in Cerebro humoribus repentè excitatâ Sennert. lib. 1. Med. Pract. part. 3. sect. 2. cap. 37. sed & hæc videbantur ad præsentem casum parùm facientia.

Ut tamen Ægri precibus & Illustris Domini, Baronis de Fünffkirchen sub quo stipendia merebat, satisfacerem, tentanda quædam in recenti malo artis præsidia duxi.

Et primò quidem ea quæ totum corpus, postmodum quæ caput & cerebrum particulariter purgarent, exhibui, idque repetitis vicibus: Mox & revulsiones institui, phlebotomiam, cucurbitulas scarificatas, vesicatoria, capitis lotiones, topica convenientia & id genus alia adhibui: Cephalica etiam & ophtalmica quæ caput roborarent & humores noxios absumerét, discuterent & expellerent præscripsi. Sed frustra omnia. Supervenit tandem, me inscio, vetula quædam Saga digitoqud salivâ obducto palpebras & oculos contrectavit, verba quædam semitertiata submurmurans: Quo facto, subitò & quasi in momento visum recepit: Sed periculoso admodum auxilio si Leoni credimus, qui de passione Domini, sermone 9. scribit: *Beneficia Dæmonum omnibus esse nocentiora vulneribus:* Unde Chrysostomus statuit: *potius mortem homini Christiano obeundam, quam vitam ligaturis redimendam; sanat enim corpus ut animam sibi devinciat Diabolus.*

CASUS XXX.

Aurium tinnitus.

Illustris & Generosus Dominus, DN. NILS KAGGE, Liber Baro in Torckmoiorffvvi, Toparcha in Kielsdorff & Sckifesundt &c. Gubernator Halandiæ, per intervalla aurium tinnitu vexabatur, absquè ullo capitis dolore, nisi quem crapula aliquando excitaret; aderat ventriculi imbecillitas & intestinorum murmur & rugitus.

RESOLUTIO.

Aurium tinnitus, quem Illustris Baro

Baro nonnunquam percipit, à spiritu flatulento sive vapore crasso congenitum aurium aërem in cavitate ossis petrosi agitante & impellente excitatur.

Vapor iste ex humore crasso, pituitoso & viscido in ventriculo & partibus vicinis hærente, assurgit: Humori autem pituitoso caussam dedit ventriculi debilitas & victus ratio quæ pituitam & flatus coacervavit.

Victus itaque ratio melioranda, humores pituitosi incidendi, attenuandi, & evacuandi, vaporumque exhalationes inhibendæ, discutiendæ & revellendæ, tandemque & ventriculus roborandus.

In victu vitentur omnes cibi crassi, viscidi, excrementitii & difficilis concoctionis, flatulenti imprimis & vaporosi; Panis sit benè fermentatus & semine carui vel anisi & fœniculi subactus. Pro potu ordinario convenit Cerevisia bona & defecata nec multo lupulo condita, vinum mediocre, absit generosum & caput replens, imprimis tempore vespertino cùm decumbendum est: aures custodiantur ab aëre frigido & vento: Exulet venus & ebrietas animique affectus immoderatiores.

Humores pituitosi, præmissâ viarum communium purgatione, præparentur tali mixturâ:

R. Aq. beton. fœnic. hyssop. ana ℥iij.
Syrup. de prassio, de hyssop. ana ℥ij.
Cinam. ℥j.
Oxymel. simpl. ℥iß. M. pro 4. dosibus.

Postmodum evacuentur pulvere nostro solutivo vel pilulis:

R. Extract. agaric. ℈ß.
Panchym. Croll. ℈j.
Trochisc. alhandal. gr. iij.
Ol. stillat. nuc. moschat. gt. ij.
M. F. pilul. no. IX. deaurentur.

Ad inhibendum vaporum adscensum faciet tragæa ex semine coriandri, carui, fœniculi, anisi, macere, cinam. nuce moschatâ & saccharo rosato tabulato, quæ ipsa & flatus discutient & ventriculo robur addent. Interdum guttulas aliquot Elixir. Propr. Paracelf. vel Essent. ambræ aut rorismar. delibare poterit cum liquore convenienti.

Ex topicis proderit vapor absinthii & verbenæ ex lacte, vel secretum ex vermiculis intra lignum quercinum & corticem hærentibus, panis item ex farinâ factus & cum semine cumini subactus aurique laboranti, dum adhuc calet, adhibitus, de quo videatur Platerus tom. 1. pag. 255. & Horstius in praxi pag. 63. Joël commendat succum majoranæ cum oleo caryo; hyssorum, quod tamen ob acredinem mihi suspectum est. Meatus enim auris cum pars

pars sit maximè sensibilis, facilè excitatur dolor, quem affluxus humorum sequitur & symptomata gravissima.

Hæc si præter spem non profecerint, repetito præparantium & evacuantium usu, ad decoctum ligni sancti, sassafras &c. recurrendum, provocatis in Laconico sudoribus. His enim non tantùm excrementa tenuiora, ab omnibus totius corporis partibus etiam abditissimis evacuantur, sed & flatus, vaporesque egregiè discutiuntur.

CASUS XXXI.

Difficultas auditus.

Nobilissima fœmina, AGNES JUDITH Lesserinn/ *Viri Generosi & Strenui Domini N. de VVILDENSTEIN, Conjux, temperamenti frigidi & humidi, diuturno capitis dolore & aurium tinnitu affecta, sensim audiendi facultatem minui querebatur, adeò ut leves sonos amplius percipere non posset, reliquis sensibus salvis & integris.*

RESOLUTIO.

Βαρυκοΐα hæc ab obstructione meatus auditorii dependet. Debilitato enim per diuturnos dolores cerebro, alimentum ejus minus probè coqui potuit, unde multi humores excrementitii cumulati sunt, qui sensim ad nervum auditorium delapsi obturando, calamitatem hanc induxerunt. Obstruitur autem meatus auditorius non ex toto, sic enim sonus externus planè percipi non posset, sed ex parte tantùm, unde auditus duntaxat imminuitur.

Humorem à quo meatus auditorius obturatur frigidum esse & pituitosum ex temperamento quod frigidum est & humidum conjicio, tùm quia sensim suborta est hæc audiendi difficultas, à calido enim subito excitatur.

Curationem admodum difficilem prædixi, quatenus humor viscidus & lentus in profundo hærens ægrè solvitur; metuendum namquè ne in surditatem degeneret malum. Si quid tamen in re dubiâ experiri cupiat ægra, omni conatu allaborandum, ut materia meatum acoasticum obstruens eliminetur, dissipetur & absumatur, cerebrumque roboretur & metuenda surditas, quantum in artis potestate est, præcaveatur.

Periculum itaque, quanquam invitus, ut facerem primò minorativum communes vias evacuans præscripsi:

R. Decoct. nostr. laxativ. ℥ij.
Syr. rosar. solutiv. ʒß.
☿ri ⊕lat. gr. v. m.

Hinc ad materiæ præparationem quinque diebus continuis manè & vespe-

vesperi exhibui mixturam ex incidentibus, attenuantibus & Cephalicis:

R. Aq. meliss. betonic. fœnicul. serpill. hyssop. ana ℥iii.
Cephalic. nostr. ℥iiii.
Syrup. aperitiv. Minder. ℥iii.
de betonic. stœchad. Hyssopo ana ℥ii.
Essent. rorismar. salv. ana ʒii.
M. pro X. dosibus.

Ex hoc purgationem electivam institui per pilulas:

R. Mass. pilul. mear. Cephal. ℈i.
Extract. agaric. ℈ß.
Trochisc. alhandal. gr. iii.
Ol. stillat. nuc. mosch. gt. ii.
M. F. pilul. no. IX. inaurentur.

Præmissis universalibus ad particularem Capitis & cerebri evacuationem, masticatoria commendavi, quorum usu non tantum materia quæ ex cerebro ad aures affluxura erat, evacuatur, sed & humores meatum auditorium jam obstruentes per foramina in basi calvariæ auditus organum subeuntia, commodissimè ejiciuntur:

R. Rad. pyrethr. ʒi. Ireos ℈iß.
Agaric. trochiscat. ℈ii. Cubeb.
Nuc. moschat. ana ʒß.
Cardam. ʒi.

Ex subtilissimè pulverisatis cum sufficient. quant. mastic[illegible] in mortario calido dissolut. F. p[illegible]illi quorum quilibet pendeat ℈ß.

Eodem fine & Errhin[illegible] ex succo majoranæ & betæ adhibui, rejectis sternutatoriis ob vehementem humorum agitationem merito suspectis. Ex topicis Essentiam Aconisticam Mynsichti gossypio moschato exceptam, auribus, scalpello ex succino prius mundificatis, indidi.

Ad capitis & cerebri corroborationem præscripsi Electuarium:

R. Electuar. mei Cephalic. ℥iii.
Conserv. rorismar. ℥ii.
betonic. ℥i.
Condit. nuc. Indic. ʒvi.
medull. nuc. Indic. cond. ʒii.
Cubebar. ʒiii. maceris ʒi.
Ambr. gryseæ gr. vii. moschi gr. iii. Essent. rorismar. ℥ß. lavendul. ʒii. Brodii nuc. Indic. condit. q. s. M. F. Electuarium.

His omnibus nihil juvantibus, repetii præparantia & evacuantia fortiora, fonticulos etiam in brachiis excitavi, ponè aures vesicatoria posui, tandemquè stillicidium pro discutiendâ, resolvendâ & absumendâ materiâ aurium meatus obstruente, adornavi:

R. Lixivii ex cineribus Juniperi lib. 60. extingvantur in his laminæ argenteæ, novem plus vicibus repetendo, add. Sulphur. ℔iß. Sal. gemm. ℥iii. coq. ad perfectam solutionem.

Colatur. add. fol. lauri miiij. rorismarin. origan. rut. serpill. agrimon. malv. c. toto ana mj.

Flor. ſtæchad. Arab. lavendul.
Salv. lil. convall. ana mj.
Chamæm. melilot. ana
miß.
Rad. althcæ ℥i. ſem. lin. ℥iß.
fæn. græc. carui aneth.
ana ʒvj.
Bacc. laur. ℥iß. Coq. in vaſe duplici Colatur. ſervetur pro ſtillicidio.

Victum præſcripſi calefacientem, attenuantem & moderatè ſiccantem, cibos facilis concoctionis, excrementitiæ humiditatis expertes, non viſcidos, lentos aut craſſos, multo minùs vaporoſos, flatulentos & capiti & auditui noxios, allium inprimis & cepe. Vino interdixi generoſo & cerevisiâ multo lupulo condita, ob capitis exinde metuendam repletionem: Aerem quoque ut vitaret frigidum & humidum, ventosque auſtrinos, monui. Sed hæc omnia exiguo cum fructu, niſi quod à ſurditate, quæ impendere jam videbatur, in hunc usque diem ſit libera.

CASUS XXXII.

Auditus gravitas ex intempeſtiva capitis cum ungvento mercuriali inunctione.

D*E hac vide Epiſtolarum mearum Medicinalium Epiſtolam XXX. libri primi.*

CASUS XXXIII.

Surditas divinitus curata:

C*Um in arce Schieffelbenenſi, Reverendiſſimi, perilluſtris & Generoſiſſimi Domini, DNI. VVEDIGO REIMARI GANS Liberi Baronis de PUDTLITZ, Ordinis S. Johannis Equitis. Commendatoris & Præſidis Schieffelbenenſis &c. Arthritide graviſſimè decumbentis, curam haberem, Civis quidam ejus loci pannifex BARTHOLOMÆUS SCHULTZ ſurditate auris dextræ plus decem annis affectus & paucis retrò diebus audiendi facultate etiam in ſiniſtra aure privatus, opem meam per cheirurgum implorabat, quam etſi fruſtraneam & inanem initiò abnuerem, lachrymis tamen miſeri hominis motus, pilulas Cephalicas præſcripſi & quædam caput roborantia, detracto etiam ex vena brachii ſangvine, & applicatis pone aures veſicatoriis: Urgebat Cheirurgus topicum aliquod auribus immittendum, ſed nihil tale ad manus erat: Incidi fortè dum pharmacothecam meam excuterem in balſamum Mindereri, ejus guttam unam atq; alteram auri ſiniſtra*

nistra instillavi, dextrâ enim tot annis surdam pro incurabili habui. Quid fit? Eo ipso momento in aure oppositâ, dextra scilicet, rumpi aliquid exclamabat æger, illico redeunte auditu, plus decem annis abolito. Jussi utriq; auri instillaret balsamum, quod cum aliquoties fecisset, etiam in alterâ aure audiendi facultatem recuperavit, quâ in hunc usq; diem gaudet etiam quo ad cætera sanus & incolumis.

RESOLUTIO.

Balsamum Mindereri insignem quidem discutiendi & resolvendi vim habere, nullum est dubium, sed quomodo surditatem adeò diuturnam & inveteratam in momento quasi emendare & penitus tollere potuerit, & quidnam illud fuerit quod in aure oppositâ rumpi sentiebat æger, equidem non facilè dixerim; Nisi fortè lentus viscidusq; humor, meatui auditorio impactus, tractu temporis magis magisque crassescens in pelliculam coaluit, quâ ruptâ, rediit auditus. De quo tamen ipse dubito: Ut ut sit, hoc certum est, monstra interdum, ut Averroes loquitur, in morbis fieri & multos à periculosissimis etiam morbis, divinâ virtute liberari

Quos nec dictamnus nec Panacæa juvat.

CASUS XXXIV.

Narium Hæmorrhagia immoderata.

Secretarius Illustrissimi Baronis de Fünfkirchen JOHANNES RIEDER Austrius, sangvineæ constitutionis & plethoricus, postquam in Nuptiarum solennibus vino generoso largius se invitasset, & totam fermè noctem tripudiis & saltationibus consumpsisset, manè domum repetens in narium Hæmorrhagiam incidit, adeò profusam, ut de vita periclitaretur.

RESOLUTIO.

Hæmorrhagiam narium fieri per vasorum vel *ἀναςόμωσιν*, vel *διαίρεσιν* vel *διαπήδησιν* vulgo notum est.

Præsens hoc sangvinis è naribus profluvium per *ἀναςόμωσιν* fieri indicat sangvinis effluentis copia, nulla præcedente causâ externâ violentâ, per quam *διαίρεσις* fieri poterat. In *διαπηδαίσι* verò sangvis exiguâ tantum quantitate & sensim guttatimque quasi transudat.

Occasionem apertioni dedit largior vini potētis usus & immoderata corporis agitatio, quibus supra modum incaluit sangvis, fervidusque redditus concepto *ὀργασμῷ*

 exi-

exitum per osculorum in vasis paullò majoribus reserationem sibi paravit.

Fervor itaq; sangvinis ante omnia restinguendus: præscriptum est hoc nomine Julabium:

R. Aq. fragor. ℥iiii. bursf.pastor.Endiv. cichor. rosar. ana ℥iii.
Syr. de Coraliis Qvercetan.℥iii.
flor. Rhead. fragor. ana ℥iß.
Succ. citri acidi ℥ii. M.

Hinc revulsiones institutæ per ligaturas extremorum dolorificas, damnatis frictionibus, quibus ut rectè monet Gvilielmus Fabricius Cent. 2. Obs. 15. sangvis magis incalescit & subtilior ac fluidior efficitur. Eodem fine & cucurbitulæ primò absque deinde cum scarificatione scapulis & cervici applicatæ: Mox etiam topica refrigerantia & adstringentia adhibita, fronti quidem Epithema inductum.

R. Aq. rosar. opt. ℥iii.
fol. qverc. ℥i.
Acet. rosac. ℥i.
Bol. armen. terr. sigillat. lapid. hæmat. ana ʒß.
Album. ovi unius. m.

Epati verò Emplastrum impositum, quod

R. Cerat. santal. ℥ß. Ung. in frig. Galen. ʒii. Spec. diatr. santal. diarrhod. Abbat. Trochisc. de spodio ana ʒß. Lapid. hæmatit. ℈ii.
Ceræ parum. M. F. Emplastrum.

Intereà & naribus quædam indita ad osculorum in venis nasi occlusionem facientia, additis appropriatis & specificis sanguinem sistentibus:

R. Lanugin. Cytonior. tragacanth. mastich. sangv. Dracon. Bol. Armen. lapid. hæmatit. aloes, farin. volatit. ana ℈i. M. F. pulvis subtilissimus ex quo cum albumine ovi & gossipio vel carbaso F. turundæ naribus immittendæ, quod dum fit os aqua frigida repletum teneatur, ne sangvis in fauces irruat.

Pro virium refectione, quæ interdum planè deficere videbantur, aquam nostram cordialem frigidam cum confectione Al-kermes & tincturâ Coraliorum exhibuimus, simulquè & cordi & pulsibus Epithemata convenientia applicuimus.

Sedatâ tandem periculosâ narium hæmorrhagia, altero die, resumtis quodammodo viribus, præcautionis gratiâ plethoram imminuimus venæsectione in brachio institutâ, victumquè tenuem & refrigerantem commendavimus proscripto vini potentioris usu ac vehementiore cùm animi tùm corporis motu.

CASUS XXXV.
Tumor lingvæ & calculus.

Mer-

Mercator quidam Hamburgensis JOACHIMUS Würger / *de lingva dolore & tumore duriusculo aliquot annis sibi molesto querebatur, nullo aliàs in lingva & partibus vicinis apparente vitio, purgavi corpus, præscripsi linctus & oris collutiones ex emollientibus, resolventibus & dolorem lenientibus, quibus cum aliquot diebus usus esset, ecce dum lingvam inter colluendum fortius moveret, calculus prosiliit nucis amygdalæ magnitudine & formâ, nisi quod paullò longior esset, ex eo paullatim subsedit tumor, dolor verò confestim remittebat, labia etiam vulneris suâ sponte & absq; artis operâ brevi coalescebant.*

RESOLUTIO.

Calculos in qualibet parte corporis generari posse experientiâ constat, sub lingva quidem rarius: Exstant tamen aliquot exempla apud Laurentium Joubertum paradox. 3. dec. 2. contra Brun. Seidelium: apud Forestum lib. 14. Observat. 26. Nicolaum Florentinum serm. 4. tract. 1. cap. 6. Gvainer. tr. de calcul. cap. 1. Ex quâ autem materiâ calculus iste productus sit, & per quas vias materia in lingvæ substantiam devenerit, & quæ causa efficiens calculi fuerit, altioris est indaginis.

Equidem materiam haud aliam fuisse arbitror, quàm aliorum calculorum, humorem scilicet crassum, feculentum, viscosum & tartareum.

Vias verò easdem, per quas sangvis & nutrimentum ad linguam defertur, venas præcipuè quas vulgò raninas vocant.

Sic & efficiẽs causa alia esse non potuit, quàm vis illa λιθοποιητικὴ quæ etsi in renibus & vesica potissimum sese exserat, in reliquis tamen & omnibus fermè corporis partibus eandem quoque reperiri, nullum est dubium, ut prolixè demonstrat Sennert. Inst. lib. 2. part. 2. cap. 9.

De lingvâ autem in specie testantur exempla modò allegata & Cornelius Gemma lib. 1. Cosm. c. 6. Kentemannus libello de calculis. Cæterum quod lingva per se & absq; artis adminiculo tam citò coaluerit mirum non est: Ob mollitudinem enim carnis facilè conglutinatur, ut habet Forestus lib. 14. observat. 26. præsertim si vulnus fit secundum longitudinem, ut in præsenti casu: Transversa enim lingvæ vulnera plerumquè sunt incurabilia ut annotavit Guilielm. Fabricius Cent. I. observ. Chirurgic. observ. 28.

CASUS XXXVI.

Balbuties ex intemperie humida lingvæ.

Viri cujusdam ordinis Senatorii apud Colbergenses Filius, à vino aliisq; potulentis præter aquam & cerevisiam tenuem, quam secundariam vocant, per naturam abstemius, tardius & circa quartum demum ætatis annum loqui incipiens, insigniter balbutiebat, modò literas quasdam, modò integras syllabas inter pronunciandum, quasi absorbens vel penitus subprimens, ut vix ac ne vix intelligi posset.

RESOLUTIO.

Lingvam freno suo arctius stringi, tonsor quidam Parentibus persvaserat; verùm ubi incisione factâ sermo æquè ac antea difficulter balbutienterque procederet, consilium meum implorabant; Ego cum lingvam rectè conformatam, nulloque tumore alioque morbo evidenti affectam deprehenderem, benè sperare jussi: Fore namque ut ætatis decursu, absumtâ humiditate nimiâ, nervos irrigante rectius loqueretur; Nec præsagium destituit eventus. Undecimo enim ætatis anno febri quotidianâ correptus, aliquanto expeditius loqui didicit; sub initium verò secundi septenarii perfectè loqui visus est, ut nunc quidem nec Fabio nec Locutio cedat, imò nec Francis illis Taubmannianis

---- ---- ---- qui se cervice supinant
Et fundo ex imo præbita pocla bibunt.

CASUS XXXVII.

Gustus depravatus.

D. *JOACHIMUS NAVIN, Episcopatus Caminēsis Cancellarius optimè meritus, intemperie calidâ Epatis affectus, insignem oris & lingvæ patiebatur amaritudinem, adeò, ut svavissima etiam seu esculenta seu potulenta gustu admodum amara & ingrata penitus aversaretur, cum notabili virium dejectione.*

RESOLUTIO.

Gustus depravatur ab humore bilioso lingvam perfundente, imprimis tunicam sive membranam quæ os & palatum succingit.

Bilis, vitio hepatis intemperie calidâ affecti, producitur.

Vires dejiciuntur ob alimenti defectum, quatenus Æger cibos propter saporis amaritiem aversatur.

Humor itaque biliosus evacuandus, intemperies calida Epatis alteranda & vires reficiendæ.

Ad

Ad bilis evacuationem præmissâ convenienti præparatione præscripsi potiunculam:

R. Rhab. elect. ʒii. ♀ri ⊕lat. gr. v. Infund. per noct. in aq. Endiv. calendul. ana ℥i. manè colentur. add. Syrup. de cichor. c. Rhab. ʒvi. spec. elect. de succ. rosar. gr. XI. M. F. potiuncula.

Pro alterandâ intemperie Epatis calidâ ordinavi Electuarium:

R. Conserv. rad. cich. ℥ii.
rosar. ⊕lat. ℥iii.
Spec. diatr. santal. ʒiß.
diarrh. ʒi.
Condit. lactuc. Hispan. ʒvi.
Syr. berber. q. s. M. F. Electuarium.

Cum nondum remitteret oris illa seu lingvæ amaritudo repetii potiunculam laxativam modò descriptam additis Resinæ scammoneæ granis tribus, undè sufficientissimè purgatus est.

Pro alteratione serum lactis caprini cum rad. cichorii & succo acetosæ præparatum exhibui.

Oris collutiones ex aceto rosaceo & aqua Endiviæ institui, interdum etiam lapide prunellæ in aqu. plantag. soluto, gargarismi loco usus est.

Ad virium refectionem aquam meam cordialem frigidam & subacidam, Emulsionem item perlatum Cratonis, Tincturam rosar. & alia cordialia commendavi, non minus ac cibos benè nutrientes, juscula imprimis consumata ex carnibus vitulinis, vervecinis, caponum &c. cum acetosâ & cichorio alterata, quibus eandem à molestissimo hoc malo plenè liberatus est.

CASUS XXXVIII.

Ex labiorum fissurâ cancer.

Nobilis quidam Marchicus stante Boreâ venationi & aucupio per dies aliquot incumbens, labii inferioris fissuram in medio ubi duæ musculorum extremitates desinunt, contraxerat; Nihil remedii adhibuit, quin potius consolidationem, labium introvertendo, mordendo, sugendo, sæpè etiam manibus vellicando, impediit; Exasperatum itaq; sæpiùs malum in ulcus cancrosum degeneravit. Opem meam imploranti varia cùm interna tùm externa præscripsi, sed sine successu; unde ad sectionem deveniendum erat, quâ feliciter peractâ, vulnus adductis per suturam artificalem labiis, brevi tempore adeò eleganter coaluit, ut vix dignosci posset, nullo etiam edendi, bibendi, loquendi aut exspuendi impedimento relicto.

CA-

CASUS XXXIX.

Oris distortio.

DOROTHEA ENGELBERTIS, *Uxor* BENEDICTI HENSELII, *Civis & Mercatoris Colbergensis, nullo praecedente morbo torturâ oris subitò corripiebatur, pars faciei sinistra laxa & mollis ad dextram trahebatur, sensus affecti lateris erat obtusus, nec oculus rectè claudi poterat.*

RESOLUTIO.

Oris distortionem sivè torturam à paralysi & resolutione nervorum ac musculorum faciei in parte sinistrâ subortam esse, laxitas ejusdem & mollities indicat: In convulsione enim pars affecta dura est & tensa, nec ad sanam trahitur, sed ipsa trahit sanam. Abest praeterea dolor, qui convulsionis individuus comes est.

Paralysis autem illa à nervorum qui à tertiâ cerebri conjugatione prodeunt, obstructione; obstructio ab humore pituitoso cavitates nervorum replente, influxumquè spirituum animaliúm intercipiente, dependet.

Humor itaque pituitosus praeparandus & evacuandus, idque praemissâ leni viarum cõmunium purgatione, quo nomine minorativum tale praescripsi:

R. Decoct. fol. sen. ℥iiß.
Extract. Agaric. gr. xv.
Aq. Cinam. ʒii.
M. F. Potiuncula.

Pro humoris viscidi incisione, attenuatione & praeparatione ordinavi mixturam:

R. Aq. nostr. aperitiv. ℥iiij.
faenic. betonic. hyssop. ana ℥iii.
Syrup. de staech. hyssop. ana ℥ii.
Aperitiv. nostr. ʒiii.
Oxymel. sqvill. ℥i.
M. pro vj. dosibus.

Ad electivam totius corporis purgationem exhibui pilulas:

R. Extract. mei solutiv. ℈i.
Agaric. ℈ß.
Ol. stillat. nuc. moschat. gt. iii.
M. F. pilul. no. IX. inaurent. fortiter.

Hinc particulares Capitis evacuationes per errhina institui, rejectis apophlegmatismis & masticatoriis, quibus materia ad os ipsum magis magisquè attrahitur. Cervici etiam cucurbitulae parvae cum levi scarificatione appositae, id quod felici successâ à multis factum scribit Zechius Consultat. 75. sic enim aliquid materiae morbificae nervis inhaerens extrahitur & loco movetur. Sennert. lib. 1. med. pract. part. 2. cap. 27.

Corpore universo simulquè cerebro privatim expurgato ad materiae morbificae reliquias dissipandas.

das, resolvendas & absumendas commendavi talē decoctum:

R. Ligni sanct. rasi ℥ij. sassafr. ℥iiß. visc. quern. ℥ß. Cost. Ægypt. ʒvi. sem. fœnicul. ʒvi.

Infund. horis 24. in aqu. font. ℔v. Coq. ad mediæ partis consumptionem, sub finem add:

Flor. primul. veris. lil. convall. ana mj. lign. aloes ʒii. Colatura saccharo edulcorata servetur ad usum in vase vitreo. dosis ℥iiij. c. aq. cinam. ℥ß.

Pro capitis roboratione præscripsi Electuarium:

R. Conserv. rorism. recent. p. ℥iij.
primul. veris, beton.
ana ℥j.
Diacor. ℥iß. Nuc. Ind. cond. ʒvi.
Medull. nuc. Indic. condit. ʒiij.
Myrobal. chebul. condit. ʒv.
Syr. de stæchad. q. s. M. F. Electuarium.

Interdum & lotiones exsiccantes adhibitæ:

R. Flor. stæchad. Arabic. salviæ, lavendul. ana mj.
Fol. lauri, rutæ, betonicæ, rorismar. majoran. ana miß.
Coq. ex lixivio è cinerib. Juniper. præparato: Inter lavandum caput fricetur agarico crudo.

Partem affectam ungvento Hildesheimii ex aquilegia frequenter inungendem præcepi:

R. Fol. aquileg. ℥ß. Nuc. moschat. ʒiß. alumin. ℈ii. mell. virgin. ℥iß. M. F. Ungvent.

Sed magis profluit tinctura mea valdè penetrans:

R. Spir. baccar. Juniper. ℥iij.
Asæ dulc. puriss. ℥ß.
Solv. lento carbon. igne,
Colatur. add. Aqu. apopl. Heroic. ℥j. M.

Tandem & ligaturas ab Avicennâ, Paulo & Aetio tantoperè commendatas adhibui, sed nullâ arte pristinum faciei decorem & figuram ex toto restituere potui, usque adeò curatu difficiles sunt omnes Paralysis species, ut rectè monet Riverius.

CASUS. XL.

Dentium casus ex intempestivo Spiritus Vitrioli usu.

V*Ir quidam literatus gingivarum laxitate & dentium carie affectus, scripta quædam medica evolvens, fortè incidit in Consilium Cratonis LXXII. ubi hæc habentur*: Ad dentium putredinem & cariem vix ulla res melior est, quàm spiritus vitrioli: *paullò post & Horstii tractatum de Scorbuto relegit, ubi Sectione 2. Thesi 15. hæc exstat*: Dentibus vacillantibus optimum est remedium spiritus vitrioli cum melle rosato

mixtus, quantum ad intensam aciditatem sufficit: Inungantur gingivæ & aliæ oris partes affectæ, singulis diebus ter. *Remedio itaq; huic à Medicis celeberrimis tantoperè laudato confisus, singulis diebus spiritum vitrioli cum melle rosato gingivis & dentibus illinivit: sed pœnitendo admodùm eventu: Brevi enim consumtis gingivarum carnibus & laxatis alveolis, dentes, quos primores appellamus, tàm superiores quàm inferiores exciderunt, reliqui molares substitêre quidem, sed à medicamenti acrimoniâ adeò corrosi, ut ciborum masticationi parum sufficerent.*

Rectius olim hac de re judicasse videtur Joël, cujus Tomo sexto Sect. 2. p. 137. hæc sunt verba: Parùm benè consulunt, qui Spiritū Vitrioli crebrius dentibus illinire docent: Etsi enim eos candidissimos efficiat, tamen crebrior ejusdem usus eos calcinat & friabiles reddit.

CASUS XLI.
Dentium dolor.

D*N. EGIDIUS HEIDEMANN, Senator Colbergensis optimè meritus, Compater & Amicus meus honorandus dolore dentium punctorio ac profundo afficiebatur, adeò vehementi, ut aliquot noctes insomnes duceret, sapor in ore salsus, acris & subamarus deprehendebatur cum aliquali totius corporis æstu & siti.*

RESOLUTIO.

Causam hujus Odontalgiæ, humorem ex bile & sero mixtum esse, sapor indicat salsus, acris & subamarus, non minùs ac ipse dolor punctorius, qui vehementior quidem est & profundus, quatens materia circa nervulum in radicibus dentium & membranam eorundem internam nerveam hæret.

Humores itaquè serosi & biliosi ad dentes confluentes revellendi & repellendi, qui verò jam influxêre discutiendi & evacuandi, imprimis autem dolor, tanquam symptoma urgens, mitigandus.

Præscripsi hoc nomine anodyna quædam & narcotica, sotirellam scilicet parvam Mindereri & laudatum opiatum cum spiritu vitrioli.

Revulsionis gratiâ cucurbitulas scarificatione scapulis & brachiis apposui: à phlebotomiâ enim prorsus abhorrebat.

Hinc vesicatorium Riverii post aures applicui; Fronti & temporibus

ribus ad intercipiendam fluxionem emplastrum adstringens ex bolo, mastiche, & ovi albumine, induxi.

Interea & collutiones oris ex repellentibus & adstringentibus usurpatæ:

R. Fol. myrrh. plantag. acetos.
ana m ß.
Rad. oxylapath. tormentil.
ana ℥ii.
Flor. rosar. rubr. balaust. ana p.j.
Cort. granator. ʒiij.
Incis. & conquassat. coq. ex aqu. plantag. & aceto q. s. & colent pro collutione oris.

Ad evacuationem humoris serosi & biliosi præbui potiunculam:

R. Rhabarb. opt. ʒiij. Cinam. acut. ʒß. Infund. per noct. in aqu. cichor. ℥iß. Endiv. ℥j. Manè colentur. add. syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒvj. Pulv. Gialapp. gr. IX.
M. F. potiuncula.

Sub noctem magna ex parte remisit dolor, manè ad reliquias materiæ discutiendas & absumendas commendavi aquam rorismarini & salviæ cum tantillo aceti florum lavendulæ. Calorem totius & sitim restinxi Jolabio quod sic componitur:

R. Aq. cichorii. acetos. Endiv.
ana ℔ß.
Syr. berber. ℥iij.
Flor. Rhead. ℥ij.
Spir. ⊖li q. s. ad grat. aciditat.
m.

His methodicè adhibitis ab immani cruciatu liberatus est vir optimus, quem ut porrò salvum & superstitem divina præstet clementia devotè precor.

CASUS XLII.

Dentium Dolor ploratu solutus.

NObilissimus DN. RICHARDUS FROREICH, Hæreditarius in Czarny Damerovv, amicus meus specialis, ultra semestre dentium dolore interpolato & per intervalla recurrente miris modis vexabatur, tentata varia remediorum genera tàm interna quàm externa, sed frustra, subinde enim recruduit dolor, tandem inter acerbissimos cruciatus plorare cæpit, adeò effusè ut ultra horam à fletu sibi temperare non posset; Exindè dolor penitus remisit, absq; ullâ in hunc usq; diem recidivâ.

RESOLUTIO.

Dentium hunc dolorem ab humore tenui & seroso excitatum, nullum est dubium, is fletu solutus & per lachrymas tàm copiosè promanantes, effusus, doloris immunitatē, sublatâ scilicet causâ, dentibus attulit, secundum illud Poetæ (ut inter lachrymas etiam jocari liceat)

Expletur lachrymis, egeriturq; dolor.

CASUS XLIII.

Inflammatio tonsillarum & gurgulionis laxatio.

Serenissimæ Reginæ Sveciæ Consiliarius Dn. Joachimus Transaus von Roseneck/*&c. Sedini Pomeranorum in solenni quodam convivio præter intentionem, Vir alioquin temperantissimus, meracioris vini potu inebriatus, postero die molestiam quandã & dolorem circa radicem lingvæ sentiebat, cum ardore, siti & quadam deglutionis & respirationis difficultate.*

RESOLUTIO.

Tonsillas aut columellam vel utrumq; aliquid præternaturale pati, suspicabar, ac proindè depressâ lingvâ, fauces inspexi, ubi primò intuitu amygdalas, uti vocant sive tonsillas ex utroq; latere tumidas, rubentes & inflammatas, mox & gurgulionem relaxatum & propendentem deprehendi.

Occasionem malo, proculdubio, dedit largior vini generosioris potatio, quatenus sangvis ab ea incalescens & tenuior redditus, ad partes has suâ naturâ molles & laxas defluens, tumorem ac inflammationem excitavit.

Cõfestim itaq; apertâ basilicâ dextri brachii sangvinẽ detraxi, mox ad fervorem sangvinis restingvendum Julabium refrigerans præscripsi:

R. Aq. fragor. acetosell. Endiv. ana ℥vj. Rob. ribium, Syr. berber. rubi Idæi ana ℥ii. succ. citr. ℥iß. M.

Ex topicis gargarismum vel potius collutionem oris ex repellentibus & adstringentibus exhibui:

R. Fol. plantagin. prunell. ana m. Flor. rof. rubr. mß. Cort. granat. ʒiij. Sem. cytonior. ʒiß. Coq. ex s.q. aq. simpl. pro ℔iß. Colatur. add. Rob. ribium ℥ij. diamoron. ℥j. Syr. de agresta ℥ß. M.

Mixtura hæc resupinato capite in ore teneatur tepidè, inflammata enim nec frigus ferunt nec calorem & validâ gargarisatione plus materiæ ad locum affectum attrahitur.

Columellam elongatam sequenti pulvisculo undiquè conspersi, beneficio instrumenti à Guilielmo Fabricio Cent. 2. Observ. 21. depicti:

R. Flor. scabios. balaust. rosar. rubr. Cort. granator. ana ℈iß. Rad. bistortæ, tormentill. gallarum immatur. ana ℈ii. alum. usti ʒiß.

M. F. pulvis.

Sedatâ paulisper inflammatione repellentibus moderatè discutientia admiscui; extra etiam guttur oleo amygdalarum dulcium & liliorum alborum inunxi.

Tandem corpus biliosis humoribus refertum Extracto cassiæ & pulvere meo cholagogo purgavi, sicq; virum integerrimum meiq; amicissimum, DEI gratiâ, bonæ valetudini restitui.

❧ : o : ❧

BALDASSARIS TIMÆI
Von Guldenklee

CASUUM MEDICINALIUM

LIBER SECUNDUS

DE

MORBIS MEDII VENTRIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

ERNESTO BOGISLAO,

Duci Croiano & Areſchottano, Sacri Romani Imperii Principi, Marchioni Havræ, Comiti Baionæ & Fontenoiæ, Domino in Finſtingen & Dompmartin, &c.

Domino meo Clementiſſimo.

ETſi multa ſint & ſublimia, SERENISSIME PRINCEPS, quæ omnium ferè animos in Tui admirationem & cultum rapiant; Nulla tamen ad Celſisſimi Nominis Tui aram fortiùs me trahit catena, quàm excellens Tua in nobilioribus diſciplinis, artibus & ſcientiis peritia, quæ ſanè

Digitized by Google

ſanè tanta eſt, ut dubium multis videatur, quomodo tàm varia & exquiſita numeriſquè omnibus abſoluta & & conſummata in Virum Principem cadere posſit eruditio? Verùm res ipſa loquitur: Audivimus ipſi & hoc ſæpiùs, non de ſcruporum luſu, non de pilâ clavariâ & Harpaſto vel Baſilinda, aut canum venatu aliisquè ludicris, ſed de rebus arduis, ſublimibus & PATRIÆ laborantis ſalutem ſpectantibus, idquè vario lingvarum exoticarum idiomate non minùs expeditè ac vernaculo diſſerentem; Vidimus totam diœceſin, cui tunc Epiſcopatus præeras, in partes abeuntem & de ſalute ſuâ fermè deſperantem Tuis, PRINCEPS ſapientisſime, conſiliis & authoritate compoſitam trnquillitatiquè, quâ etiam nunc gaudet, redditam. Audivimus modò proſâ, modò verſu, qualem vix ipſe condat Pindarus, canentem, Senecæ imprimis & Sarbevii æmulum, ad quorum ductum cûm alia, tùm de vitæ tranquillitate, quam ego Regalibus potiorem æſtimo divitiis, elaboratisſima apud me exſtant Poemata magis mihi cuſtodita, ac Picis ſuum aurum.

Sed nec in his terminari debuit Heroicæ virtutis ſplendor: Altius namquè & ultra Heliconem adſcendit animus etiam Martio avitam fortitudinem conteſtaturus luctamine, in quo etſi ſucceſſus, mutata rerum facie, non reſponderit voto; Ea tamen generoſæ mentis fuit conſtantia, ut non immeritò de Te dici posſit, quod olim de Carolo Rotario Gvarzus: Sono pocchi al mondo prencipi che col valor dell' arme habbiano congiunto l' ornamento delle lettere; Ma Voi Signor havete in tutto il corſo della vita voſtra aſpirato a queſto gemino honore, & ſete non mene farmoſo per li libri, che per la ſpada.

Magna

Magna hæc sunt, Celsissime PRINCEPS, & digna, quæ in TE suspiciamus & veneremur; Major tamen his omnibus pietas, quæ ut pectori Tuo penitiùs infixa & seriò constantiquè æterni Numinis cultu conspicua est, sic perpetuæ felicitatis præmia & ipsa spondet, & nos, quotquot eandem Tecum colimus, apprecamur.

Cæterum ut plenioris elogii, quod virtutibus Tuis, PRINCEPS Optime, debetur, obsidem constituam, ecce cordis hunc & pectoris tractatum toto corde & pectore obfero. Cor principium & fons est vitæ morbisque minùs obnoxium ac reliquæ corporis partes; Jubeat DEUS, ut & Tu, PRINCEPS Clementissime, Cor & pectus nostrum, fons virtutum, non solùm morborum omnium sed & adversitatum quarumcunque exsors & immunis svavioris vitæ fruentiam ad Nestoreos perducas annos! Colbergæ Pridie Calendarum Octobris Anno M. DC. LXI.

Illustrissimæ Celsitudinis T.

subjectissimus

BALDASSAR TIMAEUS
von Guldenklee.

Digitized by Google

INDEX CASUUM
LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

CASUUM MEDICINALIUM LIBER SECUNDUS

DE MORBIS MEDII VENTRIS.

CASUS I.

Angina.

A*Dmodum Reverendus, Generosus & Nobilis DN. HENNING MANTEUFFEL, Episcopi Caminensis Consiliarius & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Colbergensis &c. tempore verno, pluvioso & humido, dolore faucium & gutturis subito prehendebatur cum insigni respirationis difficultate & deglutionis impedimento, lingva & fauces intus tumere & rubere videbantur, calor etiam aderat præternaturalis pulsusq; celer & frequens.*

RESOLUTIO.

Anginam ab inflammatis internis faucium musculis excitatam, tumor atque rubor in faucibus conspicuus indicant.

Ipsa autem *inflammatio ut & tumor ac dolor* à sangvine pituitoso musculos faucium impetente, dependent.

Respiratio difficilis est, quia guttur & spiritales viæ quodammodò præcluduntur.

Deglutitio impeditur, quia gula & musculi Oesophagici & circulatores, cibi & potus ad inferiora detrusionem promoventes, occupantur.

Calor adest præternaturalis, pulsusq; frequens quatenus respiratione impeditâ & conveniente eventilatione denegatâ, cor incalescit, spiritusquè unà cum sangvine arteriali effervescunt.

Præmisso dubii eventus progno-

Digitized by Google

ſtico ante omnia ſangvinem in toto abundantem & ad fauces impetuosè ruentem phlebotomia minuendum & revellendum cenſui, evacuatis tamen prius, Clyſteris operâ, viis ut vocant; communibus.

Hinc ad avertendum & repellendum materiæ in fauces irruentis affluxum, præſcripſi gargariſmum;

R. Flor. roſar. rubr. mß.
balauſt. p. j.
Flor. plantag. ſcabios. ana mß.
Rad. biſtort. ʒij.
Caput. gland. ʒj.
Inciſa & conquaſſata coq. ex aq. ſimpl.
R. Colatur. ℔j. mel. roſar. ℥ß.
diamor. ℥iß.

Altero die majoris averſionis gratiâ venas ſublingvales incidendas præcepi, quo nomine & cucurbitulæ magnæ, quas vulgò ventoſas vocant, ſcapulis & brachiis, ſed citra ſcarificationem, appoſitæ.

Præpedito humorum ad fauces affluxu, materiam ibidem collectam reſolvere & diſcutere tentavi; verùm cum ad ſupputationem tenderet, maturantia tam interna quàm externa adhibui; Eclegma nimirùm ex caſſia extracta & oleo amygdalarum dulcium ut & Gargariſmum, cujus hæc eſt compoſitio:

R. Flor. ſcabios. malv. violar. chamæm. ana mß.
Ficuum no. v. paſſul. minor. ℥j.
Sem. lin. ʒiij. altheæ, fœn. græc. ana ʒiß.
Coq. ex aq. hord. q. s.
R. Colatur. ℔jß. ſapæ ℥iiß. M. pro Collutione.

Pro externis colli partibus inungendis talę præſcripſi ungventum:

R. Ungv. dialth. ℥ß. ol. amygd. dulc. pingved. human. anſerin. ana ʒij. ol. ovorum ʒij. M. F. Ungventum.

Ab illitu appoſitum eſt ſequens Cataplaſma actu calidum, bis vel ter de die repetendum:

R. Medull: pan. triticei ℔ß.
Rad. lil. albor. altheæ ana ℥j
ſem. lini ʒvj. fœn. græc. ℥ß.
Coqv. ex lact. dulci. q. s. add.
ol. amygd. dulc. lil. albor. ana ℥ß
Butyr. recent. non ſalit. ʒvi.
Croci ℈iß. Vitell. ovi no j.
M. F. Cataplasma.

Rupto abſceſſu gargarisma abſtergens præſcripſi:

R. Scabios. flor. roſar. ana mj.
Coq. ex aq. hord. q. s.
R. Colat. ℔j. mel roſar. ℥ij. M.

Tandem pro conſolidatione mixturam ordinavi:

R. Rad. Ireos Florentin. Angelic.
Caryophyllat. ana ʒi.
alum. uſti ℈ij. mel roſar. ℥ij. M.

His tempeſtivè & methodicè adhibitis, à ſtrangulationis præſentisſimo periculo DEI gratia, perfectè liberatus eſt Æger, in hunc usq; diem ſalvus & incolumis.

CA-

CASUS II.

Peripnevmonia.

ANNO M. DC. XXXVI. die XXV. Octobris ex decreto Amplissimi Senatus Colbergensis Officinæ Pharmaceuticæ visitationem annuã & solemnem præsentibus Viris Nobilissimis & Consultissimis DN. FELICE BRAUNSCHVVEIG Consule, DN. JACOBO HAN & LAURENTIO HENNINGIO Senatoribus &c. exordiri à simplicium examine capi, ecce Smaragdus annulo aureo inclusus, quem in digitorum minimo gestabam, quiescente & mensæ impositâ manu, sede suâ motus, in medium prosiliit & prope Pharmacopœum ordinarium DN. LAURENTIUM TREDERUM concidit; Paullò post dolore gravativo pectoris & angustia prehendebatur, ut ab opere capto desistere & lectum petere cogeretur, febricitabat acutissimè, tussiebat sæpè & ferociter, respirabat difficillimè & summo cum labore, erectâ cervice & crebrâ anhelatione, facies & genæ rubore videbantur suffusæ, oculi & venæ temporum tumidæ, sitis vehemens, vigiliæ contumaces, pulsus magnus & languidus. Initio usq; ad quintum pauca quædam & cruenta exspuebat, sexto nihil, septimo moriebatur.

RESOLUTIO.

Pleuritidem initer initia timebat Æger quâ & antea laboraverat, verum aliud indicabat dolor, qui in pleuritide pungens esse solet, & summa respirandi difficultas ut & ipsa febris, cujus acuties eam quæ pleuritidem comitatur, longè superabat, unde peripneumoniam adesse pronunciabam, natam ex sangvine in pulmonum substantiam effuso.

Respiratio difficilis est & anhelosa, ob locum affectum, pulmones scilicet qui sangvine in ejus substantiam, ut dictum, effuso pleni, aerem ut opus excipere nequeunt.

Febris adest acutissima, ob magnum pulmonis incendium, unde exhalantes fumi vaporesquè calidissimi vicino cordi subindè communicantur.

Tussis molesta est & vehemens, quia facultas expultrix ab inflammationis affluxu, ad expellendum irritatur.

Facies & genæ rubent, propter exhalationes fervidas & vapores ad caput elevatos, sangvinemq; simul secum rapientes.

Eadem de causa & oculi ac venæ temporum tument.

Digitized by Google

Sitis urget ob lingvæ & faucium, quam vapores calidisſimi ab inflammatis pulmonibus aſſurgentes inducunt, ſiccitatem.

Vigiliæ contumaces, à vaporum ex fonte inflammationis ad caput & cerebrum ſubindè exhalantium caliditate & ſiccitate proveniunt.

Pulſus magnus eſt, ob vehementiorem arteriæ motum uſumquè auctum, langvidus tamen ob virtutis debilitatem.

Initio pauca exſpuuntur & cruenta ob humoris contumaciam & cruditatem, poſtea nihil, ob naturæ jam ſuccumbentis infirmitatem.

Etſi verò & morbus per ſe acutiſſimus & ſymptomata graviſſima & virium in ſexagenario debilitas, præſens vitæ minari viderentur periculum, lachrymis tamen & precibus Conjugis, non minùs ac ſingulari amore, quo virum optimum complectebar, motus, intermittere non potui, quin exquiſitiſſima artis tentarem præſidia:

Illicò namque ad revellendum evacuandumque affluentem ſangvinem, phlebotomiam medianæ in brachio dextro inſtitui; mox & Clyſterem ad avertendum à pectore materiæ impetum præſcripſi: Hinc omni conatu in id incubui, ut pectus à moleſtiſſimo liberaretur onere, febriliſque ardor, vires admodum dejiciens, reſtingueretur: Exhibita hoc nomine potiuncula:

R. Syr. ex ſucc. violar. ℥iij.
flor. Rhead. ℥j.
Spirit. ♀is gt. xv. M. exactiſſ. poſteà add.
Aq. fragar. farfar. ſcabios.
Capill. Vener. Card. bened. ana ℥iij.
M. pro 5. doſib. manè & veſperi ſumendis.

Intereà ſingulis horarum momentis ad accelerandam materiæ maturationem promovendasquè expectorationes, tantillum Ecclegmatis datum eſt:

R. Syrup. capill. Vener. violar. de liquir. de Hyſſopo ana ℥j. praſſ. ℥ß.
Succ. liquirit. depurat. ℈ij.
Aq. fragariæ, hyſſopi ana ℥ß.
M. F. lambitivum.

His ita præmiſſis ad ferventiores humores ſubducendos lenitivum ex decocto pectorali, caſſiâ extracta & ſyrupo roſar. ſolutivo exhibui, repetito deinceps alterantium & expectorantium uſu, quo fine & topica quædam ex lenientium, emollientium & diſcutientium cenſu adhibita.

Pro virium refectione aquam meam Cordialem frigidam cum Julepo violarum & guttulis aliquot ſpiritus fragorum per intervalla exhibui, applicato & pulſibus & cordi convenienti Epithemate.

Vigiliis ungventum ſomniferum granis aliquot laudani opiati impprægnantem oppoſui, fricando inter

terdum & tempora futuramque coronalem oleo violaceo, cum tantillo aceti rosacei penetrationis gratiâ mixto.

Ad sitim quæ vehementer urgebat compescendam præscripsi Jolabium & pectori & palato non ingratum:

R. Rad. liquirit. ℥iij. sem. fœnicul. ʒj. Cinam. acutiss. ℈ij. sacch. cand. ℥ij. Aq. hordei, ℔vj. coq. ad tertias, incolatur. dissolv. Julep. violar. ℥ijß. spir. ♀is gt. xv. M.

Victus rationem laudavi humectantem & refrigerantem ex cremore ptisanæ hordeaceæ, jusculis consummatis gallorum, caponum, carnium vitulinarum, amygdalarum dulcium & aliis optimè nutrientibus, quibus subindè aliquid succi granatorum vel citri additum. Sed frustrà omnia; prostratis namquè morbi & symptomatum violentiâ viribus, cum respirare amplius non posset, exspiravit Æger, cujus animæ benè sit in Domino.

Cæterùm mirari magis quam rimari subit, quâ vi Smaragdus ille, cujus suprà memini, auro inclusus, satisquè firmiter palæ impactus, quiescente manu, sede suâ moveri & in altum exsilire potuerit? Laxatâ vel attrita aut compresâ palâ seu fundâ hoc factum dices? At nihil horum accuratius tàm orbiculum, quam fundam inspicientibus observatum, quæ singula vel Aurifabro & Gemmario judice integra & illæsa deprehendebantur. Simile quid & Nobilissimi cuidam fœminæ, Anno M. DC. XXXII. ipso Natalium Salvatoris nostri festo accidit: Exsiliens namque quiescente manu ex annulo Smaragdus, in mariti assidentis sinum decidit, qui ipse paullò post febri malignâ correptus, occubuit.

Ominosa hæc quidem sed mira videntur & captum humanæ mentis excedentia; Naturaliter tale quid à gemmâ fieri non posse, nemo est qui ignoret; Nulla enim caussæ cum effectu probabilis inveniri potest connexio; Alteri itaque causæ, supernaturali videlicet, hoc adscribendum erit, quæ idem per quodvis subjectum agere potest, si velit. Causa autem supernaturalis & agens est DEUS, Angelus bonus & malus: Bonus DEI voluntate, malus permissu agit, ut doctè disserit Anshelmus Boetius in Gemmarum & lapidum Historiâ cap. 25. An verò DEUS, an Angelus bonus, DEI voluntate, per gemmam hanc, vicinam mortem præsagire, an diabolus permissu DEI terrere voluerit, nemò facilè, meo quidem arbitratu, dixerit. Tutissimum est, cum talia fiunt, animum constanti in DEUM fiduciâ contra omnem superstitionem obfirmare. Summumquè illud Numen piis precibus

bus devenerari ut pro immensâ potentiâ suâ impendens malum avertat, opera diaboli destruat & beatum quando divinæ ejus voluntati visum fuerit, ex hac vita exitum largiatur.

Intereà sic vivere, ut omni momento parati simus, expiatam flagitiis animam DEO Creatori, piè placidequè reddere.

CASUS III.
Peripneumonia pleuritidi superveniens.

AMplissimus & prudentissimus DN. EDVVARDUS KUNDENREICH, Senator Colbergensis meritissimus, Socer meus longè dilectissimus, ANNO M. DC. XXXII. circa veris initium post vehementem corporis exercitationem incidit in febrim continuam, cùm acutissimis lateris sinistri doloribus, tussi & respiratione difficili, sub noctem punctiones aliquantulum videbãtur remittere, sed respirandi difficultate in tantum auctâ, ut non nisi erectâ cervice spiritum duceret; paullò post & lateris dolores recruduere eâ vehementiâ & anxietate, ut nec sedere nec decumbere posset, corpus hinc indè jactitans situmq; in momenta quasi mutans, accedebant vigiliæ perpetuæ, sitis incompescibilis, summa viriū debilitas & tandem mors.

RESOLUTIO.

Verè olim 7. Aphor. 11. scriptum reliqvit Hippocrates: A pleuritide peripneumonia malum. Fit enim translatio ab exterioribus ad interiora & â minus nobilibus ad nobiliora, cordiqvè viciniora: In præsenti tamen casu aliqvalem salutis spem facere videbatur doloris acutissimi in latere remissio, unde humoris paucitatem, qvi totus ex pleurâ in pulmones translatus esset, ominabar: Solet enim tunc mitior subseqvi peripneumonia, ut in Coacis annotavit Hippocrates: verùm cum punctiones lateris recrudescerent, auctâ insuper & spirandi difficultate, aliter sentire & ferê non desperare cæpi, benè conscius tantam indicari humoris pleuritidem excitantis copiam, ut in pleurâ totus contineri non possit, sed in pulmones redundet & utramqvè partem afficiat.

Nihil itaqve in malo acutissimo cunctatus primo statim invasionis die apertâ venâ brachii oppositi seu dextri sanguinem detraxi, mox emollitâ & subductâ per Clysteris injectionem alvo, febris incendium restinguere, pectusqvè ab infestissimo onere liberare tentavi, exhibita florum Rheados tincturâ, cujus hæc est compositio:

R. Flor.

Digitized by Google

R. Flor. papav. erratic. mij. Affund.
aq. sangvisorb. caresol.
heder. arboresc. scabios.
Card. ben. ana ℥iiij.
Spir. ♎ris acidi q. s. Extrah.
Tinctura. Colatur. add.
Syr. ex succ. violar. flor. Rhead.
ana ℥ij. M.

Hinc ad materiæ maturationem & expectorationem iteratis per brevissima temporum intervalla vicibus, lambitivum præcedente casu descriptum, præbui, continuato nihilominus & tincturæ superioris usu.

Tertiò, urgente sangvinis in pleuram & pulmones effusi copiâ, derivationis & evacuationis gratiâ, phlebotomiam repetii, sectâ sinistri sive affecti lateris basilicâ.

Quartò & sequentibus, manè decoctum, vesperi Emulsionem, interdiu noctuquè lambitivum per vices exhibui:

Decocti hæc est descriptio:

R. Rad. liquirit. ℥ß.
Tussilag. ʒiij.
Herb. scabios. Capill. Vener.
fragat.
Cerefol. heder. arboreæ.
Card. bened. ana mß.
Flor. bellid. c. toto. papav. erratic. ana p. ij. violar. p. j.
Ficuum no. v.
Jujub. sebeston. ana no. IX.
Passul. min. mundat. ℥i.
Sem. melon. excort. malv. ana ʒii.
Coq. ex s. q. aq. hord.
R. Colatur. ℔iß.
add. syr. flor. Rhead. ℥iß.
de liquirit.
ex succ. card.
ben. ana ℥j.
Spir. ♎ris acidi gt. xv. m.
Emulsio sic præparatur.
R. Sem. 4. frig. maj. excort. ana ʒj.
Card. ben. Mariæ ana ʒß.
Amygd. dulc. ʒiij.
pinear. mund. ʒij.
Aq. scabios. fl. Rhead. Card. B.
ana ʒj.
M. F. s. a. Emulsio.
add. pulv. nostr. pleuritic. ℈j.
M. pro unâ dosi & sic pro sequentibus.

Lambitivi compositio talis est;

R. Looché tussilagine ℥iß. syr. de althea, violar. ana ℥i. de liquirit. de hyssopo ana ℥ß.
M. F. Eclegma.

Ex topicis affecto lateri Emplastrum induximus:

R. Ol. Chamæmel. amygd. dulc.
violar. ana ℥ß.
Adipis anserin. ʒiij.
Pulv. marrub. hyssopi
Irid. florentin. ana ℈ii.
Terebinth. c. acet. fort. lotæ q. s.
M: F. Emplastrum.

Ad sitim restingvendam arcendasquè vigilias remedia præcedenti casu præscripta, commendavi.

Pro virium refectione Confecti-

onem Alkermes cum aquâ mea cordiali frigida, pulverem item pretiosum aureum, Emulsionem perlarum, tincturam Coraliorum & alia per vices exhibui, sed irrito conatu; major enim erat vis morbi, quam ut ab arte & natura superari posset, unde prostrato omnium virium robore, die septimo inter preces & suspiria placidè obdormivit Vir integerrimus.

Memoriam Soceri desideratissimi hæc mea posteritati commendat Epigraphe:

EDVVARDUS CUNDENREICH
ANTIQVA ET MONASTERII
VVESTPHALORUM CELEBERRIMA
FAMILIA ORIUNDUS.
LONGIS PEREGRINATIONIBUS
TERRA MARIQVE
ETIAM INTER VINCULA ET
CAPTIVITATIS CONFECTIS
NON MINUS
AC RERUM GERENDARUM
USU ET PRUDENTIA
CLARUS
PRISCAE FIDEI ET CANDORIS
EXEMPLUM
DECUS SUORUM
MAXIME VERO ET PATRIÆ
DE QVA BENE MERERI
NON DESIIT
DONEC IPSE DESIIT
E VIVIS SUBLATUS
HEIC REQVIESCIT MORTUUS.

CASUS IV.
Phtisis.

Virgo nobilis BARBARA JULIANA Filia Generosi & Strenui DN. BRUNO-OTTONIS RHAMIN, Capitis doloribus & Catarrhis subindè obnoxia, tussi molestissima & ferè continuâ, ultra semestre affecta; multum materiæ flavescentis & purulentæ rejiciebat, respirabat difficulter, sudabat sæpius cum totius corporis extenuatione & febri lentâ, pulsus modò langvidi erant, modò celeres, modò duri, modò molles, accedebat tandem & capillorum defluvium, diarrhæa, pedum tumor aliaquè perniciosa symptomata, ultimò mors.

RESOLUTIO.

Ab acri & diuturno humorum à capite defluxu, pulmones erosos & exulceratos, indeq; phtisin excitatã, omnia modò enumerata manifestè produnt: Arguit hoc ipsum capitis im-

imbecillitas, ob quam facilè repletur multasq; defluxiones ad pectus & pulmones mittit, cui accedit hæreditaria ad phtisin dispositio, quam ex pectore angusto & restricto, fatoquè Parentis, eodem morbo extincti, colligo.

Tussis molesta est & frequens ob assiduam irritationem pulmonum ab humoribus salsis & acribus excitatam.

Respiratio difficilis propter facultatis imbecillitatem & bronchiorum obstructionem.

Sudores nimii & frequentes ab imbecillitate facultatis naturalis, quæ humores tàm naturales quàm excrementitios retinere nequit, proveniunt.

Extenuatio corporis à febre lentâ, febris autem à vaporibus putridis & calidis ex ulcere effumantibus & cordi communicatis, dependet.

Pulsus modò langvidi sunt, ob virium & caloris nativi debilitatem, modò celeres ob usum auctum & facultatem langvidam, nunc duri, ob corporis & arteriæ siccitatem, nunc molles, ob materiam humidam arterias humectantem.

Capilli defluunt ob alimenti corruptionem & penuriam.

Diarrhæa ex retentricis ventriculi & intestinorum imbecillitate, humorumquè corruptione promanat.

Pedes tument propter caloris nativi debilitatem.

Curationem admodùm difficilem, urgente Virginis venustissimæ matre & sororibus præmisso exiguæ spei prognostico, auspicatus sum à Catarrhi ad pectus & pulmones à capite subindè destillantis & materiam ulceri & corruptioni suppeditantis amolitione, quo fine inter initia & constantibus adhuc viribus exhibui potiunculam laxativam:

R. Decoct. galli veter. cichorio, farfara, botryde, liquirita & polipodio infarcti ℥vi.
Infund. Rhab. elect. ʒj. Agaric. trochisc. ʒiß. sem. cartham. ʒij. passul. minor.
Ebulliant semel atque iterum, postea exprim. R. Colatur. ℥iij. mann. puriss. ℥ß. Mixta colentur denuò.

Interdum pilulas de succino Cratonis ex syrupo violarum paullò ante somnum degluttiendas pondere scrupuli unius vel drachmæ semis, præbui.

Pro particulari Capitis evacuatione præscripsi Errhinon ex succo majoranæ, betæ & betonicæ.

Foris cohibentia & exsiccantia catarrhos applicui, sacculum videlicet Fernelii ex milio & sale torrefactis, Cucuphas item ex succino,

rosis, thure, coriandro, santalis cortice pini, cypero, nigella torrefacta, gummi hederæ, styrace, laudano, Benzoe, spodio, balaustiis &c. ex quibus & suffumigia excitata.

Pro revulsione, frictiones brachiorum, crurum & pedum horis matutinis & vespertinis institui, sub noctem & plantæ pedum medullâ cervinâ, quantum ferre potuit, calidissimè inunctæ.

Excitatus etiam mox inter prima morbi initia ad revulsionem & materiæ continuò genitæ paulatinam emissionem fonticulus in brachio, sed exiguô fructu, raro enim indè tantillum exstillabat, materiâ consvetâ viâ ad pulmones deflente.

Ad intercipiendum Catarrhum interdum diacodion aut conservam rosarum antiquam cum bolo Armeno, interdum pilulas Freitagii de opio ex syrupo papaveris erratici, sub noctem exhibui.

Hinc ad ulceris abstersionem præscripsi mixturam ex sequentibus.

R. Aqv. scabios. veron. hyssop. ana ℥iiiiß.
Syr. de liquir. Capill. Vener. Hyssop. ana ℥j.
Mell. rosar. ʒvi. M. pro sex dosibus.

Eadem intentione & hydromel meum pectorale, palato non ingratum, sæpiusculè delibavit.

Deterso ulcere ad consolidationem pulverem Haly & destillatum meum antiphtisicum commendavi, quod sic componitur:

R. Carn. cancr. fluviatil. leni ebullitione prius decoct. no. xv.
Pulmonem & Epar vituli cum corde, Caponem deplumat. & exenter. no. j.
Medull. pan. tritic. ℥iiij.
Hord. mund. & contusi ℥iij.
Rad. tormentill. farfar. symphyti liquirit. altheæ ana ℥j.
Herb. veronic. sanicul. botryos scabios, alchymill. pyrol. ana mij. Hed. terrestr. miij.
Cinam. acutiss. ℥j.
Lact. caprilli recent. mulcti ℔vj.
Aqv. veronic. hed. terrestr. ana ℔iiij.
Mixta destillent. in arenâ ad ℔vj
D. in vitro. S. destillatum primum.

Quod posteè destillat servetur seorsim in vitro s. destillatum secundum.

Primum destillatum sumatur horis matutinis ad ℥iiij. vel v. c. syrup. de symphyto ℥j. M.

Secundum destillatum vesperi usurpetur & noctu, hunc in modum præparatum:

R. Sem. papav. alb. ℥ß.
4. frigid. maior. excort. ana ʒij.

Amygd.

Amygd. dulc. electar. non rancid. ℥j.
pinear. recent. ʒvj.
Deſtillati ſecundi ℥viij. M.
F. ſ. a. Emulſio Rotulis manus Chriſti vel Sacch. cand. dulcoranda.

De hac Emulſione bibat quantum libuerit.

Intereà ſingulis ferè horis Looch de ſymphyto cum conſerva roſarum delibet, vel Eclegma noſtrum ulceris glutinationi convenientisſimum:

R. Succ. ſymphyt. major. ℔iſſ.
veronic. portulac.
roſar. rubr. ſalviæ
heder. terreſtr. pulmon. aur.
pimpinell. ana ℥iiij.
Depurentur diligentiſſimè &c.
ſ. q. Sacchar. albiſſ. coq. ad conſiſtentiam Ecclegmatis.

His omnibus parum proficientibus, uſum lactis caprilli, quod non ſolum ulcus conſolidare, ſed & corpus emaciatum inſtaurare, caloremq; febrilem mitigare creditur, commendavi, præſcripto ſimul & convenienti ex refrigerantibus & optimè nutrientibus, victu.

Ex carnibus laudavi caponum, gallinarum, pullorum, perdicum, phaſianorum, avium memoralium, vitulorum, vervecum, earundemq; jura conſummata.

Ex piſcibus lucios, percas, murænas, certas, fundulos.

Ex teſtaceis cancros ſive gammaros, oſtreas, limaces, ſed cum cautione.

Ex fructibus amygdalas, avellanas Lombardicas, pineas, piſtacia, paſſulas, ficus, pyra moſchatellina, Bergomenſia, poma Borsdorfiana &c.

Ex frugibus oryzam, triticum, hordeum, avenam, maximè earum pultes.

Vino, cibis acribus, acidis, ſale conditis, fumo duratis &c. interdixi, proſcriptis etiam animi affectibus, irâ, triſtitiâ, mœrore, profundis cogitationibus &c.

Alvum obſtructam, juſculo carnium pingvi vel lacte dulci & ſaccharo per Clyſterem injecto, emollivi, laxam, quæ nocentior, conſerva roſarum antiqua & bolo inhibui.

Verùm utut curioſè hæc omnia à me præſcriberentur, pleraquè etiam ab Ægra ſatis morigera obſervarentur, nihilominus in eam morbus lento gradu proceſſit ferociam, ut abſumtâ pulmonum ſubſtantiâ & exhauſto radicali humido ipſam animam ab emaciato & vix oſſibus hærente corpuſculo, divelleret.

CASUS V.

Pleuritis bilioſa.

Nobilissimus & Amplissimus DN. JOHANNES PRITZ Consul Colbergensium meritissimus, temperamenti calidi & humidi, corpore obesus & plethoricus, postquam æstuante cælo ad Salinarum fontes exspatiatus, supra modum incaluisset, noctu incidit in febrim acutam cum tussi & dolore lateris sinistri pungitivo; respiratio subsequebatur difficilis, pulsus durus, inæqualis & velox, exspuitiones subpurulentæ & interdum sangvine tinctæ.

RESOLUTIO.

Sangvinis ad latus affluxum in corpore plethorico ab æstu & vehementiore corporis motu concitatum, pleuræ inflammationem excitasse, signa hujus morbi pathognomonica satis innuunt.

Febris adest acuta, ex phlegmone in loco cordi vicino, accensa.

Tussis molesta est, tùm quia spacium in quod spirandi organa distendi debent, à tumore in pleurâ occupatur, unde natura ad expulsionem istius impedimenti insurgit, tùm quia pulmonibus subindè aliquid materiæ communicatur, quod non nisi per tussim excerni potest.

Dolor lateris pungitivus à sangvine in membranam quæ costas succingit effuso, dependet.

Respiratio difficilis est & frequens quia propter inflammationem & dolorem, respirandi organa satis dilatari nequeunt.

Pulsus durus est & serratus ob tensionem & duritiem inflammatæ membranæ.

Inæqualis ob febrim continuam quæ cum morbo conjungitur.

Velox, quia motus extensionis, qui ob dolorem parvus est, eventilationi non sufficit.

Exspuitiones subpurulentæ sunt & cruentæ, à materia quæ ex pleura in asperam arteriam penetrat & hinc per tussim rejicitur.

Etsi verò cùm ob morbi acutiem & gravitatem, tùm ob plethoram quæ in hoc Viro insignis erat, anceps quodammodo videretur eventus, naturæ tamen robori confisus, artis præsidia arripui & primò quidem ad sangvinem in toto minuendum simulquè à loco affecto revellendum venam brachii in opposito postmodum etiam in affecto latere aperui.

Hinc ad materiæ præparationem & expectorationem præscripsi decoctum manè & vesperi sumendum:

R. Herb. scabios. Card. B. ana mj,
Flor. bellid. c. foliis, violar.
papav. errat. ana mß.
Rad. liquir. ℥ß. Cichor. ʒiij
asparag. fænic. ana ʒiiß.
Passul. min. ℥j. Ficuum no. v.
Sem. melon. Card. B. ana ʒij.

fæni-

fænicul. ℨj.
Coq. ex f. q. aq. hord.
℞. Colatur. ℔iß.
Syr. de liquirit. ℥iß.
fl. Rhead. ℥j.
Spir. ♀ris acidi gt. xv. M.

Ad caloris incendium sitimquè restingvendam commendavi Tincturam florum Rheados cum aqua farfaræ & hederæ terrestris, additis guttulis aliquot spiritus ♀ris acidi, extractam & syrupo ex iisdem floribus edulcoratam. Sæpè etiam mixturæ sequentis cochlear unum atque alterum delibavit, cujus usu expectorationes egregiè promoventur:

℞. Aq. scabios. Card. B. farfaræ
ana ℥iij.
Syr. violar. ℥iß. flór. Rhead. ℥j.
Succ. citr. recent. express. ℥iß. M.

Ad doloris mitigationem lateri affecto Emplastrum diachylon simplex alutæ inductum, applicui.

Cordis refectioni multum profuit Confectio Alkermes cum aqua mea cordiali frigidâ & syrupo perlarum orientalium exhibita.

Victum inter initia præscripsi tenuem ex cremore ptisanæ hordeaceæ, postmodum & ova tremula, carnes pullorum, gallinarumq; piscesquè melioris notæ & friabiles concessi.

Pro potu ordinario commendavi Cerevisiam Servestanam & Colbergensem, aquam item hordei cum passulis & liquiritiæ decoctam. Vino prorsus interdixi & omnibus adstringentibus, actuquè frigidis.

Undecimo convaluit vir integerrimus mihiquè amicissimus, quem ut bono publico turbulentissimis hisce temporibus diutissimè salvum incolumemquè divina præstet clementia, devotè precor!

CASUS VI.

Pleuritis pituitosa.

BARBARA, Uxor DNI. JOHANNIS CALSOVII, annorum triginta quatuor, temperamenti calidi & humidi, circa solstitium brumale, cum noctem cerevisiarum cocturâ ad ignem transegisset, manè de sinistri lateris dolore pungitivo conquerebatur, cum tussi & totius corporis æstu; Respirabat difficillimè & frequenter, pulsus tangenti videbatur durus, inæqualis, velox, exspuebat pauca quædam viscida & subcruenta.

RESOLUTIO.

Pleuresi Ægram laborare planissimum erat: Quare illico revulsionis gratia venam in brachio lateris oppositi aperiendam præcepi, detracto ad uncias circiter septem sangvine, qui cum crassior & pituitosus proflueret, pro attenuatione

tione & expectoratione lenti viſcidiquè humoris decoctum ſequens admiſtis appropriatis antepleuriticis præſcripſi:

R. Rad. fænicul. ℥ß.
Enul. liquir. ana ʒiij.
Sem. aniſ. fænicul. ana ʒj.
melon. ʒiß.
Herb. ſcabios. Card. B. Salviæ Hyſſop. ana mß.
Flor. violar. piß. bellid. mß.
papaver. errat. pij.
Ficuum no. v.
Coq. ex ſ. q. aq. ſimpl.
R. Colat. ℔iß. add. ſyr. capill.
Ven. de liquir. ex ſucc.
Card. B. ana ℥j.
Oxymel. ſimpl. ℥ii. M.

Ad evacuationem materiæ exhibui potiunculam ex decocto meo laxativo & caſſiâ, cumquè toto morbi decurſu alvus eſſet ſegnior, Clyſteribus lenientibus eandem ſubindè ſollicitavi, quin & potiunculam modò dictam, ob cacochymiam, perductis ad maturitatem humoribus, repetii. Ex appropriatis pulverem meum antipleuriticum ex aqua florum chamemæli per vices exhibui.

Ad calorem & ſitim, quæ tamen adeò non urgebat, Jolabium ordinavi, quo ſimul materia craſſior attenuatur, expectorationesquè promoventur:

R. Mell. virgin. puriſſ. ℥j.
Acet. vin. alb. ℥ij.
Sacch. Canar. ℥iiß.
Aq. fontan. ℔iiij.
Coqvantur & probè deſpumentur
Colatur. d. in vitro.

Lateris dolorem tali linimento in horas fermè repetito feliciter mitigavi:

R. Ol. chamæmel. ℥j.
amygd. dulc. lil. albor. ana ℥ß.
Ungvent. dialthea ʒvj.
Pulv. rad. Ireos, flor. chamæm. ana ʒj.
Ceræ parum, M. F. Ungventum.

His methodicè diligenterquè adhibitis bonæ quidem valetudini reſtituta eſt Ægra, paucorum tamen menſium intervallo, febri petechiali, populariter graſſante, exſtincta.

CASUS. VII.

Pleuritis ex ſubitâ refrigeratione & menſibus repentè ſubpreſſis.

ANNO M. DC. XXXIX. Menſe Novembri Piſcatoris cujusdam Uxor, ordinario menſium fluxu laborans incidit in profluentem, paullò poſt ſubpreſſo fluxu, punctionibus lateris dextri corripiebatur, cum febri acutâ, tuſſi, & reſpiratione difficili.

RESOLUTIO.

Sumſerat ex conſilio cujusdam Vetulæ pulviſculum ex Euphorbio, poſt-

poſtmodum ſvaſu Barbitonſoris medicinam purgantem, neſcio quem, ſed absque effectu. Ego in extremo quaſi mortis articulo acceſſitus, ad virium refectionem cochlear unum atque alterum Aqv. Cinam. cum florib. borraginis & bugloſſi deſtillatæ per vices exhibui, applicato ſimul & cordi pulſibusquè convenienti Epithemate. Inſtitutæ & pedum calentibus pannis frictiones; mox ubi ad ſe paullulum redire videretur Ægra, clyſterem præſcripſi ex lenientibus, menſesquè provocationibus, cujus uſu ingentem fætidamquè vitioſorum humorum copiam dejecit, exſtillantibus quoq; è locis muliebribus guttulis aliquot craſſi nigriquè ſangvinis. Sub veſperam dedi potiunculam actu calidam:

R. Aq. Arthemis. meliſſ. Card. ben. Scabioſ. ana ℥j.
Diſſolv. in his Extr. Enul. gr. xv.
Croci gr. v.
Pulv. myrrh. elect. ℈j.
Succin. alb. præpar. ℈ß.
Pulver. noſtri antipleuritici ℈j.
Caſtorei gr. v. m.

Manè ſangvinem ex ſaphenâ pedis detraxi, paullò poſt ſpermatis Ceti drachmam unam cum tantillo Caſtorei ex Cereviſiâ calidâ exhibui, feliciſſimo & admirando ſucceſſu. Menſibus enim copioſè prorumpentibus, rejectaquè per ſputum cruentâ materiâ intra triduum præter omnem ſpem & exſpectationem convaluit Ægra.

CASUS VIII.

Pleuritis cum febre maligna & gangræna brachii lethalis.

ANNO M. DC. XXVII. Menſe Januario Nobiliſſimus DN. PAULLUS A DAMITZ, Juvenis viginti ſeptem circiter annorum, febri acutâ correptus, vehementiſſimos lateris ſiniſtri dolores & punctiones patiebatur, cùm tuſſi ſiccâ & inſigni præcordiorum anguſtiâ, viceſimo morbi die ſupervenit gangræna brachii, & paullò poſt mors.

RESOLUTIO.

Initio juſſu Parentis, Enema ex lenientibus & emollientibus injectum; Altero die pro eliciendis ſudoribus Unicornu datum ex aqua Cardui benedicti; Tertio, ſuaſu Cheirurgi baſilica brachii in latere affecto aperta eſt. Ego quintâ demùm morbi die acceſſitus, inveni delirantem & toto corpore intenſiſſimo calore æſtuantem, pulſus erant inordinati, inæquales, caprizantes, vires dejectæ, vigiliæ contumaciſſimæ; Exhibui horâ nonâ veſpertinâ, quâ ipsâ primum acceſſeram potiunculam ex antipleuriticis & Bezoarticis:

R. Aq. ſcabios. ℥iſſ. Card. ben. ℥j. flor. Rhead. ℥ſſ.
Lapid. Bezohar. gr. vij. Raſur. dent. apri. ℈j. Conf. Alkerm. ℈j.
Syr. flor. Rhead. ℥ſſ. M.

Cordi & pulſibus epithemata convenientia applicui, utque doloris vehementia mitigaretur, latus affectum oleo amygdalanum dulcium & liliorum alborum inunxi.

Ad infringendam Vigiliarum pertinaciam & conciliandum ſomnum, temporibus & fronti Ungventum meum ſoporiferum laudano opiato Quercetani mixtum, alutæque inductum, impoſui, nec ſine ſucceſſu, quievit enim câ nocte ultra trihorium.

Manè Emulſionem Cratonis ex ſemine Cardui benedicti, napi &c.

Cum pulvere Bezoartico Sennerti & Unicornu, quod ex Perſiâ nuper allatum & ab Illuſtriſſimò Principe Holſatiæ ſibi datum, valdè commendabat Parens, exhibui, provocatis in lecto ſudoribus, non ſine notabili allevatione.

Cum ſitis Ægrum urgeret, confeci Jolabium refrigerans, malignitati reſiſtens & pleuritidi convenięns:

R. Raſur. Corn. Cervi ℥iſſ. affund. Aq. fontan. puriſſ. ℔vj. Coqv. ad remanent. ℔iiij. Colatur. adde mellis virginei ℥j. Sacch. canar. ℥iiſſ. Acet. vin. alb. ℥iiſſ. Coqv. denuò ad remanent. ℔iij. Colatur. add. ſyr. flor. Rhead. ℥ij. M.

Ad expectorationes promovendas, ſingulis ferè horarum momentis, cochlear unum atque alterum ſeq. mixturæ delibavit:

R. Aqv. farfaræ, Scabios. Card. Bened. ana ℥iij.
Syr. violar. Capill. Veneris, de hyſſop. ana ℥j.
flor. Rhead. ℥ſſ.
Oxyſacch. ℥iſſ.
ſpir. ♁ris gt. IX: M.

Pro cordis & virium refectione aquam meam cordialem frigidam cum confectione Alkermes & rotulis manus Chriſti perlatis, Vellus item aureum Weidneri, Emulſionem perlarum & alia pretioſa per vices exhibui repetito & Bezoarticorum & antipleuriticorum uſu.

Hinc lateris doloris, tuſſis, cordis anxietas & reliqua ſymptomata ex toto remiſêre, Ægerque meliùs habere, cibum appetere, è lecto ſurgere, deambulare & ad munia conſveta redire cæpit.

Poſt diſceſſum meum, viceſimo morbi die, menſæ accumbens, inter prandendum, ſtupore dextri brachii ſubitò corripitur, Chirurgus præſens detractâ veſte, totum brachium vehementer inflammatum & colore ſubnigro infectum videns, gangrænæ imminenti convenientia quædam opponit remedia, Vir alioquin experientiſſimus, ſed fruſtrà; paucarum enim horarum

rum ſpacio ſuperveniente ſphacelo, Æger inter crebriores lypothimias & ſyncopes, exſpiravit. Cauſam hujus mali latentem quandam malignitatem fuiſſe nullum eſt dubium, quatenus cum impetu in brachium delapſa, ſuffocato calore nativo gangrænam & ſphacelum excitavit. Unde liquidò conſtat, quàm occulta, pertinax, ſubdola & potens ſit vis & natura veneni, quæ etiam tot Bezoarticorum probatiſſimorum iterato uſu, penitus expugnari non potuit. Simile quid obſervavit Gvilielmus Fabricius Cent. 3. obſervat. 92. & Sennert. lib. 5. Medic. pract. part. 2. cap. 19.

CASUS IX.

Pleuritis graviſſima cum vigiliis contumaciſſimis aliisq; ſymptomatibus, divinitus curata.

A*NNO M. DC. LVI. die XXVII. Octobris manè inter horam octavam & nonam Conjux mea JUDITH KUNDENREICHIA rigore totius corporis, mox calore intenſiſſimo & inſigni præcordiorum anguſtia prehendebatur, ſub noctem ſupervenêre dolores pungitivi lateris dextri cum tuſſi ſicca & reſpiratione difficili, pulſu duro, parvo & frequenti.*

RESOLUTIO.

Cum ex ſignis modò recenſitis pleuritidem adeſſe, haud obſcurè colligerem, revulſionis gratiâ ilicò ſangvinem ex venâ brachii oppoſiti ad uncias circiter ſeptem detraxi.

Mox ad præparationem & evacuationem materiæ decoctum meum ante pleuriticum præſcripſi, cujus uſum, quamvis non adeò ingratum, penitus tamen reſpuebat; ſubſtitui Emulſionem ex ſeminibus Card. ben. Card. mar. melon. cum aquis ſcabioſæ, heder. flor. Rhead. &c. Sed & hanc rejiciebat, non minus ac reliqua omnia, pulveres antipleuriticos, ſyrupos, Looch, mixturas & id genus alia.

Intereà morbus invaleſcere, punctiones exaſperari, calor febrilis mirum in modum intendi, vires deficere, omniaquè interitum minari videbantur: Ego toto pectore conſternatus, quid agerem hærebam; In mentem venit ſvaviſſimi ſaporis medicamentum. Tinctura antipleuritica, delicationibus olim à me præſcripta:

R. Flor. papav. errat. mj.
violar. purpur. mß.
Affund. aq. taraxic. Card. Ben.
ſcabioſ. hederæ
terreſtr. ana ℥vj.

Mixta ſtent in B.M. donec extrahatur Tinctura, quæ per chartam emporeticam filtretur & edulco-

retur Saccharo violaceo cryſtalliſato.

Verùm & hanc ubi ſemel atquè iterum delibaſſet, faſtidire cœpit, abhorrente quaſi omnem medicaminis uſum naturâ; Topica quidem, litus, fomenta, emplaſtra, epithemata aliaquè externa admiſit libens, ſed exiguo & quantum in his eſt, levamine.

Omnium peſſimè miſeram exercuêre contumaces vigiliæ à tertio die morbi usque ad decimum quartum ſine intermiſſione perſeverantes; Miſcebantur his etiam deliria & rerum terribilium imagines; Exhibui emulſiones ſeminum papaveris, aquas ſomniferas, electuaria, tincturas & alia ex Hypnoticorum cenſu ſelectiſſima, ſed nullo penitus ſucceſſu; Laudanum autem opiatum ſuſpectum mihi videbatur ob ſputi retentionem; Naribus tamen, reliquis nihil proficientibus, granum unum atque alterum in formâ turundæ indidi, ex quo in profundiſſimum ſomnum delapſa per integrum biduum ſine interruptione dormivit, adeò ut veterni metu excitari oportuerit: Remiſêre per quietem & lateris dolores & reliqua ſymptomata, niſi quod tuſſis quædam ſicca cum exiguo tenuiq; ſputo ſub noctem plerumquè affligeret, remanente & calore totius, ſiti ciborumquè omnium faſtidio. Diebus criticis, viceſimo, viceſimo ſeptimo & triceſimo quarto, ſubindè pejus habere viſa eſt, quadrageſimo punctionibus & dolore lateris dextri ſubitò iterum prehendebatur, & rumpi aliquid ac delabi è ſummo pectoris ad imum ajebat: paullò poſt dolor ille pungitivus in gravativum deſiit circa diaphragma: Hinc à paſtu ſubindè incaleſcebat, magis tamen circa veſperam & noctu, quo tempore & ſudores erumpebant: Metuebam Empyema ſubeſſe, dubium tamen me reddebat reſpiratio minimè difficilis, tuſſis rarò & per intervalla tantùm affligens, ſputum album, tenue, paucum, fœtoris expers nec purulentum, fluctuatio nulla: diremit tandem ambiguæ contentionem mentis, eventus omni ſpe & exſpectatione lætior. Etſi enim calor quidam quaſi hecticus obrepere, corpusquè emaciari videretur, quin & tuſſis ſubindè moleſta eſſet, ſenſim tamen hæc omnia remiſêre, donec ex toto convaleſceret. DEUS, qui nobis DEUS eſt ad ſalutem, & JEHOVAH DOMINUS, cujus ſunt egreſſus ex morte, ſit laudatus in ſæcula! Ille porrò pro divinâ ſuâ miſericordiâ mihi ſuaviſſimam Conjugem, liberis matrem fidiſſimam diutiſſimè ſuperſtitem & incolumem præſtet!

CA-

CASUS X.

Asthma pituitosum.

D*N. JOACHIMUS VVOPERSNOVV, Equitum Magister, sexaginta circiter annorum temperamenti frigidi & humidi, per intervalla frequenti, densâ & anhelosâ respiratione, sine febri, at cum sonitu & tussi, afficiebatur, ut etiam erectâ cervice, præsertim noctu aërem laboriosissimè & cum suffocationis metu, haurire cogeretur, interdum aliquid materiæ viscidæ & pituitosæ rejiciebat ingenti quidem conatu sed aliquali cum allevatione, recrudescente tamen subinde malo.*

RESOLUTIO.

Asthmate Nobilissimum Virum premi nullum est dubium.

Respiratio redditur difficilis, anhelosa & frequens ob angustiam bronchiorum pulmonis, quatenus ab humoribus crassis, viscidis & pituitosis coarctantur: Unde natura cerbritate supplere conatur, quod magnitudini propter meatuum angustiam deest.

Sonitus à spiritu per angustas asperæ arteriæ propagines penetrando, humoresq; in iis hærentes quasi displodente, excitatur.

Tussis à materia spirandi instrumentis molesta protelatur, quatenus natura plurimo spiritu in pulmones emisso, forasquè iterum celeriter expulso, eandem excutere contendit.

Noctu exacerbatur malum, quia tùm temporis pituità movetur & proprias qualitates intendens, vel ad majus spacium sese extendit, vel vapores copiosos de se emittit.

Rejectâ pituitâ mitescit, quatenus reseratis quodammodo spirandi organis liberior spiritui patet transitus.

Recrudescit, affluxu novæ materiæ vel motu ejusdem, coarctatis iterum meatibus.

In curatione præmisso Hippocratis, quod 2. Aphor. 40. de Asthmaticis senibus exstat, prognostico, allaborandum censui, ut materiæ angustiæ bronchiorum caussa, quantum possibile, tollatur; Quod ut commodius fieret, primas vias ab infarctu liberavi decocto meo laxativo:

Mox ad incisionem & præparationem pituitosi viscidiq; humoris digestivum præscripsi:

R. Rad. fænicul. Enul. liquirit.
ana ℥ß. Ireos florent. ʒij
Herb. marrub. Capillor. Vener.
Hyssopi, agrimon. betonic.
ana mß.
Sem. fænic. ʒij. Urticæ ʒj.
Ficuum no: v. passul. minor. ℥vj.
Incis. coq. ex s. q. aq. simplic.
R. Colatur. ℔iß. add.

Syrup. deprasſio, de hyſſopo liquirita ana ℥j
Oxymel. ſimpl. ℥iſs. ſquill. ℥ſs.
Aq. aſthmat. Rudolph. Imper. ℥iſs.
Cinam. ʒvj.
M. pro ſeptem & octo doſibus.

Materiam hoc modò præparatam, evacuavi, primò quidem mitioribus infuſo Agarici, mechoacann. ſem. cartham. Fol. ſen. &c. poſtmodum fortioribus, extracto pilularum de Agarico, panchymagogo Crollii, ſpecieb. diaturbith &c.

Ad promovendas expectorationes commendavi lambitivum:
R. Flor. benzoin. gr. xiij. Extract. Enulæ ℈iſs. Eſſent. croci gr. xi.
Succ. liquirit. depurat. ℈iiij.
Looch. ſan. & expert. ℥iiij.
Syrup. de Hyſſopo ℥j.
M. F. Eclegma.

Exturbatis craſſioribus totius corporis, maximè verò & pectoris impuritatibus ad materiæ reliquias abſumendas intemperiemquè frigidam & humidam corrigendam exhibui decoctum Gvajaci & ſaſſafras cum liquiritia, additis pectoralibus & contra affectum hunc ſpecialiter facientibus.

Ad pectoris inunctionem præſcripſi linimentum:
R. Adipis gallin. ℥ſs. medull. cervin. ʒiij. Ung. dialth. ʒv.
Ol. lil. albor. Cheirin. amyd. dulc. ana ℥ſs. Pulv. Ireos, Enulæ ana ℈ij. Croci ℈j. Ceræ parum
M. F. linimentum molle.

Ventriculo, cujus debilitatem ſæpiùs accuſabat Æger, profuit aqua ſtomachalis Matthioli, Zingiber in Chinâ conditum, calamus aromaticus, radices Enul. condit. Eſſentia Zedoariæ &c.

A paſtu tragæam delibavit, quæ
R. Liquirit. raſæ ʒij. ſem. aniſi. fœnicul. ana ʒiſs. Caſſ. lign. ʒij.
Cubeb. ʒj. Rad. Ireos florent. ʒj
Sacch. roſat. tabul. ℥iiij.
Ol. fœnicul. gt. XI. M.

Victum ordinavi moderatè calefacientem, attenuantem & ex parte humectãtem cibos boni ſucci, facilis concoctionis, & quadam incidendi, attenuandi, abſtergendiquè virtute præditos. Piſcium frequenti eſu, leguminibus, lacticiniis, fructibus horariis &c. Interdixi, pro potu ordinario commendavi Cereviſiam defecatam cum ſalvia, roremarino, florib. hyſſopi & rad. Enulæ medicatam: vinum tenue, ſubdulce, Hydromel Lithvanicum &c. Aërem frigidum, humidum & craſſum ut vitaret ſvaſi, non minùs ac omnes corporis & animi vehementiores motus imprimis verò crapulam & cõmeſſationes quibus aſſueverat Vir militaris.

In Paroxyſmo omnis generis revulſiones inſtitui, frictionibus extremorum & ligaturis dolorificis, pedilaviis ex ſalvia, Hyſſopo, centau-

taurio, lavendula, majoranâ, ruta, stæchade, Chamæmelo &c.

Alvum quoties astrictior esset balano acri vel Enemate sollicitavi.

Pectus ungvento suprà descripto, vel oleo cheirino amygdalar. dulcium calidè inunxi.

Ex internis aquam Asthmaticam Rudolphi Imperatoris, oxymel Cratonis, oleum sacchari magistrale, extractum thoracicum Qvercetani cum aqua Cinamomi, Balsamum ♀ris & id genus alia per vices exhibui; sed nihil magis profuit quam sperma Ceti ex cerevisiâ calidâ sumtum, & potiuncula Brunneri ex Ammoniaco:

R. Gumm. Ammoniac. ℈iß.
Aq. Hyssop. ℥iiij.
Vin. Rhenan. alb. ℥ij.
M. super ign. carbon. F. potiuncula.

Si quando propter crebriorem respirationem sitis ægrum urgeret, præscripsi sequentem mixturam, quæ & liberiorem aëris attractionem & pituitæ excretionem egregiè promovet:

R. Cond. rad. Enulæ ℥iß.
Cort. citr. aurant. ana ℨß.
Incisa contund. in mortar. lapideo postea affund. Aqu. Card. ben. fœnicul. ana ℔ß
scabios. ℥iiij.
Exprim. fortissimè. Colat. add.
Aq. Cinam. ℥ij. M.

His auxiliis, DEI gratia, tantum quidem profecimus, ut accessiones & rariores & leviores essent, ex toto tamen liberari non potuit senex: Senes enim, ut habet Hippocrat. 2. Aphor. 40. Asthma plerumquè comitatur ad mortem.

CASUS XI.
Asthma serosum.

Dn. ADAMUS GEORGIUS à DAMITZ, Hæreditarius in Dumbzin &c. quinquaginta circiter annorum, facie pallidus & subtumidus difficili frequentiq; respiratione sæpissimè & subitò infestabatur, cum insigni præcordiorum angustiâ, eructationibus & flatu. Accedebat interdum Urinarum difficultas, tandem & pedum tumor.

RESOLUTIO.

Difficilis, frequensquè respiratio, quâ per vices affligitur Nobilissimus Vir, ab humore tenui & seroso circa hepar in venoso genere collecto, excitatus. Is enim vel motu corporis, vel excandescentiâ vel aëris ac tempestatis mutatione, aut aliâ quacunque de causâ agitatus, per venam arteriosam in pulmones irruit & bronchia comprimendo, respirationem difficilem & anhelosam reddit.

Præcordiorum angustia, eructationes & flatus à materia crudâ in Hy-

Hypochondriis agitata, proveniunt.

Urinæ difficultas ab humore ſeroſo, primo è venis ad pulmones ruente, mox ad renes & veſicam defluente, excitatur, vel quia in venis agitatus humor ex parte ad renes & veſicam delabitur.

Pedes intumeſcunt ob Epatis imbecillitatem, cujus culpâ multi humores ſeroſi generantur, qui maximâ ſui parte ad pedes tanquam mēbra ignobiliora à naturâ detruſi, ibidemquè congeſti, tumorem pariunt. Auxilium meum imploranti, detectâ morbi contumaciâ & curationis difficultate, primò quidem ad humoris ſeroſi evacuationem Hydragoga quædam per vices uſurpanda, præſcripſi:

R. Rob. ſambuc. ℥ij. Reſin. Gialap. gr. IX. ol. citri gt. ij. M. F. bolus ſaccharo aſpergendus.

Interdum morſulos Imperatoris purgantes exhibui, nonnunquam pilulas meas Hydragogas, quarum hæc eſt deſcriptio:

R. Magiſter. gutt. Gamandr. gr. v.
Reſin. Gialapp. gr. vij.
Extract. Enulæ gt. vj.
Ol. ſtillat. macer. gt. ij.
M. F. pilulæ no. IX. ex aqua Cinamomi ſumendæ.

Subductis magnâ ex parte ſeroſis humoribus, ad reliquias diſcutiendas & abſumendas diaphoretica ex ligno ſaſſafras & Gvajaci repetitim propinavi, ſudoribus largiſſimè & notabili cum levamine promanantibus.

Reliquum erat ut Epatis imbecillitas emendaretur: Commendavi hoc nomine Electuarium meum chalybeatum & pulverem cachecticum alternatim ſumendum, aquam item Epaticam Mynſichti calidam, Tincturam Caſſic. ligneæ, Chinæ & alia Epar roborantia.

Diætam ordinavi calefacientem & moderatè ſiccantem, cibos boni ſucci & facilis concoctionis, magis aſſos, quàm elixos, proſcriptis leguminibus, lacticiniis, pingvibus, fumo duratis, aut in muriâ maceratis. Potus ſit Cereviſia Colbergenſis vel alia defecata & ſufficienti lupulo condita. Vinum Rhenanum vel paſſulatum quod ſingulari quadam proprietate Epar roborat.

Paroxyſmum nullo remedio felicius demulcere potui, quàm aquæ ſaſſafras cum Cinamomo & corticibus radicum fraxini exhibitione. Uſu namque ejus & ſudores & urinæ ſatis copioſè profluxêre, unde ſublatâ cauſâ, paullò poſt & ipſe effectus, ſpirandi ſcilicet difficultas, ad tempus deſiit. Collectâ enim ob radicatam viſcerum dyſcraſiam ſubindè novâ materiâ, recruduit malum: Vitam tamen iteratâ horum Medicamentorum uſurpatione in multos annos produxit, donec

donec tandem superveniens Hydrops ægrum è medio tolleret, cujus anima quiescat in manu Domini!

CASUS XII.

Tussis humida cum raucedine.

R*Everendus Dominus, M. JOACHIMUS PLENIUS, Archidiaconus Colbergensis & Ministerii Senior, Compater meus & Confessionarius honorandus, capitis defluxionibus subindè obnoxius vehementer tussiebat cum rejectione materiæ viscidæ & pituitosæ, accedebat vocis raucedo & spirandi difficultas, adeò ut muneribus Ecclesiasticis non sine molestiâ defungeretur.*

RESOLUTIO.

A Catarrho tussim hanc excitari planum est, quatenus nimirum à Capite defluens humor pulmones asperamq; arteriam vel potiùs mēbranam quæ intus asperam arteriam ejusquè ramos investit, afficit & ad expellendum id quod sibi molestum est, irritat.

Vehemens est hæc tussis ob copiam materiæ quæ respirationem organa obsidet, & angustiam in iis parit.

Vocis raucedo à nimia humiditate à cerebro in organa vocalia delabente eaq; irrigante, dependet.

Spirandi difficultatem humores viscidi & pituitosi, bronchia pulmonum coarctantes, inducunt.

Medelam molestissimi, præsertim in Concionatore Symptomatis methodicè aggressurus, ante omnia catarrhum ejusquè causam amoliendam esse duxi, ac proindè præmissis quæ viarum communium sordes eluerent, viscidam lentamquè materiam incidentibus & attenuantibus præparavi:

℞. Herb. beton. hyssop. tussilagin.
Capill. Ven. scabios.
ana m ß.
Flor. stæch. Arabic. anthos,
salviæ ana p. j.
Rad. Ireos polypod. angelic.
Enulæ, liquirit. ana ʒiij
Sem. anis. fœnicul. ana ʒi ß.
Ficuum no. v. passul. minor. ℥ß.
Croci ℈ß.

Incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl. Colatur. c. album. ovi clarificat. ℞. ℔ij. add.
Syr. de hyssop. de prass. ana ℥ij.
Oxymel. squillit. ℥j.
Aqu. cinam. ℥i ß. Essent. croc. gt. xvij. M. F. potio de qua bibat manè & vesperi uncias tres vel quatuor.

Intereà & rotulas nostras pectorales, quotiescunque tussis molesta est, delibet.

Q R. Looch.

Digitized by Google

in organis respirationis hæret, vel licet ibi hæreat ad excretionem tamen inepta est.

Posterius in præsenti casu arguit viscida tenaxque materia, quæ interdum licet rarissimè ab assumtis expectorantibus magno conatu & exigua quantitate rejicitur; Hæc namque ob lentorem & crassitiem bronchiis pulmonum adeò tenaciter adhæret, ut ejici non possit, sed expulsioni resistens tussim inanem pariat.

Respiratio difficilis est cum ob angustiam bronchiorum pulmonis ab humore viscido crassoquè obsessorum, tùm propter ventris intumescentiam, diaphragma comprimentem.

Appetitus dejicitur calore ad pectus & organa spiritalia avocato, unde ventriculi operationes minùs rectè perficiuntur.

Venter intumescit & constipatus à flatu & cruditatibus, impeditâ concoctione circa viscera cumulatis.

Alvus itaque laxanda, concoctio promovenda, materia in pectore collecta præparanda & evacuanda, deniquè & viscera, præsertim ventriculus roboranda.

Ad ventris constipationem relaxandam præscripsi Enema emolliens & pruna laxativa.

Ad concoctionem juvandam ordinavi victum boni succi & facilis digestionis, vinum Enulatum & Tragæam stomachalem in fine pastus sumendam:

R. Sem. coriandr. ℥j.
anis. fænic. ana ℥ß.
Rad. liquir. minut. incis. ʒvj.
Zingib. Cinam. galang. ana ʒiß.
Lign. aloes ℈iß. Sacch. rosat. tabulat. ad pondus omnium
M. F. Tragæa.

Materiam in pectore collectam præparavi decocto pectorali ex incidentibus & attenuantibus:

R. Rad. fænicul. ℥ß. Ireos ʒij.
Enul. ʒiij. liquir. ℥ß.
Herb. tussilagin. prass. hyssop.
Capill. Vener. ana mß.
Flor. salviæ, tussilagin. ana p. j.
Sem. urtic. anis. fænicul. ana ʒj.
Ficuum no. v. pass. minor. ʒvj.
Squill. præpar. ℥ij.
F. decoctio in s. q. aq. simpl.
R. Colatur. ℔iß. add. syrup. de hyssop. ℥ij. de liquirit. Capillor. Vener. ana ℥j. M. F. potio pro septem dosibus.

Pro evacuatione exhibui Extractum pilularum de Agarico.

Ad expectorationes promovendas præter decoctum modò descriptum commendavi morsulos pectorales:

R. Looch. san. & expert. ʒv.
Spic. diair. ʒij. Cond. rad. Enul. ℥j.
Cort. aurant. condit. ʒvj.
Flor. Benz. gr. vij. Sacch. albiss. in aq. fænicul. solut. ℔ß.

M. F. s. a. morsuli.

Ventriculi debilitatem Tragæâ stomachali & Balsamo Peruviano horâ ante pastum in vino Hippocratico exhibito commendavi, applicatis simul in topicis quibusdam convenientibus, in quorum censu nullum efficacius deprehendi quàm scutum stomachale Hartmanni, cujus descriptionem tradit in Medic. pract. Chymiatrica m. p. 104.

CASUS XIV.

Tussis triginta quatuor annorum.

LAURENTIUS VOLLMAR, Cheirurgus Colbergensis, Anno ætatis vicesimo nono circa finem autumni incidit in tussim cum rejectione materiæ viscidæ & pituitosæ, purgavit corpus & particulariter caput, defluxionibus continuis obnoxium; hinc decoctis pectoralibus, rotulis, syrupis, aliisquè id genus per integram hyemem usus est, sed exiguo, vel nullo cum fructu; sub initium veris DN. D. BALTHASAREM SCHULTZIUM, Physicum ordinarium consuluit, is multa contra tussim facientia methodicè præscripsit, nihilq; eorum intermisit, quæ ad expugandum hoc malum facere possent: sed conatu prorsus irrito. Supervenit tandem Medicaster quidam Chymicus, is nescio quem balsamum & arcana ex sulphure conflata magnificè commendavit, quibus omnibus frustrà usurpatis, imò tussi non parum indè exasperatâ, medicamentorum omnium pertæsus, naturæ negotium commisit. Cessare quidem interdum videbatur malum præsertim æstate, sed mox iterum recrudescebat & sic perpetuò quasi & usquè ad mortem, quam sexagesimo sexto ætatis anno ex ictero nigro obiit, comitabatur Senem.

RESOLUTIO.

Res mira, quod ex tàm diurnâ tussi & continuis defluxionibus nihil damni pulmones senserint: Illæsos enim fuisse ex functionibus eorundem salvis & integris judico, tùm quod nulla ulceris, nulla phtiseos, nulla vocis læsæ indicia unquam deprehensa fuerint. Videtur hoc adscribendum partim materiæ, quæ acredinis expers, non mordicando asperitatemquè inducendo, sed saltem angustiam aliqualem in respirationum organis pariendo tussim excitavit, partim expultricis fortitudini & firmæ pulmonum constitutioni, quatenus

tenus illa, id quod sibi molestum vel noxium esse poterat maturè & antequam putresceret, expellere, hæc, ne facilè admitteretur, resistere valuit. Sed hæc obiter & salvo aliorum judicio.

CASUS XV.

Hæmoptysis.

Generosus & Nobilissimus DN. *FRANCISCUS à ZASTROVV*, *Hæreditarius in* Beerwalde/ *&c. Urgente Serenissimo quodam Imperii Principe, vini generosioris potu inebriatus, postero die, levi tussiculâ vexabatur, mox sangvinem floridum & spumosum confertim per os rejiciebat sine difficultate & dolore, nisi quod extra illam excretionem sensum quendam gravitatis in pectore perciperet.*

RESOLUTIO.

Sangvis per os variis quidem de causis rejicitur, sed quando cum tussi, suspicio est vas aliquod in pulmonibus læsum esse; Læsio autem hæc, ut in aliis etiam partibus quatuor modis fieri potest, ἀναστομώσει scilicet, διαπηδήσει, ῥήξει & διαβρώσει.

Præsentem sangvinis rejectionem per anastomosin sive apertionem venæ in pulmonibus fieri, statuo, quatenus vini generosioris potu sangvis incalescens & ebulliens expultricem imitando, exitum sibi parat, tum quia reliquarum causarum nulla adsunt indicia.

Tussis exigua est propter materiam quæ non adeò acris & mordax ut validam tussim excitare possit.

Sangvis floridus excernitur, qualem scilicet pulmonum vasa purissimum & cum arteriali sangvine plurimum convenientem, pro sui nutritione continent.

Spumosus est, ob assiduam pulmonum ventilationem, quâ agitatus spumam contrahit.

Sine difficultate rejicitur, quia non in thorace sed pulmonum cavitate collectus est.

Absque dolore, quia membranosæ ac nervosæ partes non afficiuntur.

Cum sensu tamen gravitatis, quatenus sangvis in cavitates pulmonum irruens, eas distendit.

Etsi verò à læsis pulmonum vasis, sangvinis per os excretiones periculosæ sint & vel dissipatis spiritibus subitam mortem vel tractu temporis tabem indicant, benè tamen ægrum sperare jussi, quod nulla erosio, nulla ruptio sed apertio tantum osculorum & quidem in vasis minimis ob sangvinis effervescentiam, facilè compescendam, facta videretur.

Ad restinguendum itaque ebullientis sangvinis fervorem, ejusdemquè copiam minuendam & à parte affectâ revellendam, ideò phlebotomiam in brachio institui partitis vicibus: Sic enim vires minùs dejiciuntur & revulsio meliùs perficitur.

Mox & frictiones extremorum & ligaturas adhibui, applicatis tandem & ventosis uti vocant sive cucurbitulis.

Hinc ad fervidi acriorisquè sangvinis alterationem, præmisso leni ex Cholagogis Pharmaco, præscripsi tincturam florum Rheados mivâ cytoniorum & syrupo myrtino dulcoratam. Sub horam decubitus, exhibui Emulsionem seminum quatuor frigidorum majorum & papaveris cum aquâ cerefolii, plantaginis, rosarum, & portulacæ extractam.

Ad vasorum reclusorum obturationem & adstrictionem partisquè affectæ roborationem commendavi aquam Hæmoptycam Dorncreilii & Electuarium longo usu mihi probatissimum:

℞. Conserv. rosar. vetustiss. ℥iiiß.
Pulv. rad. consol. utriusque
Sem. portul. mastich.
Boli armen. tragac.
ana ℈iß.
M. c. syrup. de symphyt. q. s.
F. Electuarium molle.

Victum præscripsi initio tenuem & vi emplasticâ præditum, ptisanam hordeaceam, oryzam, amylum, milium, mannam nostratem, vulgò Schwaden dictam & similia cum lacte bubulo cocta.

Progressu temporis concessi carnes, suillam, quam Daminio Philosopho Hæmoptyco oraculum commendasse fertur, agninam, vitulinam, vervecinam & horum animalium exta, pedes & capita, salsis acribus & flatulentis interdixi.

Pro potu ordinario laudavi Cerevisiam tenuem, pro extraordinario aquam hordei, lac amygdalarum dulcium, lac ebutyratum &c. vinum exulet & omnia calida, quibus sangvis facilè effervescit.

Vitetur imprimis ira, vehementesquè animi, corporis & præcipuè pectoris, per clamores, cantus &c. motus.

Quin & aëris cauta habeatur ratio; æstuans enim humores fermentando, frigidus poros cutis occludendo facillimè effervescentiam sangvinis excitat.

CASUS XVI.
Cordis palpitatio ab irâ.

Serenissima Princeps ac DOMINA, DOMINA ELISABETHA, BOGISLAI XIV. ulti-

ultimi Pomeranorum ex ſtirpe Gryphiâ Ducis, VIDUA, quotiescunq; per excandeſcentiam animo commovebatur, illicò facies aliàs pallida, rubore ſuffundi, corpus incaleſcere, arteria inæqualiter & inordinatè moveri, ipſaquè cordis regia quaſi contremiſcere & palpitare videbatur.

Ingruebant autèm hæc omnia ſubitò & pedetentim modò citius modò tardius remittebant.

RESOLUTIO.

Cordis palpitationes, quas Sereniſſima patitur, ab iracundiâ excitari manifeſtum eſt; Agitati enim per excandeſcentiam ſpiritus efferveſcunt, ebulliunt, motuquè inæquali & inordinato Cor afficiunt.

Facies rubet, totumquè corpus incaleſcit, quatenus ſangvis & ſpiritus cum impetu ab interioribus ad exteriora feruntur.

Subitò hæc invadunt ob celerem bilis agitatæ motum.

Pedetentim modò citiùs, modò tardius deſinunt, prout animi perturbatio & ſangvinis ac ſpirituum efferveſcentia vehementior eſt vel remiſſior.

Etſi verò nocentiſſimum & ab animi potius quàm corporis vitio dependens malum, curatu perquàm difficilè videretur; enitendum tamen duxi:

1. Ut præceps in iram animus contra excandeſcentiæ impetus, quantum poſſibile præmuniretur, quod cum ex Philoſophia morali potiùs, quàm medicinâ petendum eſſet, ob oculos poſui megæram illam infernalem à Plutarcho & Senecâ vivis coloribus depictam, ut in hanc intuens, deformitate tàm atrocis furiæ peremta, manſvetudinem exoſcularetur, quemadmodum ſpeculo quosdam ab irâ deterritos refert Sextius perturbatos nimirum tantâ mutatione ſui.

Oſtendi porrò quàm inquieta & contentioſa, quàm crudelis, iniqua, vindictæ cupida, quàm pernicioſa & multarum calamitatum ac malorum cauſa ſit ira, ut Spinæo judice, meritò peſtis & pernicies mundi dicenda ſit.

Seorſim verò & morbos recenſui quos parit, & exempla eorum, quos in paralyſin, apoplexiam, deliria, febres, hæmoptyſin, cordis palpitationes, Eryſipelata, arthritidem, aliosquè dolores conjecit, vel planè è medio ſuſtulit.

Subjunxi tandem & affectus immanisſimi remedia, continentiam, manſvetudinem, patientiam, miſericordiam, modeſtiam, prudentiam, incommodorum & calamitatum exindè reſultantium conſiderationem, mortis cogitationem & ſimilia: In ſpecie Principes & magnates vitium hoc dedecere monſtravi,

ſtravi, quorum ira tantò deterior eſt, quantò minùs eorum poteſtati & mandatis reſiſti poteſt.

Deniq; & Aulicos & miniſtrantes ſedulò hortatus ſum, ne quam excandeſcentiæ anſam præberent, nihilq; indignatione dignum committerent, vel commiſſum cautè occultarent, omnemq; iraſcendi cauſſam prudenter averterent.

2. Ut fomes malo ſubtraheretur, quo fine ad minuendam bilis abundantiam Cholagogo quædam præſcripſi per vices repetenda: Ordinato ſimul & convenienti victus, rerumquè non naturalium regimine.

3. Ut ſpirituum & ſangvinis efferveſcentia inhiberetur, quod Epaticis quibusdam & cordialibus frigidis & ſubacidis ex acetoſa, Cichorio, Endivia, portulacâ, ſucco granatorum, ribium, fragorum, berberorum, citri &c. obtinuimus. A phlebotomia prorſus abhorrebat, cui cucurbitularum ad crura affixionem ſubſtituimus, ut materia ſimul deorſum traheretur.

In paroxyſmo aquam ex typhis Cervorum cum lapide Bezohar & Magiſterio perlarum orientalium, interdum cochlear unum atque alterum ſequentis mixturæ exhibui:

R. Syrup. Coralior. rubor. ℥iij
granator. acid. ℥ij.
Aqu. noſtr. cordial. frigid. ex ſucc. ℥iij
Aqu. fragorum ℥ij.
Succ. citr. q. s. ad grat. acidit.
M. ſervetur in vitro.

Cordi Epithema ex aqu. roſar. borragin. rubi Idæi, cordis cervini, Conf. Alkerm. & aceto roſaceo cum panno ſcarlatino tepidè applicui.

Naribus odoramenta ex aceto florum tunicis, roſarum, rubi &c. balſama etiam cordialia & id genus alia cum notabili allevatione adhibita. Interea tamen, cum ab irâ, in quam per naturam quaſi præceps ferebatur, temperare ſibi neutiquam poſſet, ſæpè recruduit malum.

Scilicet ad mores natura ſubindè recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia &c.

CASUS XVII.

Deliquium animi ex nimia Venere.

VIR quidam Sexagenarius poſt obitum UXORIS decrepitæ, juvenculam noviſſimè duxerat ſucci plenam & laſcivia deditam, cujus libidini ut ſatisfaceret, nullam prætermiſit no-

noctem qvin repetitim & supra vires eam comprimeret, assumtis etiam stimuli loco quibusdam pharmacis.

Hinc vires deficere, oculis caligines offundi, caput in modum vertiginis circumrotari, artus tremere, aliaq; senem circumvenire videbantur symptomata: Accesfit tandem & lipothymia, peracto plerumq; maritali opere, adeò ut à Veneris usu planè abstinere cogeretur.

RESOLUTIO.

Immoderatum Veneris usum humanæ valetudini nocentissimum esse, calorem nativum dissipare, corpus universum debilitare, nervos & cerebrum lædere; animi mollitiem, lipochymias, syncopes, paralyses, cruditates, arthritides, aliosq; morbos & symptomata gravissima parere, nemo est qvi ignoret: Qvod si verò hæc etiam iis, qvi in vigore ætatis constituti, validioris sunt femoris eveniunt, qvid mirum, si sexagenarium senem, virtute & calore jam per naturam existente debili invadant?

Dejiciuntur vires ob spirituum ex nimia venere dissipationem; Eadem de caussa & oculi caligant, caput vertigine rotatur, artus tremant, ipsaqvè succedit lypothymia.

Minimè tamen desperandum, cum defectus ille spiritum & alimentis & medicamentis idoneis iterum suppleri qveat, modò & caussæ qvibus spiritus resolvuntur & dissipantur, cessent.

Jussi itaqve à Venere prout cæperat, porrò abstineret, cibis uteretur boni multiqvè succi & facilis concoctionis, jusculis scilicet instaurantibus ex caponum, vitulorum, vervecum, perdicum, limacum & cancrorum carnibus:

Ovis item sorbilibus, oryza, amilo, milio, pineis, pistaceis, amygdalis earundemqve emulsionibus.

Pane triticeo, martio, sacchari-no, Imperatorio & qvem vitæ vulgò dicunt.

Potus sit vinum odoratum Neccarinum vel Rhenanum aut Hispanicum; Interdum de Malvatico vel Frontignano tantillum delibet, intinctâ panis triticei vel Imperatorii micâ.

Ex medicamentorum penu commendavi vellus aureum Weidneri, pulverem cordialem Dorncreilii, Magisterium perlarum. Essentiam citri, ambræ, tin-


ćturam Coraliorum, Confećtionem de Hyacyntho, Alkermes &c. ex aqvis cordialibus & inftaurantibus fumenda, qvibus & fpiritum rofarum, fragorum, rubi Idæi, cerafortum &c. admifcui.

Eadem & in paroxysmo, fed paullò largius & per vices exhibui.

Cordis regioni & pulfibus Epithemata convenientia; Naribus balfama & alia fvaveolentia fpiritus qvereficientia admovi, imperatâ qviete & fomno, qxibus DEI gratiâ, priftino vigori reftitutus fenex, didicit impofterum cautius mercari & exemplo boni Agricolæ, manu feminare non facco.

Rećtè Juvenalis Statyr. XI.

— *Voluptates commendat rarior ufus.*



BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
Von Güldenklee

CASUUM MEDICINALIUM

LIBER TERTIUS
DE
MORBIS INFIMI VENTRIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



ILLUSTRIBUS SUMME REVE-RENDIS ET EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

DN. OTTONI CHRI-STOPHORO

LIBERO BARONI DE SPARR,

Serenisſimi & Potentisſimi Ele-ctoris Brandenburgici Conſiliario Bellico & Campimarſchallo Generali, Fortalitiorumqvè Cliviæ, Marchiæ, Ravensbergi, Mindæ, Halberſtadi & Pomeraniæ Gubernatori, Domino in Brenden, Tieffenſe & Lichterfeldt &c.

DN. OTTONI LIBERO BARONI DE SCHVVERIN,

Capituli Brandenburgici Præpoſito, Serenisſimi Electoris in Conſilio Sanctiore Præſidi, Marchiæ Camerario Hæreditario, Supremo Aulæ Gubernatori, Uranienburgi Præfecto, Domino in Landsberg, Olvviegshagen, Drevvitz & Zachan &c.

Google

DN. JOHANNI FRIDE-RICO
LIBERO BARONI DE LÖBEN,
Serenissimi Electoris Brandenburgici Intimioris Admissionis Consiliario, Ducatus Crosnensis Præfecto & Comitatus Ruppinensis Terrarumqve Bellinensium Capitaneo, Ordinis S. Johannis Eqviti & Commendatori in Lago, Domino in Schönfeldt, Merzdorff & Schettlo &c. &c.

Dominis meis Gratiosis.



Nima hominis, Viri Illustres & summè Reverendi, dum in corpore est, functiones suas per organa exseqvitur: Etsi enim nec per corpus aut organon corporis, nec per aliud medium, ut medium QVO intelligat, in operationibus tamen subordinatis organo opus habet.

Haut aliter Serenissimus ELECTOR, qvem Animam PATRIÆ nostræ non in congruè dixerim, etsi omnibus qvibus PRINCIPEM bonum & fortem prævalere oportet Virtutibus, abundè instructus sit ipsusqvè

—— —— —— rerum moderetur habenas; Attamen, si qvid salutarium actionum conficiendum est, Vestro consilio & ministerio utitur.

Orga-

Organa ſi benè ſe habeant & rectè conſtituta ſint, rectè procedunt actiones & contra: Anima enim eadem ſemper & invariata manet easdemqvè operationes edit, modò habeat eadem inſtrumenta; Veſtra, Viri Illuſtres, ſi ex actionibus æſtimare debet dignitas, qvis rerum ſeu pace ſeu bello geſtarum, qvis conſiliorum, qvis virtutum erit modus ac numerus? Longum foret catalogum pertexere; Omnium inſtar erit PATRIÆ nuper bello immane qvantum ardentis, tam prudens & cita omnemqvè ſpem excedens liberatio, nec tamen iccirco, ut ſæpè fit, indecora PRINCIPI vel civibus damnoſa, ſed triumphalis, glorioſa & univerſæ REIPUBLICÆ ſalutaris.

Hærere videbatur inter ſacrum & ſaxum Optimus PRINCEPS; At qvàm cautè, qvàm heroicè evaſit!

Impetebatur ferocibus armis BORUSSIA; Periclitabatur inter dimicantes Aqvilas & Leones POMERANIA; At qvàm feliciter eluctata eſt utraqve etiam cum vicinarum qvarundam ditionum accesſione; Et hoc DEI qvidem præpotentis auxilio; At Veſtra, Viri Illuſtres, manu & conſilio: Agit enim & æterna illa mens per media.

Pergerem in elogiis, qvæ Veſtra meretur Virtus, niſi adeò multa & præclara eſſent, ut nec ſcribi nec dignè æſtimari poſſent.

In ſomno ſe accuſatum fuiſſe memorat Galenus, qvòd oculorum munera non ſatis accuratè explicaſſet; mihi de Virtutibus Veſtris parciùs diſſerenti metuendum eſt, ne vigilanti eveniat, qvod Pergameo ſeni per ſomnum.

10. de uſibus part. 12.

Qvare

Qvare in voto desino, æternum Numen veneratus, Serenissimum Electorem PATRIÆ nostræ animam & VOS organa ejus clementi suâ gratiâ servet, actiones & consilia secundet, feliciter eòqve destinet, qvó destinari vestra vult pietas & in PATRIAM amor!

Interea ne sacrificium facere videar absqve hostia, tenue hoc libamentum, qvo maximè per studiorum rationem litare datur, VOBIS, VIRI Illustres, offero submissè rogans, placido vultu accipiatis, qvod devotâ mente consecratur, Divûm æmuli, qvi, ut Samium habet oraculum, non pondus & pretium, sed animos offerentium spectant. Colbergæ VIII. Nonar. Octobris Anni M. DC. LXI.

Illustriss: Nominis Vestri

Cultor devotissimus

BALDASSAR TIMAEUS
von Guldenklee.

Digitized by Google

INDEX CASUUM
LIBRI TERTII.

S XXX.

CASUUM

CASUUM MEDICINALIUM LIBER TERTIUS DE MORBIS INFIMI VENTRIS.

CASUS I.

Intemperies frigida ventriculi cum pituitâ.

Illustrissimi & Reverendissimi Principis ac Domini, Domini Uldarici Ducis Pomeraniæ, Episcopi Caminensis &c. &c. Vidua Hedvvigis ex antiqvissima Ducum Brunovicensium prosapia oriunda temperimenti frigidi & humidi, de sensu qvodam gravitatis & fluctuatione in Ventriculo, præsertim à pastu conquerebatur, aliqvando & venter inflari pectusq; comprimi videbatur, sæpè acidum eructabat, urinæ reddebantur crudæ & spiceæ.

RESOLUTIO.

Ventriculum intemperie frigidâ cum materiâ laborare, ipsa corporis constitutio & reliqva indicia arguunt.

Sensus gravitatis & fluctuatio ab humoribus pituitosis in ventriculo cumulatis, dependent.

Pectus comprimitur ob motum diaphragmatis propter inflationem ventris impeditum.

Ructus acidi ex materia cruda & frigida vapores crassos effumante, prorumpunt.

Urinæ spiceæ apparant & crudæ, propter caloris imbecillitatem, qvatenus nec concoctio, nec digestio nec separatio rectè perficitur.

Maturè itaq; succurrendum erat huic affectui, ne tractu temporis in cachexiam vel Hydropem degeneraret, id qvod, DEI gratiâ, præmissâ

missâ viarum communium purgatione feliciter præstitimus.

I. Humores viscidos & pituitosos incidendo, attenuando & detergendo.

R. Hydromel. Lithvanic. c. aromatib. præpar. ℔iß.
♀dri ⊕lat. ℥iß.

Mixta filtrentur per chart. emporeticam pro sex dosius manè & vesperi horis duabus ante cibum assumendis.

II. Eosdemqve evacuando, quòd commodissimè phlegmogogis in vino absinthite infusis & per vices usurpatis, expedivimus:

R. Agaric. trochisat. mechoacan. albiss. ana ℥iij. Gialap. ℥ij
Cinam. acutiss. ʒj. Caryophyll. ʒß.
Lign. aloë ℈j.

Incisa & conqvassata infundantur per noctem in vin. absinthit. ℔ij manè exprimantur & colentur.

III. Intemperiem frigidam corrigendo & ventriculum roborando qvo fine aqvam nostram stomachalem manè & vesperi delibandam præscripsimus:

R. Aqv. nostr. stomachal. ℥vj
Cinamom. ℥ij
Spir. mastich. ℈iß
Rotul. man. Christ. perlat. ℥ij M.

Interdum Elixir stomachale Mattbioli Tincturam Cassiæ ligneæ; Essentiam Galangæ, Elixir Propriet. P. Zingiber in Chinâ conditum & alia stomachica calida palato non ingrata exhibui.

Extra Emplastrum stomachale Mynsichti panno scarlatino inductum ventriculo apposui.

Si qvando ab inflatione tumesceret stomachus sacculum ex mentha, absinthio semine carui anethi & baccis Juniperi, in vino coctis, calidè applicui, exhibitis simul guttulis aliqvot Essentiæ nostræ carminativæ ex aqvâ vitæ mulierum.

Hæc cum semel atqve iterum reiterarentur, decensqve victus observaretur ratio, spe citius, convaluit Princeps optima:

Digna Sybillinæ valeat quæ secula vitæ

CASUS II.

Anorexia.

Illustris Dominus Johannes Christophorus Liber Baro de Fünffkirchen, Dominus in Stainabrunn &c. Sacræ Cæsareæ Majestatis Pincerna & supremus excubiarum sub Duce Fridlandiæ VVallensteinio Præfectus, svasu Cheirurgi Castrensis tempore verno serum lactis caprini ultra mensem integrum qvotidie jejuno ventriculo affatim hauserat, ex eo ciborum appetitue

tus sensim imminui cœpit, donec tandem planè dejiceretur, cum insigni virium jactura & langvori totius.

RESOLUTIO.

Inappetentia qvàm Illustris Baro patitur ab intemperie ventriculi frigida dependet, qvatenus per diuturnum copiosumqve seri lactis usum calor ventriculi adeò debilitatus est, ut operationes suas rectè perficere non possit. Cum enim calor proximum sit animæ instrumentum, si lædatur, actiones benè fieri neqveunt.

Virium imbecillitatem& langvorem totius inedia parit & alimenti defectus.

Etsi verò tam insignem præcipui visceris intemperiem corrigere longè sit difficillimum, tentanda tamen artis præsidia, eoqve collimandum, ut pristinus ventriculo redeat calor.

Verùm cum ex intemperie illa frigidâ nonnihil phlegmatis collectum esset, lene præmisi ex Magisterio Agarici minorativum.

Hinc calida qvædam & ventriculum roborantia per vices exhibui.

Elixir nimirum stomachale Matthioli, Aqvam vitæ albam Dresdensem, stomachalem nostram Essentiam piperis longi, Tincturam Cinamomi, Zingiber Chinense conditum, acorum verum & id genus alia.

Verùm his omnibus prævalere visa est Essentia panis cum malvatico destillata.

Intereà & virium languori prospectum exhibitione aqvæ nostræ cordialis calidæ cum confectione Alkermes, Magisterio Coraliorum, perlarum, pulvere cordiali Dorncreilii aliisqve spiritum refectioni convenientibus.

Cœterum ut externis etiam labefactatus ventriculi calor excitaretur, præscripsi sacculum aromaticum vino coqvendum & calidè applicandum.

℞. Menth. Absinth. ana mj.
bacc. laur. ℥ß Rad. cyper. galang. Caryophyllor. Cort. citr.
Cinam. macer. ana ʒj.

Mixta & conqvassata includantur sacculo ex syndone rubrâ.

Eodem fine & Unguenta, Emplastra, & Embrochas adhibuimus, nec sine successu. Etsi enim carnes cibosqve solidiores aliqvandiu aversaretur, jusculis tamen benè nutrientibus, pulmentis, ovis sorbilibus &c. delectabatur, donec plena quorumcunqve esculentorum & potulentorum rediret appetentia, qvamqvam ructibus interdum infestaretur & ventris rugitibus, calore procul dubio adhuc existente debili.

CASUS III.
Sitis nimia.

Jacobus Cornerus Legum Studiosus siti admodum vehementi & ferè incompescibili noctes diesq; vexabatur, absqve febri cum appetitu dejecto & nauseâ, aderat & cordis & renum dolor & sensus gravitatis in dextro hypochondrio, calor & consumtio totius, lingvæ asperitas & nigredo, sapor amarus, qvandoqve salsuginosus, urina subrubra, crassa cum alve duritie & obstructione.

RESOLUTIO.

Sitis immodica qvæ ægrum subinde vexat ab intemperie Epatis & renum calidâ excitatur, ob substantiæ roridæ, qvam calor absumit, defectum.

Appetitus dejicitur ventriculo per consensum debilitato, qvatenus calor influens ad partes vicinas laborantes avocatus, chylificationis operationem minus dextre perficit.

Nauseam cruditates ob imperfectam concoctionem cumulatæ pariunt.

Cordis vel potius orificii ventriculi dolor à bilis acredine sensiles ejus partes rodente & vellicante, nascitur.

Lumborum dolor, renum, Sensus gravitatis in dextro Hypochondrio Epatis affecti est indicium.

Consumtio totius, ex defectu alimenti laborante concoctionis officinâ, oritur, qvatenus substantia corporis minus sufficienter instauratur.

Lingvæ asperitas & nigredo à calidis siccisqve vaporibus inducitur.

Sapor amarus ab humoribus *biliosis*; *salsuginosus* à serosis & salsis excitatur.

Urina sub rubra & crassa redditur propter impuræ bilis abundantiam vitio Epatis calidioris productæ.

Alvus obstructa est, visceribus calidis & siccis maximam humidæ materiæ partem ad se rapientibus.

His omnibus diligenter pensitatis, consultum fore duxi.

1. Ut sitis tanqvam symptoma urgentissimum mitigetur, Præscripsi hoc nomine serum lactis caprini succo Endiviæ & cichorii alteratum, aqvam sive decoctum hordei cum passulis & liqviritia, aqvam fontanam cum pomo citrio & saccharo candi decoctam. Rotulas corallinas cum succo berberorum præparatas, & qvod instar omnium fuit, nitrum purissimum in aqva violarum solutum, sed hoc qvidem parcius, ne ventriculus offenderetur.

Cæ-

Cæterum oris collutiones ex aqva & modico aceti commendavi & trochiscos à Sennerto lib. 3. part. 1. sect. 2. cap. 7. m. p. 120. descriptas.

2. Ut intemperies Epatis & renum corrigatur, qvo fine evacuato prius corpore, præter serum lactis caprini, succis refrigerantibus & appropriatis alteratum, commendavi decoctum singulis matutinis qvatuor vel qvinqve unciarum pondere assumendum.

R. Rad. cichor. ℥ij. fragar. ℥ß.
liqviritr. ʒiij
Fol. acetos. Endiv. portulac. ana mj
Flor. violar. rosf. nymph. ana mß.
Sem. melon. Endiv. ana ʒiij
Passular. minor. ℥j
Incisa & conqvassata coq. ex s. q. aq. hordei R. Colat. c. alb. ovi clar. ℔iß
Syr. violar. ℥ij. Cichorii
Endiviæ ana ℥j
Rob. fragor. ribium ana ℥j
Succ. citr. recent. express. ℥ij.
Mixta filtrent. per chart. emporet. sub vesperam qvandoqve Emulsionem propinavi ex sem. 4. frigid. & papavere, cum aqvâ violarum, lactucæ & Endiviæ extractam.

Epatis & renum regionem Unguento rosaceo sæpius inungvendâ præcepi apposito nonnunqvam & Cerato santalino.

Ut alvi duriries & obstructio emendetur, qvod etsi humectantibus & refrigerantibus, caloremqve & siccitatem viscerum corrigentibus modo propositis, obtineri tandem poterat, laxantibus tamen intereà opus erat, ut vitiosorum humorũ præcipuè bilis abundantia minueretur:

Nihil autem huic scopo convenientius inveni, quàm vinum meum passulatum laxativum cujus hæc est descriptio.

R. Passul. min. optimè mundat. ℥ij. Cerasor. nigr. exsiccat. unà cum nucleis ℥j. Contund. in mortario ut fiat quasi pasta, affund. aq. fluviat. ℔iiijß. Coq. ad remanent. ℔iij.

In colatur ferventiss. infund. Fol. sen. s. s. ʒvj. flor. violar. p. j. Cinam. acutiss. ʒij. stent in loco calido per Horas 4. posteà colentur & filtrentur per chart. emporeticam.

4. Ut viscera concoctionis à calore præternaturali debilitata roborentur, id qvod tincturâ Casfiæ ligneæ, Magisterio Coraliorum, perlarum, aliisqve scopo huic convenientibus, feliciter obtinuimus, exhibito interdum & Electuario:

R. Conserv. flor. tunic. rosf. rubr. ana ℥ij rad. cichor. ℥j
Spec. diarrhod. diatr. santal. ana ʒj.
aromat. rosat. ℈iiij
Condit. cort. citr. aurant. ana ʒiij
Conf. Alkerm. de Hyacynth. ana ʒj
Syrup. coralior. Qvercet. q. s.
M. F. Electuarium.

Victus rationem commendavi initio refrigerantem & humectantem, post-

posteà temperatam, proscriptis valdè salitis, aromatisatis, acribus, mali succi & difficilis concoctionis. Pro potu ordinario placuit Cerevisia Colbergensis benè cocta, vinum Rhenanum parcè tamen & instar medicamenti sumtum.

CASUS IV.
Ventriculi debilitas cum ptyalismo.

DN. *Ludovicus Kundenreich* Frater Conjugis meæ & Compater meus dilectus, *temperamenti frigidi & humidi, facie pallidus, à sumto cibo gravitatem qvandam ventriculi sentiebat, cum fluctuatione & rugitu, sapè acidum eructabat, ptyalismo freqventi obnoxius, urina reddebatur alba & cruda.*

RESOLUTIO.

Imbecillitatem ventriculi de qvâ agimus, ab intemperie frigidâ & humidâ cum pituitâ, dependere, temperamentum corporis, faciei pallor, urinarum cruditas aliaqve indicia produnt.

Gravitas ventriculi à sumto cibo ab humoribus pituitosis & serosis ventriculumè maxim eo tempore, qvo cibis replétur, distendentibus excitatur.

Fluctuatio ac imbecillo ciborum complexu oritur: Cum enim ventriculus debilis cibum sustinère & satis comprehendere non possit, expellere eum à se nititur & proinde vago quodam motu fluctuationes parit.

Ructus acidi ex crassioribus fumidisqve crudorum acidorumqve humorum vaporibus in ventriculo conclusis & per os superius confertim erumpentibus, assurgunt.

Exspuitio freqvens à nimia ventriculi humiditate, qvam intemperies ejusdem frigida & humida parit, in fauces ipsumqve os ascendente, producitur.

Urina redditur alba & cruda ob caloris imbecillitatem, unde coctio minus rectè perficitur.

Humores itaqve pituitosi præparandi & evacuandi, intemperies corrigenda, & vētriculus roborād9.

Ad incisionem, attenuationem, & præparationē materiæ viscidæ & pituitosæ præscripsi mixturam:

R. Cond. rad. Enul. ℥j
cort. aurant. citr. ana ℥ß.
Minutim incisa contundantur in mortario posteà affund.
Aq: hyssop. ℔ß. fæn. beton. ana ℥iij
exprimant. fortissimè & colentur
add. syrup. de beton. de Hyssopo
ana ℥ij. Oxymel. simpl. ℥. ß,
Aq. cinam. ℥ij M. pro 7. dos.

Pro evacuatione dedi pilulas ex Agarico: R. Extract. agaric. ℈j Solut. nost. ℈ß. Resin. Gialap. gr. v. Ol. still. citr. gt. iij M. c. aq. cinam. F. pilul. no. XI.

Interdum pilulas meas benedictas a ℈j ad ℈iß. horis duabus ante cœnam frugalē ex vino absinthite exhibui nonnunquam & vomitum provocavi, exhibito sale vitrioli.

Ad corrigendam intemperiem frigidam & humidam, roborandumque ventriculum commendavi Elixir stomachale Mathioli, Essentiam specierum diatr. piper. pulverem stomachicum Birchmanni, Elixir Proprietat. P. Electuarium ex baccis Juniperi, & qui palato magis arridere videbantur Morsulos Imperatoris in hunc modum concinnatos:

℞. Specier. pro morsul. Imper. ℥j.
Cond. Zingib. Chinens. cort. citri nuc. Indic. ana ℥ß.
Cardamom. ʒiß. cubeb. ʒij.
Ol. stillat. cinam. gt. v. macer. gt. vij. Caryophyll. gt. iiij. citr. gt.
Sacch. albiss. in aq. sassafras cum cinamom. destill. solut. ℔j.
M. F. s. a. Morsuli.

In fine pastus delibavit Tragæam:

℞. Cubebar. ʒij.
Cardamom. Zingib. alb. macer. nuc. moschat. ana ʒj.
Caryophill. ʒß.
Cinamom. acutiss. ʒij.
Ol. citri gt. IX. sacch. rosat. tabulat. ad pondus omnium.
M. F. Tragæa.

Extra ventriculo robur conciliavi Emplastro stomachali Mynsichti, factâ interdum inunctione ex oleo absinthii, menthæ, mastich. nucistæ & similibus.

Alimenta laudavi boni succi & expeditæ concoctionis, assa magis quam elixa aromatibusquè benè condita.

Pro potu commendavi cerevisiam divitis grani & lupuli, sufficienter coctam, rectè fermentatam, & plenè defecatam, Hydromel item Lithvanicum, vina antiqua, vinosa vel absinthio, melissa, roremarino, aut ligno sassafras, cinamomo & Cariophyllis medicata.

CASUS V.

Singultus ex potu aquæ frigidæ & nitri.

Generosus & Strenuus Dominus Carolus Raute, Chiliarcha & rei armamentariæ in exercitu Suecico Præfectus, cum in expugnatione Urbis Garzensis supra modum incaluisset, nec haberet unde sitim restingueret, aquam frigidam cum nitro mixtam affatim hausit, exinde in singultum incidit adeò vehementem ut toto corpore quasi contremiscere & convelli videretur.

RESOLUTIO.

Cum de causa hujus singultus liquidò constaret, cogitandum erat de remedio.

Commodum videbatur aquam nitrosam frigiditate & acrimoniâ suâ orificium ventriculi vellicantem vomitu rejicere, posteaq; ventricu-

triculum idoneis medicamentis alimentisque calefacere ac roborare.

Vomitum itaque haud cunctanter sale vitrioli cum cerevisiâ tepidâ exhibito provocavi: Hinc aquæ nostræ stomachalis cochlear unum atq; alterum per vices delibandum obtuli:

R. Aq. nostr. stomachal. ℥iiij
Cinam. opt. ℥ij
Spir. bacc. Juniper.
Calam. aromat. ana ℥ß.
Rotul. man. Christ. ʒij. M.

Interdum vini Hippocratici cyathum præbui, vel micam panis triticei malvatico inebriatam.

Extra ventriculum cataplasmate munivi:

R. Fol. menth. absinth. origan. betonic. ana mj.
Rad. cyperi, calam. aromat. galang. ana ʒij.
Cort. citr. ʒiij. maceris ʒj.
Cinam. ʒij. Caryophyll. ʒj.
Oran. paradis. ʒß. coq. ex vino & addito oleo menthæ F. Cataplasma.

Dorsum oleo nucis moschatæ, & balsamo Peruviano calidè inunxi, sed hæc omnia sine juvamento: Etsi enim ad horam unam atque alteram remitteret singultus, subinde tamen magno cum impetu repetebat, donec tandem exhibitâ Confectione Anacardina & ligno aloes penitus cessaret, die ab invasione tertio.

CASUS VI.
Vomitus sanguinis.

ILlustris Dominus Dn. Rudolphus Baro de Thun Tyrolensis, pleniore corporis habitu praditus, in gratiam Baronis de Herberstain aliorumq; amicorum vino Hispanico prater morem largius se invitaverat, lectum petens, anxietatem quandam circa pracordia sensit, paullò post ingentem sanguinis copiam vomitu rejecit, cum animi deliquio & extremorum frigiditate.

RESOLUTIO.

Per anastomosin venæ alicujus magnæ in ventriculum insertæ sanguinem effundi statuo; quatenus in corpore plethorico, largiore vini generosioris potu sanguis incalescens & ebulliens concepto orgasmo expultricem stimulat, exitumq; sibi parat.

Sanguis itaque effervescens haud cunctanter eventilandus, revellendus, ejusdemque abundantia minuenda, & fluxus inhibendus.

Verùm cum titubanti & supra modum ebrio venam secare non adeò tutum esset, ligaturas extremorum & frictiones, quibus san-

gui-

guinis ad ventriculum affluxus quodammodo revelleretur, institui, simulque pro virium refectione aquam meam Cordialem frigidam & tincturam Coraliorum, quatenus omnem sanguinis fluxum sistere creditur, exhibui. Cordi etiam & pulsibus Epithemata convenientia applicui: Intereà in somnum profundum incidebat, quievitque à duodecima noctis usque ad sextam matutinam: Expergefactus de angustia & anxietate circa præcordia conquerebatur, imminente & animi deliquio, quod à sanguine concreto excitari suspicabar ac proinde ad sanguinem dissolvendum oxymel simplex cum decocto florum bellidis & radicis ebuli exhibui: paulò post iterum cruenta evomuit: Svasi basilica brachii aperiretur, sanguisq; partitis vicibus emitteretur, ne vires deficerent & revulsio meliùs perficeretur.

A phlebotomia, sanguinem effervescentem alterantia, fluxumque inhibentia & adstringentia præscripsi:

R. Aqu. Hæmopt. Dorn. plantag. portulac. ana ℥j.
Trocisc. de Karabe, de terr. sigillat. ana ℈j.
Corall. rubr. præp. ℈ß.
M. F. potiuncula.

Sub vesperam, decumbenti, Emulsionem soporiferam simul & stegnoticam obtuli:

R. Sem. papav. alb. ʒiij.
4. frig. maj. excort. ana ʒj.
Amygdal. dulc. ℥ß.
Aq. plantag. portulac. rosar. ana ℥j.
M. F. Emulsio. Adde
Pulv. stegnotici Gutman. ℈j.
Corall. rubr. præpar. ℈ß.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒj.
Spir. fragor. gt. XI. M.

Ex eo remiserunt vomitiones cruentæ, intereà tamen sitis continua vehementer urgebat ægrum, cui restinguendæ propinavi tincturam affectui convenientissimam, nec palato ingratam:

R. Flor. Rosar. incarnatar. ʒvj.
Rad. tormentill. ʒiij.
Incisis affund. aq. ferventiss. ℔jß.
spir. ⊖li gt. XXI.
Mixta & benè cooperta stent in loco calido per Horas quinque, postea filtrentur per chartam emporeticam, add.
Syr. myrtin. de portulac. ana ℥j.
Corallin. Quercet. ℥iij.
Tinctur. coralior. veræ ʒij. M.

De hac tinctura bibat, quantum libet.

Ex topicis, præter Epithemata quorum suprà memini, linimentum ventriculo inungendum præscripsi:

R. Ol. rosat. omphacin. myrtin. mastichin. ana ℥ß.
Extract. tormentill. ℈j.

inducant, quod cum etiam Illustri huic Baronum Trigæ, eorundemq; Ephoro accidisse intelligerem, ilicò opiatæ nostræ Bezoardicæ drachmam unam ex vino calido singulis exhibui, imperatis sublecto sudoribus, quibus abundè promanantibus, assumtisque postmodùm jusculis abstergentibus ex Cremoræ ptisanæ hordeaceæ & similibus, ab atrocissimis cruciatibus feliciter liberati sunt.

Eodem Medicamento & Dn. Johannem Kittlerum, contubernalem meum ANNO M. DC. XXV. Francofurti ad Viadrum à maligna edulii hujus qualitate, intensissimisquè ventris doloribus & hypercatharsi, DEI gratia, salvum reddidi.

CASUS VIII.
Cholera ex esú malorum Persicorum.

ANNO M. DC. XXVI. Excellentissimus D. D. LIBERALIS CREMA, unà cum Dn. D. DANIELE BUCRETIO qui eo tempore Venetiis in edendo opere anatomico Adriani Spigelii occupabatur, ad cœnam me invitaverat: Apponebantur inter bellaria mensasq; secundas mala persica raræ magnitudinis & rubicundissimi coloris; Delibavimus ex his unum atque alterum; Mox dulcedine jucundissimi fructus capti, copiosius mala illa, malo admodum eventu, ingessimus. Nocte enim, quæ sequebatur, vehementissimis intestinorum doloribus correpti, ἄνω καὶ κάτω magnam pravorum humorum copiam rejecimus, ita ut vires vehementem excretionis motum amplius vix sustinerent: Ad hunc igitur compescendum, pravitatemq; fructus illius Persici corrigendam, circa auroram Opiatam Bezoardicam, cujus in præcedenti casu memini, ex vino Vincentino actu calido assumsimus, præsentaneo cum juvamento, & sic in continentia pœnis coërciti, parcius appetitui, qui verè nequam est, indulgere didicimus.

CASUS IX.
Lumbrici lati & alius cornutus.

DN. Jacobus Köning, Schiefelbeinensis quinquaginta circiter annorum, contra dolorem & morsum in ventre, quē jejunus plerumq; sentiebat suasu cujusdam Barbitonsoris, spiritu vitrioli singulis matutinis ex Ce-

revisiâ calidâ aliquandiu usus, corpuscula quadam cucurbita seminibus similia, quotidiè excernebat, tantâ copiâ, ut numerari vix possent. Cum verò perpetuâ circa anum molestiâ subinde vexaretur, corpusquè aliàs obesum sensim decresceret, viresquè dejicerentur, opem meam imploravit.

RESOLUTIO.

Equidem lumbricos, quos Græci ἕλμινθας πλατείας vel κειρίας, Latini latos vocant ex indiciis & signis modò allatis, subesse ratus, pulverem contra vermes, Officinæ nostræ usitatum exhibui, ut enecarentur vel saltem debilitarentur. Hinc pilulas eadem vi præditas & simul purgantes præscripsi:

R. Extract. specier. diaturbith
cum Rhabarbar. ℈j.
panchym. Croll. ℈ß.
Trochisc. alhandal. gr. iij.
Succ. absinth. inspissat. gr. v.
M. c. aq. flor. persicor.
F. pilulæ No. XI.

Dejecit materiam viscidam, lentam, fœtidam, & cum hac quinque frustra vermium, quædam unius, quædam trium quatuorve spithamarum longitudine. Altero à purgatione die sumtâ theriacâ excrevit lumbricum latum, sed abruptum, Tertio & sequentibus exhibui arcanum meum contaa vermes, ex quo iterum aliquot frustra, tandemquè integrum lumbricum longitudine unius ulnæ sine abruptionis sensu, per alvum dejecit, non quidem ex latorum vel vulgarium censu, sed longè alterius & à tribus illis lumbricorum generibus, discrepantis speciei.

Caput enim habet oblongum, nigrum, villosum, & binis cornibus armatum, ipsum corpus in medio latum quidem est, sed ab utraque parte in rotunditatem quandam, veluti ventrem assurgit, cum exiguâ cavitate, ex unâ parte asper est, ex altera lævis & lubricus, coloris albi, sed circa interstitia circulis nigris distinctus, ut ex Schemate annexo clarius patet.

Rejecto hoc verme, corpus iterum purgavi, lumbricosque necantia & expellentia, si qui forsan in insidiis essent per vices exhibui: Sed nihil horum ampliùs excretum est, Ægro etiam quoad cætera, rectiùs valente.

CASUS X.

Scarabæi Solares per alvum excreti.

FIgulus quidam Tempelburgensis, facie pallidus & quantum mihi videbatur, Cachecticus, perpetuo dolore & torminibus ventris, præsertim jeju-

jejunus vexabatur, cum ciborum fastidio, nauseâ & ructibus, aderat & virium languor & totius corporis extenuatio, præter abdomen quod tumidum, durum & ad tactum renitens habebat.

RESOLUTIO.

Auxilium meum imploranti ad saburram ventris subducendam, præmisso clystere, exhibui pulvisculum ex speciebꝰ diaturbith cum Rhabarbaro: Excrevit per secessum quatuor Scarabæos, vulgaribus illis, qui in stercore equino reperiuntur & solares sive pilularii dicuntur, vulgò Roßkäffer / per omnia similes.

Exinde meliùs habere cæpit, quin & venter magnâ ex parte detumuit, dolores tamen & tormina non omninò remisêre, unde metuendum erat, ne plures in corpore impuro & cachectico delitescerent. Ulterius itaque instandum & monstra hæc interficienda & expellenda esse duxi, quo fine singulis matutinis & vespertinis propinavi vinum medicatum ex amaris & peculiari proprietate vermes necantibus:

R. Rad. filicis ℥vj.
Dictam. Cretic. ʒß.
angelic. Zedoar. ana ʒij.
Cort. fraxin. citri ana ʒiij
Sem. santonic. ʒv.
Citri portulac. ana ʒij.

Incisis & conqvassatis affund. vin. absinthit. ℔ij. M. stent infusa per Hor. 24. postea colentur.

Sumto hoc vino, quotidiè vermium istorum duos vel tres, quosdam enectos, quosdam adeò debilitatos ut loco se movere, etiam lacessiti, non possent, per alvum excrevit.

Tandem ad omnimodam reliquorum internecionem & expulsionem dedi pilulas in præcedenti casu descriptas, quarum usu, septem scarabæi, sed omnes mortui, unà cum excrementis rejecti sunt. Suasi vinum medicatum modò descriptum aliquandium continuaret & alternis diebus pilulas nostras benedictas cum succo absinthii inspissato præparatas, pondere scrupuli unius vel drachmæ semis ex vino absinthite deglutiret; Quo facto non tantum ab omni vermium molestiâ sed ab ipsâ etiam Cachexia liberatus, optimè nunc valet.

CASUS XI.
Hernia intestinalis.

DN. Laurentius Rangius, Camerarius Colbergensis optimè meritus, Amicus meus specialis & verè candidus, ex Senatus decreto tempore hyemali lignis in silvâ Borckia, Villicorum operâ cadendis præfectus, dum hinc inde per saltus & aspe-

aspera nemoris de mane usquè ad vesperam quotidiè ob ambularet, vocemquè indignabundus quandoquè vehementer intenderet, tumorem in sinistro inguine contraxit, primò quidem exiguum, tractu autem temporis sensim accrescentem, ita tamen ut interdum minui, mox iterum augeri, sæpè etiam resupinato potissimum ægro planè evanescere videtur.

RESOLUTIO.

Ex laxato peritonæo Herniam intestinalem excitatam conjiciebam, quod tumor sensim subortus esset, nec intestinum ad fundum usque descenderet. Rupto enim peritonæo subitò prosilit intestinum & ex hoc tumor, & quod delapsum est, ad fundum usque testiculorum decumbit. Facilè autem fieri potuit, ut per continuas illas præcipitesquè obambulationes & vehementes corporis motus, accedente & vocis intentione laxaretur peritonæum.

Tumor modò accrescit, modò minuitur, quatenus intestina magis vel minùs replentur aut descendunt.

Interdum totus evanescit, quando intestina planè retrocedunt, quod in supino decubitu & cruribus elevatis plerumque accidit.

Etsi verò à molestissimo affectu sexagenarium Senem penitus liberare & integræ sanitati restituere impossibile esset, fasciis tamen & emplastris convenientibus effectu-rum promisi ut intestina suo loco continerentur, nec impedimento forent quo minùs actiones necessarias absque molestiâ & periculo exercere posset; quod, ut divinâ favente gratiâ præstarem, intestina Clysteris beneficio à fecibus repurgata & emollita sensim reposui, & ne iterum exciderent emplastro de pelle arietina Arnoldi Villanovani & fasciis à Platero, Med. Pract. tract. 3. descriptis, obfirmavi, simulqve monui, summo perè cavendum ne alvus in duretur & supprimatur vel fladibus distendatur, qvo fine vitanda adstringentia & flatus generantia.

Abstinendum prætereâ ab omni repletione & vehementi corporis motu, â vomitu, tussi & sternutatione, qvæ cum cohibere potestatis nostræ non sit, crura saltem comprimenda aut decussatim implicanda. In ejiciendis etiam alvi fecibus inguina & scrotum manu comprimenda, ne intestina protrudantur.

His observatis nullas vel exiguas & rarissimas ab Hernia molestias sensit, ad actiones quantum per ætatem fieri potuit, exercendas, viginti plus annis, quibus supervixit, satis

ſatis promtus & habilis, donec tandem longo ſenio confectus leniter exſpiraret.

Care ſenex molli placidè requieſce cubili!
Divulſos terris, junget JOVA polo.

CASUS XII.
Dolor Colicus à pituitâ vitreâ.

GOTHOFREDUS HILDESHEIMIUS, FRANCISCI HILDESHEIMII, *Medici olim celeberrimi ex Filio* NEPOS, *Supremus rerum capitalium in exercitu Imperatorio Præfectus, otio & crapulæ deditus, immani dolore ventris, maximè ſuo umbilico, pali infixi ſpeciem exhibente affligebatur; alvus obſerata nihil excernebat, per os quidem pituitoſa vomebat, ſed ſine juvamento.*

RESOLUTIO.

Paſſionem Colicam à pituita natam ipſe dolor & vomitiones pituitoſæ indicant.

Dolor pali infixi ſpeciem exhibet, ob violentam tunicarum diſtenſionem.

Alvus obſtructa eſt, ob impeditam facultatem in excretione, propter viarum anguſtiam à copiâ pituitæ viſcidæ factam.

Adſunt vomitus, ventriculo per conſenſum ob communionem membranarum, affecto.

Sine juvamento, quia materia viſcida in inteſtino colo & tunicis pertinacius hærens, per vomitum nec facilè nec tota rejicitur.

Dolor itaque tanquam principale urgens mitigandus & cauſa continuum ſolvens & dolorem excitans, amovenda.

Ad utrumque ſcopum conſequendum præſcripſi Clyſterem ex emollientibus, laxantibus & dolorem lenientibus.

R. Fol. rut. branc. urſin. mercurial.
Parietar. malv. c. toto ana mſs.
Flor. chamæm. mj. melilot.
Summit. aneth. ana mſs.
Rad. altheæ ℥ſs.
Sem. anet. carui, bacc. laur. ana ʒij.
Coq. ex aq. ſimpl. R. Colatur. ℥x.
elect. diacath. bened. laxativ. ana ℥ſs.
hier. ſimpl. ʒij.
Ol. aneth. rutac. ana ℥ſs.
Sal. gemm. ʒj. M. F. Enema.

Ventrem oleo anethino, chamæmelino & rutaceo ſæpius inungendum præcepi.

Rejecto clyſtere juſculum ex cremore ptiſanæ avenaceæ cum pau-

pauco saccharo, abstersionis gratiâ, exhibui. Quievit paullulum, à somno recruduêre dolores, repetivi itaque inunctiones & Clysterem.

Cum nihilominus perseveraret dolor, balneum aquæ calidæ in hunc modum adornatum, commendavi:

R. Herb. origan. calaminthæ rutæ ana mij.
Flor. chamæmel. miij.
malv. c.toto misß.
melilot. mj.
Summit. aneth. mij.
Sem. lini ℥ij. fœn. græc. ℥j.
aneth. ℥iß.
Baccar. Juniper. ℥iiij.
Incisa & conquassata coqu. ex s. q. aquæ simplicis, pro balneo.

Ante infessum exhibui Theriacam cum pulvere meo anti-Colico.

Hinc dolor sensim remisit: Intereà de virium languore conquerebatur Æger, quarum instaurationi inter cætera optimè profuit malvaticum cum micâ panis albi.

Ex intervallo trium quatuorve dierum, ubi dolor ex toto sublatus esset, viresque recuperatæ, ad pleniorem & perfectam humoris pituitosi evacuationem præscripsi pilulas phlegmagogas Quercetani, quarum usu ingentem pituitæ copiam ejecit & sic pristinæ sanitati restitutus est.

Cæterùm, cum recidivam metueret, svasi decocto ligni Guajaci ad absumendas reliquias & corrigendam intemperiem frigidã, ad tempus uteretur, observatâ convenienti & frugali diæta. Crapulam ante omnia & vitam desidem ac sedentariam fugeret, corpus quotidiè ante prandium & cœnam, deambulando, equitando, vel alio quovis exercitio, moderatè moveret & ne vitiosi humores iterum cumularentur, interdum pilulas benedictas vel phlegmagogas Cratonis vel aliud scopo huic conveniens medicamẽtum assumeret.

CASUS XIII.

Colica ab humoribus biliosis & acribus.

Illustrissimus Princeps ac Dominus, DN. FRANCISCUS ALBERTUS, Dux Saxoniæ, Angriæ, & VVestphaliæ, ætatis consistentis, temperamenti calidi & sicci, ANNO M. DC. XXIX. Mense Julio in acutissimos ventris dolores circa coli regionem subsistentes, incidit, cum totius corporis æstu, siti nauseâ, vomitionibus biliosis, inquietudine & vigiliis.

RESOLUTIO.

Morbum intestini plenioris, quem

quem Colicam passionem dicimus, non tantum ab humoribus frigidis, pituitosis, flatulentis, sed etiam calidis, biliosis & acribus excitari, vulgò notum est & constat hoc ipsum cùm aliorum tùm Illustrissimi Principis exemplo. Is naturâ calidus & siccus ad acrium & biliosorum humorum productionem cum esset aptissimus, collectâ & mota eorundem per tunicas & vasa intestini grandioris copiâ, facilè dolores colicos incurrere potuit, adjuvante imprimis & ebullitionem promovente aëre externo calido & vini potentioris, cui assueverat largiore potu.

Totum corpus æstuat ab humorum biliosorum effervescentia, quæ non tantum dolorem in parte affectâ, sed & calorem in toto parit.

Sitis urget, ob humidi, quod calor absumit, in ventriculo defectum.

Nausea & vomitus biliosi, à concitatâ & in ventriculum ex vesiculâ fellis & duodeno intestino effusâ bile proveniunt.

Vigilias dolor inducit, quatenus in sensum tactus vehementer agendo sensum quoque communem excitat, quo commoto etiam reliqui sensus excitantur, accedentibus & exhalationibus biliosis, somnum impedientibus.

Curatio in doloris lenitione & caussæ amotione consistit.

Duos hosce parietes ut unâ quod dicitur fideliâ dealbarem, ordinavi Enema ex anodynis & biliosas acresq; humores evacuantibus:

R. Herb. Endiv. parietar.
malv. c. toto violar.
lactuc. ana mβ.
Flor. chamæm. mj. sambuc. p. j.
Sumitat. melilot. anethi ana mβ.
Rad. liquirit. rasæ ℥β.
altheæ ʒvj.
Sem. lini ʒiij.
fænicul. ʒiβ.
Coq. ex s. q. aq. simpl.
R. Colatur. ℥x.
Cass. pro Clyster. ℥j.
Electuar. diacatholic. ʒiij.
Ol. olivar. ℥ij.
Chamæm. ℥j.
Sal. gemm. ʒj. M. F. Enema.

Ventrem oleo violarum & amygdalino dulci repetitim iniunxi.

Cum nihilominus continuaret dolor, alium Clysterem magis anodynum & abstergentem præscripsi:

R. Flor. chamæmel. mj.
Sambuc. violar. ana p. j.
Rhead. mβ.
Rad. altheæ, liquirit. ana ℥β.
Sem. aneth. malvæ ana ʒij.
Summit. aneth. p. j.
Coq: ex lact. dulc. q. s.
R. Colatur. ℔j. Sacch. Thom. ℥j.
Vitell. ov. no. 1. M.

Ab usu Clysteris exhibui oleum amygdalarum dulcium recentissimè expressum cum jure pulli.

Postquam semel atque iterum per alvum biliosa excrevisset, dolores magnâ ex parte remittere videbantur. Quare ut cumulati circa primas vias biliosi humores ulteriùs & plenè evacuarentur, commendavi vinum passulatum laxativum, singulis vel alternis diebus, pro tolerantiâ bibendum, cujus usus Illustrissimo Principi adeò salutaris fuit, ut non tantum ab acutissimis doloribus sed & aliis symptomatibus, ardore scilicet ventriculi, oris perpetuâ siccitate & siti, quibuscum ante hac subinde conflictatus fuerat, perfectè liberaretur.

CASUS XIV.

Alvi retentio.

D*N. EBERHARDUS CUNDENREICH, Patritius & Senator Colbergensis meritissimus, Adfinis & Compater meus dilectus, perpetuis ferè alvi obstructionibus laborabat, ita ut non nisi tertio vel quarto die excerneret, etiamsi benè & aliquando plus justo comederet, nec aliàs malè haberet. Interdum tamen in hypochondrio sinistro caloris alicujus sensum percipiebat & φλόγωσιν in facie subitò evanescentem.*

RESOLUTIO.

Alvi segnities, ab intemperie calidâ lienis, quam ardoris in Hypochondrio sinistro sensus & calor in facie subitò evanescens, indicant, dependet. Lien enim calidior atqueam illam humiditatem, quibus feces dilui debent, attrahit.

Intemperies itaque corrigenda, quod, ut commodè & tutò fieri possit, præmittenda evacuantia.

Primò ad emolliendam alvum pertinaciter obstructam, præscripsi Enema:

R. Herb. malv. c. toto mj. violar. parietar. fumar. ana mß.
Flor. chamæm. mj. melilot. p. j.
Passul. minor. ℥vj. tamarind. ℥ß.
Coq. ex s. q. aq. simpl.
R. Colatur. ℥x. Cassiæ pro Clyster. ℥j.
Electuar. lenitiv. ℥ß.
Ol. violar. ℥iii. M. F. Enema.

Hinc decoctum meum laxativum cum syrupo de pomis Cratonis exhibui.

Purgato corpore sanguinem in toto abundantem ex basilica sinistri brachii ad uncias circiter septem detraxi.

Ad ipsam intemperiem lienis ordinavi serum lactis caprini cum succo Cichorii, Endiviæ, fumariæ &c. alteratum, & cum aliquid scorbuticæ malignitatis subesse animadverterem, addidi succum citri, bekabungæ & cochleariæ.

Interea & ventriculo prospexi, ne

ne ex usu seri damnum caperet, exhibendo interdum aquam meam stomachalem, Essentiam absinthii, Elixir. propr. P. & id genus alia.

Cæterùm ad alvi relaxationem commendavi vinum passulatum & Conservam rosarum Provincialium laxativam, per vices quandoque assumenda, donec sponte officium faceret, quo fine & victus rationem humectantem & modicè refrigerantem commendavi, proscriptis fumo duratis, in muriâ maceratis, falsis & viscidis.

CASUS XV.

Diarrhæa.

D*N. Hieronymus Körber, Equitum Magister, Amicus meus integerrimus, ex castris Svecorum ad nos reversus, sub initiū autumni corrupta quædam & liquida creberrimis dejectionibus excernebat, cum ventris torminibus, ciborum nauseâ & eructationibus.*

RESOLUTIO.

Diarrhæam à crudis vitiosisquè humoribus vitio ventriculi, & inordinatâ, qualis militum esse solet, victus ratione, productis, excitari judicabam, quatenus eorundem copiâ & acrimoniâ expultrix vētriculi & intestinorum ad immoderatam excretionem irritatur.

Quamobrem fluxum hunc non statim sistendum, sed vitiosos humores leniter evacuandos, ventriculum & intestina moderatè adstringentibus roboranda, victusq; rationem meliorandam esse duxi.

Ad evacuationem exhibui vomitivum ex sale ⊕li albi cum cerevisiâ tepida.

Vomuit quidem aliquoties, sed cum materia copiosior non satis videretur ejecta, præscripsi potiunculam purgantem:

R. Decoct. nostr. laxativ. ℥ii.
Pulv. Rhabarb. elect. ℈j.
Syr. de cichor. c. Rhabarb. ℥ß.
Aq. Cinamom. ʒii. M.

subductâ materiâ ventriculum roboravi tali Electuario:

R. Conserv. rosar. rubr. veter. ℥iii.
Diacydon. c. specieb. ℥j.
Condit. cort. citr. ℥ß.
Spec. aromat. rosat. ʒj.
Corall. rubr. præp. ℈ij.
Lign. aloes ℈ß.
Terr. sigillat. ℈j.
Miv. cytonior. q. s.
M. F. Elect.

Extra Emplastrum Stomachale Hartmanni panno scarlatino inductum apposui.

Ad ventris inunctionem oleum Chamæmelinum, mastichinum & anethinum miscui.

Diætam initiò commendavi tenuem & abstergentem ex cibis boni succi & facilis concoctionis, potum concessi paucum imperata

quiete & somno, cruditatibus coquendis fluxuique sistendo convenientissimis.

CASUS XVI.

Hypercatharsis.

ANNO M. DC. XLIX. Mense Majo Dn. Brian Stapletonus Anglus, Cardinalis Stapletoni ex Fratre NEPOS pulvisculum purgantem à Chirurgo Castrensi præparatum assumserat, cujus violentiâ, spacio quindecim horarum plus quadragies per alvum & septies per vomitum, multa pituitosa, biliosa, tandem etiam cruenta excrevit, cum insigni virium dejectione, adeò ut de vitâ periclitaretur.

RESOLUTIO.

Vocatus mediâ nocte, cum nihil aliud ad manus haberem, balsamo apoplectico nares & pulsuū regionem inunxi, frictionesque extremorum pannis calidis institui, donec ex pharmacopolio alia ad hanc rem facientia transportarentur, inter quæ primum abstergens ex decocto hordei cum syrupo rosarum simplicis infusionis exhibui; Clysterem enim dejectiones frequentissimæ & ani à medicamenti purgantis acredine excoriatio, non admittebant.

Hinc ex adstringentium penu terram sigillatam cum conserva rosarum antiquâ & miva Cytoniorum obtuli, ventremque unguento meo dysenterico inungendum præcepi.

Remisêre dejectiones interveniente somno ab horâ quintâ matutinâ usque ad primam meridiei: Hinc iterum intra trihorium undecies egessit; propinavi Emulsionem amygdalarum cum adstringentibus & cordialibus.

R. Amygd. dulc. Elect. non rancid. ℥iß.
Aq. dysenter. Dorncreil. ℥iij.
rosar. fol. quercus ana ℥ij.
M. F. Emulsio. Add.
Corn. cerv. usti ʒj. Margarit. præp. Corall. rubr. pr. ana ℈j.
Spir. rubi Idæi, rosar. ana ℈iß.
Rot. man. Christ. perlat. ʒiß. M.

Umbilico applicavi Emplastrum alutæ inductum:

R. Unguent. nostr. dysent. ʒvj.
Theriac. Andromach. ʒij.
Terr. sigillat. ʒiß.
Ceræ parum M. F. Emplastr.

Cum vehementer subinde sitiret & Jolabia etiam suavissima respueret, obtuli intritum ex pane siligineo & Cerevisia strigense cum syrupo Coraliorum ex vino granatorum mixtum.

Intereà ad virium refectionem per vices cochlear unum atque alterum mixturæ cordialis exhibui:

R. Aq.

℞. Aq. nostr. cordial. frigid. ℥iiß.
rub Idæi, fragor. rosar. ana ℥j.
Cinam. c. florib. borrag. absque vin. destillat. ℥ii.
Carbunc, ℥j.
Margarit. præpar. ℈j.
C. cerv. usti ℈ij.
Coral. rubr. præp. ℈iß. Smaragdi præparat. ℈ß. spir. rub. Idæi ʒß spir. ros. ℈j. miv. cyton. ℥ß. M.

Cordi & pulsibus Epithemata convenientia apposui, inunctâ etiam spinâ dorsi oleo amygdalarum dulcium.

His nondum proficientibus, circa vesperam exhibui Opiatam meam Bezoardicam cum granis duobus laudani opiati, à cujus usu in somnum profundum incidit, quievitque per integram noctem, sedatis ex toto alvi turbationibus. Vires etiam continuatâ cordialium usurpatione & alimentis benè nutrientibus brevi, per DEI gratiam, pristino vigori restitutæ sunt, relicto evidenti documento, medicastris & Barbitonsoribus parum in his fidendum esse:

Quæ nocent, docent.

Melius à Magistratu prospectum est Italiæ, ubi in singulis ferè Civitatibus loco publico affixæ conspiciuntur tabulæ, cum inscriptione:

Nomina Medicorum, quibus licitum in hac urbe purgantia præscribere.

Magnâ enim in moliendâ catharsi opus est cautione etiam doctis interdum non satis expeditâ.

CASUS XVII.

Dysenteria.

ANNO M.DC.XXIX. *Magnificus & Generosus Dn. Laurentius Christophorus à Somniz, tunc temporis in Lycæo Colbergensi literis strenuè operam navans, nunc Serenissimi Electoris Brandenburgici in Pomeraniâ Orientali Cancellarius longè meritissimus, Mecœnas & Fautor meus observandissimus &c. dolore ventris non adeò vehementi circa umbilicum afficiebatur, cum frequentissimis alvi dejectionibus, quibus mucosa quædam, exiguo cruore perfusa ejiciebantur; pulsus ad tactum æqualis nec ullus in reliquo corpore præter naturam calor deprehendebatur, viribus etiam & ciborum appetitu, non admodum dejectis.*

RESOLUTIO.

Signis modò enumeratis, Dysenteriam absq; febri indicari, nullum est dubium.

Venter dolet, ab humorum acredine intestina erodente & continuum solvente.

Do-

Dolor non eſt adeò vehemens, quatenus inteſtina craſſiora afficiuntur, quorum ſenſus propter carnoſitatem non eſt adeò exquiſitus ac tenuium.

Circa umbilicum, ratione ſitus.

Dejectiones frequentes ab humorum acrium ſtimulo, excretricem irritante, proveniunt.

Mucoſa exiguo cruore perfuſa ejiciuntur, quia exulceratio ſuperficiem tantum inteſtinorum afficit.

Pulſus æqualis & calor in toto corpore modum non excedens, febris, quæ aliàs huic morbo plerumque conjungitur, abſentiam indicant.

Vires utcunque conſtant, ob corporis quoad cætera benè conſtituti robur & humorum nec omnium, nec adeò magnam conturbationem.

Appetitus non admodum dejectus eſt, quatenus affectis ſolummodò craſſioribus inteſtinis, ventriculus non adeò in conſenſum trahitur, ac ſi tenuia vel omnia laborarent.

His diligenter conſideratis & factâ inter morbum & naturæ robur collatione, eventum, DEO juvante, ſalutarem promiſi, modò humores vitioſi maturè & antequam inteſtina gravius lædant & magis exulcerent, evacuentur & abſtergantur, eorumque acrimonia temperetur, dolor mitigetur; fluxus cautè ſiſtatur & quod exulceratum eſt benè mundetur & conſolidetur.

Ad evacuationem itaque præſcripſi potiunculam:

R. Rhabarb. elect. ʒij. Flor. roſar. rubr. exſiccat. ʒß. Rad. liquirit. ℈j.

Incidantur minutim & infundantur in aqu. plantag. ℥iij. per noctem, manè ebulliant & colentur, add. Syr. roſar. ſolutiv. ʒvj. Aq. Cinamom. ʒij. M. F. hauſtus.

Pro abſterſione ordinavi Clyſterem per vices repetendum:

R. Hordei toſti mj. Flor. verbaſci roſar. rubr. ana mß.
Furfur. p. j. Coq. ex aq. ſimpl.
R. Colatur. ℔j. mell. roſati ʒvj.
Sacch. rubr. ℥j. vitell. ov. no. ij.
M. F. Enema.

Ad acrimoniam humorum temperandam fluxumque moderatè ſiſtendum exhibui tale Julabium quo ſimul & ſitim fallebat æger.

R. Aq. plantag. endiviæ acetos. portulac. ana ℥iiij.
Syr. corallin. Quercetan. rub. Idæi ana ℥ij.
Vin. granator. ℥iij. M.

Sub veſperam Emulſionem præſcripſi etiam ſomno conciliando convenientem:

R. Sem. papav. alb. ʒiij.
4. frigid. major. excort. ana ʒß.
acetoſæ ʒj.

Amygd.

Amygd. dulc. excort. ℥ß.
Aq. fol. querc. plantag. ana ℥j.
dysenter. Dorncreil. ℥ij.
M. F. Emulsio. Add.
C. Cervi usti ℈j.
Corall. rubr. præpar. ℈ß.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒj.
Spir. ros. rubr. Idæi ana gr. vij. M.

Præter hæc fluxui sistendo optime profuit pulvis Dysentericus Crollii & specificum Angeli Salæ, per vices & sæpè & in parvâ quantitate assumta, ne subitò supprimeretur alvus & retenta materia gravius malum inferret.

Ad doloris mitigationem cùm non adeo vehemens esset, nihil præter modo dicta adhibui: Extra tamen ventrem Ungvento meo dysenterico sæpius inungendum præcepi.

Remittentibus cruentis purulentisq; dejectionibus, ulterioris adstrictionis & consolidationis gratiâ Clysterem ordinavi:

R. Rad. consolid. mj.
torment. ana ℥ß.
Herb. polygon. plantag. fanicul. ana mj.
Flor. verbasc. rosar. balaust. ana p. j.
Sem. plantagin. ʒiß.
Coq. ex lacte chalybeato q. s.
R. Colatur. ℥x.
Sev. hircin. ʒvj.
Bol. arm. terr. sigill. ana ʒß.
Ol. rosar. complet. cyton. ana ℥ß.
M. F. Enema.

Eodem fine & Electuarium bis vel ter quotidiè delibandum præscripsi:

R. Conserv. rosar. veter. ℥ij.
Condit. carn. cytonior. ℥j.
pyr. moschatellin. ʒvj.
Flor. citr. aurant. ana ℥ß.
Bol. armen. terr. sigill. ana ʒj.
Tragacanth. ʒß. Corall. rubr.
pr. margar. præp. ana ℈j.
Smaragd. præp. ℈ß.
M. c. vin. granat. q. s. F. Electuar.

Diætam initio laudavi tenuem & abstergentem ex ptisanâ hordeaceâ, avenaceâ, panatella, aliisque jusculis convenientibus.

Progressu morbi carnes agninas, vervecinas, pullorum, perdicum, turdorum, leporum, capreoli &c. concessi: Oryzam imprimis, cujus usu in navigatione Americanâ multos evasisse Columbus refert, cum lacte coctam & pultes ex panico, amygdalarum Emulsiones, additis subinde adstringentibus & pauco saccharo, commendavi. Calida, acria & humectantia proscripsi.

Pro potu ordinario dedi Cerevisiam Colbergensem benè defecatam & vino granatorum dilutam: Extraordinariè ad sitim compescendam Jolabium supra descriptum & interdum aquam hordei cum prunis sylvestribus, liquiritiâ & pauxillo Cinamomi decoctam

exhibui, ſed parcâ manu ne largior potus alvum magis redderet lubricam, & ſic pertinax hoc alvi profluvium ex toto ſedatum eſt.

DEUS virum Nobiliſſimum, columen & præſidium affictiſſimæ Patriæ, diutiſſimè ſalvum & ſuperſtitem præſtet!

CASUS XVIII.
Dyſenteria maligna.

Nobiliſſimus Dominus EGIDIUS von der Myle/ *amicus meus ſpecialis, circa æquinoctium autumnale ANNI M. DC. XXIX. ventris torminibus ſubitò correptus, multa biolioſa & ſangvinolenta aſſiduis dejectionibus excernebat, cum anxietate circa præcordia, ciborum faſtidio, ſiti vehementiſſimâ, pervigiliis & calore totius corporis intenſiſſimo.*

RESOLUTIO.

Vetus eſt monitum in morborum indagatione ſemper attendendum quod communiter graſſatur, cui inſiſtens, cum eo ipſo tempore dyſenteria Endemia hinc inde vagaretur, factâ comparatione hujus ægri, cum aliis plurimis, qui dyſenteriâ malignâ decumbebant, eodem malo eundem laborare ſuſpicabar, ac proinde omiſſis purgantibus ſtatim ad alexipharmaca me converti exhibendo per vices pulverem meum Bezoardicum cum aquâ dyſentericâ Dorncreilii.

R. C. Cerv. uſt. præparat. ʒij.
Tormentill. Contraierv. ana ʒj.
Bol. armen. terr. ſigillat. Corall. rubr. præp. margar. præp. ana ℈j.
Unicornu veri ℈ß. Smaragd. præpar. Carneol. pr. Lapid. Bezohard. ana ℈j. M. F. Pulvis.

Ad acrimoniam humorum mitigandam, malignitatem expugnandam, ſitimque & calorem febrilem reſtinguendum, præſcripſi decoctū Cornu Cervini in hunc modum præparatum:

R. Raſur. Corn. Cerv. ℥iß.
Rad. tormentill. acetoſ. ana ʒiij.
Aq. puriſſ. ℔v. Coqv. ad remanent. ℔iijß. Incolatur diſſolv. vin. granator. ℥iij.
Syr. acetoſit. citr. rub. Idæi ana ℥ij
Corallin. Quercetan. ℥j. M.

Interdum Emulſionem amygdalarum dulcium cum 4. ſeminib. frigidis & papavere exhibui, addito cornu cervi uſto & coraliis præparatis.

Umbilico, emplaſtrum theriacale alutæ inductum, impoſui.

R. Ungvent. noſtri dyſenter. ʒvj.
Terr. ſigillat. ʒij.
Theriac. Andromach. ʒiij
Ceræ parum. M. F. Emplaſtr.

Dolorem Clyſteribus mitigavi, qui-

quibus initio abstergentia, progressu adstringentia & consolidantia miscui.

Contra cordis angustias pulverem Bezoardicum cum aqua ex typhis Cervorum exhibui, provocatis sub lecto sudoribus, quos cum optime ferret, aliquoties repetivi notabili cum levamento. Videbantur enim & dejectiones inde remittere, materiâ per sudores evacuatâ & malignitate bezoardicorum usu expugnatâ.

Virium refectioni profuit aqua mea cordialis frigida, Confectio de Hyacintho, Tinctura Coraliorum, Emulsio perlarum Cratonis &c.

Extra pulsibus & cordi Epithemata convenientia applicui & sic DEI gratia Virum optimum integræ sanitati restitui.

Iisdem remediis, paucis mutatis & Conjux ejusdem, per contagium à marito infecta, convaluit, ut ex annexo patet Soterio:

Affectus specimen probatioris,
Et dextra officium fidele cura
Quæ cæli auspicio benignioris
Membris sollicitum meis vigorem
Et caræ mihi reddidère Costæ,
Munus conspicuum satis mereri
Arte ingens medicâ, diserte Doctor.
Non prompta rata gratitudo mentis
Desit, non facilis negat voluntas
Vires destituunt, deest facultas,
Et his tempus erit; favente vultu
Pignus sume, animum interim volentem &
Levem Amici animum obligantis arrham.

EGIDIUS von der Myle.

CASUS XIX.

Dysenteria Epidemia.

A*NNO M. DC. XXIX. ex annona caritate per pauperum tabernas aliquandiu grassata dysenteria, tandem & divitum pulsare fores cœpit, multosq́; vi contagionis, cujus tanta erat malignitas, ut sub æquinoctium vernum sequentis anni in pestem sævissimam degeneraret, internecioni tradere. Conscripsi tunc temporis peculiarem tractatum de Dysenteria Epidemiâ, Sedini typis exeusum, in quo cùm de caussis, signis & curatione hujus affectus abundè actum sit, nolui crambem hanc recoquere, sed lectorem quousquè ipsi visum fuerit, eò remittere.*

CASUS XX.

Globus plumbeus per alvum excretus.

F*ilius Domini Richardi Froreichen, puer quinque annorum, globum plumbeum, quo sclopeta majora, vulgò Musqueten dicta, onerari solent, deglutierat; Exhibui oleum amygdalarum dulcium affatim imbibendum, alvum etiam Enematum pinguium injectione lubricam laxamq́; reddidi, interdictis adstringentibus, acris imprimis & acribus.*

Die tertio assumto prunorum dulcium & passularum decocto, unà cum excrementis ejecit globum, lentâ quadam pituitâ undiquè obductum, absquè ullâ valetudinis noxâ. Etsi enim plumbum comminutum, si diu in corpore hæreat & resolvatur, gravissima symptomata inducat, integrum tamen deglutitum & per alvum rursus excretum nihil damni infert, ut patet ex Historiâ quam Fernelius de lue venereâ capite septimo recenset.

CASUS XXI.

Obstructio Epatis.

D*N. DAVID BEGGEROVIUS, Juris Utriusq; Licentiatus & Consul Treptoviensis, constitutionis phlegmaticæ & corpore obesus, cum ab æstu balnei nimis incaluisset, dolorem in dextro Hypochondrio gravativum & obtusum sentiebat, cum respiratione difficili, nauseâ & ciborum fastidio, faciei color mutabatur in pallidum cum aliquali intumescentiâ, urinæ reddebantur aquosæ, tenues & crudæ, alvo ad obstructiones inclinante.*

RESOLUTIO.

Epatis obstructionem à sanguine pituitoso, viscido & crasso, calore balnei in tenues venas rapto colligebam ex dolore gravativo dextri lateris, constitutione corporis & prægressâ ex cibis crassis, viscosis, sæpè etiam copiosius ingestis, victûs ratione.

Respiratio difficilis est, quatenus hepar per ligamentum proprium diaphragmati annexum, pondere suo illud gravat & deorsum trahit, quo minùs liberè moveri possit.

Nausea & cibi fastidium à ventriculo per consensum affecto dependent.

Facies tumescit & pallet propter læsam significationem & distributionem.

Urinæ redduntur aquosæ, tenues & cru-

& crudæ ob coctionis debilitatem, propter quam materia non satis elaboratur, nec partes illæ serosæ excernuntur & humori aqueo permiscentur.

Alvus ad obstructiones inclinans gibbam partem jecoris magis affectam esse indicat, quam cavam. His probè perspectis annitendum duxi:

1. Ut alvus obstructa relaxetur.
2. Materia obstruens præparetur.
3. Præparata evacuetur.
4. Et victus ratio emendetur.

Ad primum exhibui decoctum meum laxativum cum extracto agarici & syrupo rosarum solutivo.

Ad secundum ordinavi Apozema præparans ex incidentibus, attenuantibus & digerentibus:

R. Rad. asparag. fœnicul. cichor. ana ʒvj.
Herb. cuscut. capill. Vener. agrimon. marrub. albi ana mj.
Summit. lupuli mß.
passul. min. ℥j.
Sem. aquileg. ʒiij. anis. fœnicul. ana ʒij. Cicer. rubr. ʒvj.
Incis. & conquass. coq. ex s. q. aq. simpl.
R. Colatur. ℔iß. Add. Syr. de cychor. c. Rhabarb. ℥ij. byzant. ℥iß. oxymel. squillitic. ℥ii. M.

Bibat singulis matutinis uncias quatuor simulque ac sumtum est amygdalas aliquot amaras devoret, postea in latus dextrum decumbat, ut promtius ad venas mesaraicas & Epar feratur medicamentum.

Post meridiem horis duabus ante cœnam frugalem dedi ♀rum ⊕lat. ex vino absinthite, interdum aquam è ⊕lo & ♀ro descriptam à Sennerto in Instit. p. 1366.

Hinc ut tertiæ indicationi satisfieret, materiam præparatam partim per alvum, partim per urinas evacuavi.

Prius pulvisculo purgante ex Rhabarbaro, Gialappa & ♀ro⊕lato, posterius sequenti aquarum mixturâ feliciter expedivi:

R. Aq. nostr. diuretic. ℥vi.
Epatic. composit. ℥iij.
Sassafr. cum cinam. destillat. ℥ij.
Spir. fragor. ʒij.
Syr. acetos. citri ℥j. m.

Extra pro Epatis regione inungendâ præscripsi tale linimentum:

R. Ol. absinthii amygdal. amar. ana ℥ß.
Pulv. rad. cyperi ʒii.
Sem. apii. cumin. ana ʒi.
Trochisc. de Eupator. ʒi.
Ceræ q. s. M. F. Unguentum.

Tandem pro quarto victus rationem convenientem ordinavi ex attenuantibus & abstergentibus, ptisanâ hordeaceâ cum passulis, avenaceâ, carnibus boni succi & facilis coctionis cum radicibus pe-

troselini, fœniculi, capparibus, sem. anisi, fœniculi, cumini, macero, cinamomo aliisque aromatibus præparatis.

Cibis viscidis, crassis, adstringentibus, carne suillâ, anserinâ, anatinâ, piscibus multis, lacte, caseo &c. interdixi.

Pro potu laudavi cerevisiam absinthitem & vinum Rhenanum.

Vitetur ferculorum varietas & copia, nec cibus assumatur nisi priore jam concocto. Corporis exercitia sint moderata, nec statim à cibo ineantur; Balnea vel planè omittantur, vel cautè nec repleto ventriculo instituantur.

CASUS XXII.

Cachexia.

A*Dmodum Reverendus, Perillustris & Generosissimus DN. WEDIGO GANS Liber Baro de Pudliz, Ordinis S. Johannes Eques, Commendator Schiefelbenensis, Serenissimi Electoris Brandenburgici Marescallus, Hæreditarius & Neo-Marchiæ Præses, sexaginta circiter annorum, de totius corporis imbecillitate, gravitate & inertiâ querebatur, cum quadam respirandi difficultate, pedumq; & manuum intumescentiâ, facies ex pallido livescens, circa oculos & genas quasi inflata videbatur.*

RESOLUTIO.

Intemperantiam multorum morborum matrem & iccirco Medicorum nutricem vulgò dictam, in aulis Regum & Principum maximè dominari, nemo est qui ignoret; detestabatur quidem sæpius pessimum hoc & humanæ valetudini nocentissimum vitium Illustris Baro, recitando versiculos:

Aula suum servat noctesq; diesq; tenorem,
Potare inviti cogimur absq; siti.
Moribus & factis his si veniemus ad astra,
Frustra se cruciãt sobrietate pii.

Interea tamen & ipse, ut homines sumus, ægrè sibi temperabat, unde factum ut labefactato viscerum, Epatis præcipuè & ventriculi tono, cachexiam incurreret.

Imbecillitas totius corporis & gravitas à vitiatâ nutritione dependent, quatenus ob ventriculi & Epatis debilitatem, eorundemque intemperiem frigidam & humidam, sangvis crudus & serosus generatur, qui partibus perfectè agglutinari & assimilari non potest.

Respirandi difficultas ab humore seroso circa hepar in venoso genere

nere collecto & per venam arteriosam in pulmones penetrante & brōchia comprimente, inducitur.

Pedum & manuum intumescentiam, humores serosi pariunt, quatenus declivia petunt, & facilius in partibus à corde, caloris fonte, remotissimis, cumulantur.

Facies pallet ab aquoso & pituitoso sanguine.

Palpebræ genæq; inflantur, quatenus laxitate sua humores serosos facile recipiunt.

Curationem in sexagenario sene admodum difficilē, urgente Ægro, auspicatus sum à vitiosorum humorum evacuatione, exhibito primum vino nostro laxativo absinthite, cujus usum ubi per triduum cum εὐφορίᾳ continuasset, naturæ quietem concessi.

Mox ad pleniorem humoris serosi eliminationem præscripsi bolum:

R. Rob. sambuc. ʒij. Resin. Gialap. gr. vij. ol. citri gt. j. M. F. bolus saccharo conspergendus.

Postmodum per intervalla temporum & alia quædam Hydragoga præbui, sed benigna tantum & mitiora, veritus ne vires in senili corpore debiles, amplius labefactarentur, calidumque nativum debilitaretur.

Interdum & diuretica experiri placuit nec sine successu; sudores autem ex corpore frigido elicere laboriosum vivebatur, & ob virium jacturam minùs conveniens.

Evacuato per vices corpore ad ventriculum & Epar roborandum, intemperiemque frigidam & humidam corrigendam ordinavi Tincturam:

R. Specierum Trochisc. de absinthio, de Eupatorio
de lacca, de Rhabarb.
de rosis ana ʒij.
Epatis lupi præpar. ʒvj.
Spec. diarrhod. Abbat.
Aromat. rosat. ana ʒiij.
Subtilissimè pulverisatis affund.
spirit. bacc. Juniper. eminent.
4. digitor.
Stent in digestione B. M. per dies VII. posteà filtrentur, liquor ad dimid. abstrahatur, reliquum servetur pro usu.

Sumat singulis matutinis ʒj. vel plures ex jusculo vini Rhenani, cum vitello ovi, macere & croco præparato.

Sub vesperam cubitum ituro dedi cochlear unum atque alterum sequentis mixturæ:

R. Aq. nostr. Epatic. composit.
℥iiij.
Stomachal. ℥iij.
Aqu. cinamom. ℥ij.
Spirit. mastiches ʒj.

Eodem fine nonnunquam pulverem Cachecticum Quercetani, Electuarium meum chalybeatum,

Eli-

Elixir Proprietatis &c. exhibui:

Extra ventriculum & Epar oleo absinthii, nardino & mastichino inunxi, super imposito sacculo ex foliis agerati, absinthii, agrimoniæ, baccis Juniperi & pauco sale.

Victum commendavi tenuem, calefacientem & siccandi vi præditum, cibos boni succi, aromatibus conditos, & magis assos quam elixos. Interdixi frigidis, crassis, lentis & omnibus quæ multum excrementitiæ humiditatis continent, oleribus, pisis, fructibus horariis, lacte, & piscium frequenti usu.

Pro potu ordinario dedi cerevisiam melioris grani & benè defecatam; vinum absinthio & radicibus Enulæ conditum, quatenus crudos humores concoquit & viscera egregiè roborat.

His aliquandiu continuatis melius quidem habere cœpit Illustris Baro, verùm cum paullò post magni cujusdam viri C.S. quem ipse ad summum dignitatis aulicæ fastigium evexerat, invidiâ & æstu circumventus, gratiâ Electoris excidisset & perpetuò animi mœrore afficeretur, sæpè etiam curas secundum Horatium - dulci Lyæo solveret, tandem in Hydropem incidit & Asthma, quo & mortuus est Vir acerrimi judicii, & de Patriâ optimè meritus.

CASUS XXIII.

Cachexia Scorbutica.

De hac vide Epistolas meas Medicinales lib. 1. Epistol. XV. ad Magnificum & Nobilissimum Dn. Martinum Rubacum Serenissimi Regis Poloniæ Consiliarium &c.

CASUS XXIV.

Hydrops Ascites cum scorbuto.

Dominus Jacobus Tesmar, Senator & Patritius Colbergensis, Vir sexaginta trium annorum, postquam in hypochondrio sinistro dolorem gravativum cum aliquali caloris sensu ultra biennium percepisset, paullatim in abdomine, mox in scroto & pedibus intumuit, accessit spirandi difficultas, sitis vehemens cibiq; inappetentia & partium superiorum tabes; Alvus lubrica & in diarrhœam propendens, crura maculis varii coloris picta, gingivæ putridæ, os fœtens, dentes cariosi: Urina reddebatur pauca, crassa, intensè rubra cum sedimento farinæ laterum simili, absq; febri.

RESOLUTIO.

Dolor in Hypochondrio sinistro cum aliquali caloris sensu, lie-

nis

nis intemperiem calidam indicat, quæ procul dubio contracta est, ab aquarum, quas vitæ vulgò vocant & vini dulcis & generosioris potu, cui multis ab hinc annis subinde indulsit Æger, non immoderatè quidem ingurgitando, quotidiè tamen pitissando, sic enim & gutta cavat lapidem.

Καῦμα hoc in liene & venis occasionem dedit & causam tumori abdominis & reliquarum partium;

Aquosum enim illud in cibo & potu vi caloris avidius attractum, nec per convenientes vias evacuatum inprimis viis & ventre substitit, & post in cavitatem abdominis seu spacium illud inter Peritonæum, omentum & intestina per ramos epiploicos & gastro epiploicos effusum, tumorem excitavit & Hydropem.

Respiratio difficilis est, propter compressionem Diaphragmatis ab humore seroso circa cavitatem infimi ventris restagnante.

Inappetentia ciborum à visceribus concoctionis dependet, quatenus seroso & aquoso humore immersa in attractione & alteratione alimentorum impediuntur.

Sitim serosus salsusque humor excitat.

Suprema tabescunt, propter sanguificationem ab Hydrope læsam, quatenus aqua Epati & visceribus circumfusa, ea corrumpit.

Ventris profluvium partim ab imbecillitate venarum alimentum non attrahentium, partim ab ejusdem corruptione & continuâ biliosi excrementi evacuatione promanat.

Maculæ in cruribus efflorescentes, gingivarum putredo oris fœtor & dentium caries, à peculiari & scorbuticâ humorum corruptelâ excitantur.

In curatione postquam prognostico ancipitis & exiguæ spei me præmunivissem, ante omnia allaborandum censui, ut serosi aquosique humoris colluvies evacuaretur: Initiò quidem ob alvi profluvium purgantia Ægro & adstantibus suspecta videbantur. Ubi verò ventris tumorem nihil inde minui sed potius augeri & crescere animadvertent, meo arbitrio rem omnem commisêre.

Constantibus itaque adhuc viribus præscripsi pulvisculum ex cerevisiâ calidâ sumendum:

R. Pulv. Rhabarb. ℈j. Gialapp. gr. IX
Magister. gutt. gamandr. gr. ij.
Ol. stillat. macer. gt. ij. M.

Dejecit septies absquè molestiâ & citra virium jacturam, quin & vẽter aliquatenus detumuit.

Hinc per intervalla cerevisiam absinthitem laxativam exhibui:

R. Comar. absinth. mjß.
Fol. soldanell. fumar. cochlear. ana mj. nasturt. mß.

Cort.inter rad. Ebuli mß.
Cappar.℥ß.
tamarisc. fraxin.ana ʒv. citri ℥ß.
Rad.Gialapp. ʒvj. Fol.sem.f.f. ℥iß.
Mechocan.alb.℥ß. Rhab.El.ʒiij.
Cinam. acutiss. ʒij. Zing.alb.ʒiß.
Sem. anis. fænicul. ana ʒij.
Bacc. Juniper. ℥iß.

Grosso modo incisa & sacculo lineo inclusa suspendantur in doliolo cerevisiæ recentis librarum XXIV. donec deferveant: Hinc nodulus eximatur & cerevisia usui reservetur, palato, si cui amara placent, non ingrata.

Interdum terebinthinæ nostræ laxativæ drachmam unam ex jusculo prunorum dulcium porrexi, aliquando bolum præscripsi, serosos humores blandè educentem;

R. Rob. sambuc. ʒij.
Conf. Alkerm. ℈ß.
Resin. Gialapp. gr. vij. M. F. bolus aspergat. sacchar.

Inter diuretica placuit serum lactis caprini cum ligno sassafras, addito interdum ob scorbuti malignitatẽ spiritu nasturtii & cochleariæ.

Interdum aliquid salis fraxini ex aquâ fiorum genistæ datum est. Optimè inter cætera profuit Essentia lumbricorum terrestrium & Tinctura ligni sassafras, quæ non tantum aquas per urinam ducit, sed & vẽtriculum roborat, calidum innatum conservat, moderateq; siccat.

A diaphoreticis in corpore compacto & ad sudores minimè disposito abstinendum erat: violentum autem illud in Laconico sudoris elicium propter viscerum calorem, non sine causâ suspectum videbatur, & parum in hac Hydropis specie conveniens. Certum enim est aquas in abdomine contentas sudoribus nõ evacuari, sed illas tantum, quæ partibus carnosis insunt. Plater.tract. 3. med. pract. de Hydrope.

Abdominis apertionem vel seroti ut & crurum scarificationes de industria neglEximus, cum in his præsidiis parum auxilii, multum autem periculi positũ sit. Zech. Consult. 20.

Sic & cauteria & vesicatoria tanquam minùs tuta rejecimus, cũm observatum sit, sæpè ulcera insanabilia, interdum gangrænam inde subortam. Septal. animadv. lib. 7. no. 56. Gvilielm. Fabricius Cent. 1. Observ. 49.

Ex iis quæ insensibiliter serum evacuant, abdomini cataplasma applicui:

R. Herb. malv. c. toto, melilot. ana mj.
Fol. soldanell. miß.
Flor. chamæm. samb. ana mj.
Rad. altheæ ℥ß.
Bryon. ʒvj.
Com. absinth. vulgar. miß.
Sambuc. ℥ß.
Fænugr. ʒiij.
Nasturt. ʒvj. Cumini ℥j.
Bacc. Juniper. Lauri ana ʒvj.
🜔is ℥ß. Farin. Fabar. ℥ij. M. F. Pulv-

Pulv. add. Terebinthin. ℥iſs.
Mellis q.s. M.F. Cataplaſma.

Pro de oppilatione, alteratione & roboratione viſcerum, habito ſimul ad malignitatem ſcorbuticam reſpectu, diebus quibus à purgantium uſu quieſcendum erat, præſcripſi decoctum:

℞. Rad. cichor. ℥j.
Polypod. quern. rubiæ tinctor. fœnicul. ana ℥ſs.
Herb. ſcolopendr. veronic. Agrimon. fumar. fragariæ ana mſs.
Flor. cichor. roſar. bugloſſ. ana p.j
Sem. 4. frig. maj. excort. ana ʒj.
Fœnicul. ʒij.
Paſſul. minor. ℥ij.
Cicer. rubr. ʒvj.
Santal. rubr. ʒij. Inciſa groſſo modo coqv. ex aq. hordei.
℞. Colatur. ℔iiſs. clarif. c. album. ovi & filtrentur per chartam emporeticam. Add.
Syr. de cichorio, fumar. abſinth. ana ℥j.
Succ. antiſcorb. depurat. ℥iiij.
Spir. ſalis ʒſs. M. Dentur ſingulis matutinis unciæ tres vel quatuor cum jejunio trium horarum.

Præter decoctum hoc, ſpeciatim ad lienis intemperiem corrigẽdam & ſcorbuti malitiam expugnandam commendavi ſerum lactis caprini cum ſuccis ſpecificis & appropriatis præparatum:

℞. Succ. cichor. recent. expreſſ. ℥iiij.
Endiv. ℥ij. fumar. ℥iij.
abſinth. cochlear. naſturt. aquatic. ana ℥iiſs.
Præcipitentur & depurentur cum ſucco citri poſtea filtrentur per chart. emporetic.

Pro cordis & virium refectione præſcripſi mixturam:

℞. Aq. noſtr. cord. temperat. ℥iij.
Carbuncul. cinam. ana ℥iſs.
Fragor. ℥iij.
Borrag. ℥ij.
Spir. roſar. rub. Idæi ana ℈j
Fragor. ʒij.
Magiſt. perlar. ocul. canc. ana ℈ij
Rotul. man. Chriſt. perlat. ʒij. M.

Ventriculo debili profuit aqua noſtra ſtomachalis, cum tantillo aquæ cinamomi diluta.

Extra fomentationes ex abſinthio, menthâ, roſis, baccis Juniperi &c. ſacculo incluſis & in vino coctis adhibitæ, præſcripto & convenienti victus regimine.

CASUS XXV.

Hydrops Aſcites temeritate cujusdam Empyrici curatus.

A*NNO M. DC. XXXII. Civis quidam Coslinenſis incidit in Hydropem Aſcitem, qui poſtquã variis remediis ad legem artis à Medico illius loci præſcriptis*

ptis frustrà usus fuisset, tandem cuidam Empyrico se commisit, qui exhibito sequenti pulvere intra paucos dies sanitati ipsū restituit,

R. ☿ri ⊕lati ℈iſs.
Gumm. guttæ ℈iſs.
Rad. Gialapp. elect. ℈iiſs.
Sal. ⊕li albi ℈ſs.
Fol. aur. no. iij. M. F. pulvis.

Sumsit patiens hunc pulverem simul & semel ex cerevisiâ calida & ingentem copiam humoris serosi plus centum dejectionibus per biduum excrevit; Hinc tumor abdominis totus evanuit, ægerq; nullo alio adhibito medicamento brevi convaluit. Mirum quod violentissimi medicaminis usu, animam non simul exhalavit. Sic nimirum temeritas quandoquè juvat, quos ratio destituit, hoc ipso felices, quod prosperos eorum successus Sol adspicit, adversos terra tegit.

CASUS XXVI.

Tympanites.

KUNIGUNDA, *Comitissa de Schlieck; Conjux Illustrissimi Comitis Casparis ab Eberstain, Domini in Neugarten & Massovv &c. diuturnâ abdominis inflatione & distensione afficiebatur, præcesserant rugitus & murmura in ventris, tormina circa umbilicum & lumborum dolor. Cutis instar pellis tympani extendebatur & percussa sonum edebat, urina reddebatur pauca.*

RESOLUTIO.

Signa modò enumerata Hydropem siccum sive tympanitem indicant.

Abdomen distenditur à flatu multo in capacitate ejus concluso.

Præcesserunt rugitus & murmura ventris, calore jam existente debili, flatusque copiosos producente, qui in intestinis discurrentes rugitus pariunt & murmura.

Tormina circa umbilicum & lumborum dolor, itidem à flatibus excitantur, partim in intestinorum cavitate, potissimum autem inter mesenterium & intestinorum tunicas contentis. Mesenterium enim antrorsum tenuibus intestinis, in dorso lumborum vertebris annectitur.

Cutis tympani modo extenditur, à copiâ materiæ flatulentæ & humoris serosi abundantiâ, partes abdominis distendente.

Urina redditur cruda ob languentis concoctricis debilitatem, pauca propter motum & secretionem seri, à flatuum copiâ impeditam.

Etsi

Etsi verò in periculosissimo & inveterato malo exigua salutis spes esset, instante tamen Ægrâ curationem aggressus sum tali methodo:

Primò ad materiam flatuum evacuandam exhibui per intervalla quæ serosos pituitososque humores blandè subducerent, vinum scilicet absinthites laxativum, pilulas meas benedictas, elixir lenitivum & id genus alia.

Hinc ad flatus discutiendos præscripsi Essentiam meam carminativam, ex vino malvatico assumendam.

Interdum spiritum ligni Gvajaci ex aquâ caminativa Dorncreilii delibavit.

A pastu sumpsit tragæam quæ simul concoctionem promovet:

R. Sacch. rosat. tabul. ℥iiij.
Cass. ligneæ acutiss. ʒij.
Lign. aloes ʒj.
Ol. stillat. carui, anis. fænicul.
Cort. aurant. ana gt. vij.
Cinamom. gt. vj.
Caryophyll. gt. iij.
M. F. Pulvis.

Circa horam decubitus dedi aquam vitæ mulierum cum tinctura corticum aurantiorum, quæ flatus egregie discutit.

Eodem fine & Clysteres præscripsi:

R. Herb. calaminth. rut. pulegii ana mj.
Flot. chamæm. mj. sambuc. mß.
Sem. anis. carui, cumin. aneth. seseleos ana ʒij.
Bacc. laur. ℥ß.
Summit. aneth. mß.
Incis. & conquass. coqu. ex s. q. aq. simpl.
R. Colatur. ℥x. vin. malvat. ℥iij.
Elect. de bacc. lauri ℥ß.
benedict. laxat. ℥j.
Ol. aneth. rutæ ana ℥j.
M. F. Enema.

Extra cucurbitulas cum multâ flammâ & sine scarificatione abdomini per vices apposui & Cataplasma de cineribus Mynsichti, fomentum item Hartmanni ex urina pueri & lapide prunellæ &c.

Ad viscerum roborationem laudavi Tincturam cassiæ ligneæ & sassafras, Rotulas specierum aromatici rosati & Electuarium quod sequitur, alternatim usurpanda;

R. Conserv. rad. cichor. ℥iij.
rosar. rubr. ℥ij.
Condit. cort. aurant. ℥j. Citri ℥ß.
Spec. aromat. rosat. ʒij. diarrh. ʒj
Conf. Alkerm. ʒiß. spir. citri ʒj.
Syr. de cortic. aurant. q. s.
M. F. Electuarium.

Victum commendavi tenuem & minimè flatulentum, pro potu ordinario dedi Cerevisiam cum foliis melissæ & rorismarini fermentatam & benè defecatam; vinum item Rhenanum cum Tinctura corticum citri dilutum &c. sed inani labore. Etsi enim venter in-

terdum detumescere, Ægraque melius habere videretur, subindè tamen recruduit malum, donec tandem superveniente vehementi & copiosissimo sanguinis vomitu, inter frequentiores lipothymias exstingueretur.

CASUS XXVII.

Icterus flavus.

Generosus & Nobilissimus Dn. ERICUS JANSONIUS Bjelkenstierna / *Regni Sveciæ Admiralis & Ducatus Megapolitani Gubernator &c. circa solstitium æstivum colore flavo per totum corpus tingebatur, adeò ut & album utriusq; oculi, maximè circa angulos internos flavesceret, alvus constipata, pauca quadam & albicantia non sine difficultate excernebat, urinæ croceæ reddebantur & crassæ absquè ullis aliis symptomatibus.*

RESOLUTIO.

Vesiculam fellis, ejusque meatus obstrui conjiciebam, unde bilis excrementitia in hepate redundãs, una cum sangvine in venam cavam & inde in totum corpus diffluit, cutemque colore croceo tingit.

Album oculi maximè circa angulos internos flavescit, quatenus propter venas majores biliosus [...] mor sangvini permixtus magis dispergitur.

Alvus constipatur excremen[...] que albicant, quia bilis amaritu[...] ne suâ expultricem stimulans & [...] lore flavo feces tingens obstru[...] meatibus ad intestina non deferi[...] sed in habitum corporis unà c[...] sanguine diffunditur.

Urinæ croceæ redduntur & c[...] sæ, quia bilis ordinaria viâ per a[...] non excernitur, sed sanguini p[...] mixta unà cum sero ad renes & [...] sicam decumbit.

Curationem non adeò diffici[...] præmisso minorativo, auspica[...] sum à vesiculæ fellis reseration[...] præscriptis aperientibus:

R. Aq. destill. betulæ ℥vj.
Fragor. cichorii ana ℥ij.
Syr. nostr. aperit. ℥iiij.
Spir. salis gt. xv.
M. pro 5. dosibus.

Hinc ad humoris biliosi evacua[...] nem exhibui bolum.

R. Cons. rosar. provinc. laxat. ℥[...]
Flor. scammon. gr. vij.
M. F. bolus.

Purgato corpore pulverem [...] um contra icterum per dies se[...] cõtinuos ex vino absinthite præ[...]

Tandem ut cuti suus restitue[...] tur color discussionis & resolu[...] nis gratiâ sudores elicui, Emul[...] nis beneficio.

R. Se[...]

℞. Sem. aquileg. ℈iiij.
Card. ben. ʒj.
Citri ℈j.
Aq. fumar. cuscut. sambuc. ana ℥j.
M. f. Emulsio. Add. C. C. absq; △ calcin ℈j. spir. sambuc. ℈ß. M.

Eodem fine insessum commendavi:

℞. Rad. sigill. salom. serpentar. Enulæ, althææ, chelidon. major. ana ℥j.
Herb. centaur. minor. marrubii prassii, fumar. parietar. Origan. scabios. ana mij.
Flor. hyperic. melilot. sambuc. ana mj.
Sem. cumin. ℥iß. furfur. miij.
Coque ex s. q. aqu. simpl. pro insessu.

His adhibitis bonæ valetudini & colori feliciter restitutus est Æger.

CASUS XXVIII.

Icteritia à calculo in vesicula fellis & alia quædam rara.

Illustris & Excellentissimus Dominus DN. STENO BIELKE, Liber Baro in Krackerum &c. Potentissimi Regis Sueciæ ad Exercitum in Germania Legatus, doloribus arthriticis diu multumque affectus in Icteritiam incidit; Adhibita à præsentibus Medicis varia remediorum genera, sed sine successu; supervenit tandem & Hydrops Ascites aliaq; symptomata, quibus cum ultra semestre colluctatus, leniter & quasi per somnum exspiravit. Defuncti corpus jussu Illustris Dn. JOANNIS BANNERI, Campi Marescalli &c. in arce Sedinensi, aperui, ubi præter alia notatu digna inveni:

I. Calculum in vesicula fellis ejus magnitudinis ut totam ferè cystin repleret, unde liquido constat, obstructionem illam à calculo, veram icteritiæ causam fuisse, nullisque remediis etiam efficacissimis methodicè adhibitis expugnari potuisse.

II. Epar maximâ quidem ex parte salvum, sed croceo colore tinctum conspiciebatur.

III. Cor, pulmones, lien, ventriculus, mesenterium & omentum naturaliter fuêre constituta.

IV. Intestina maculis nigris & livescentibus hinc inde distincta.

V. Renes flaccidi &, quod notabile, adeò parvi ut magnitudinem nucis juglandis

dis vix æquarent, unde conjicio Arthritidis juxta & Ascitæ causam in renibus potissimum fuisse, quatenus ob vitiosam constitutionem serosum humorem minùs sufficienter attrahere, secernere & excernere valuerunt: Urinas enim reddebat paucissimas, etsi quandoque largius biberet, magnamque Cerevisiæ & vini copiam ingurgitaret, observatumque est sæpè à decimâ vel undecimâ meridiei ad primam usque noctis strenuè potantem, nè semel quidem à mensâ surrexisse: Restitans autem in sanguine serum facilè per venas & arterias in partes circa articulos protrudi & arthritidem parere, in abdominis autē cavitate collectum, Ascitem producere potuit.

In mentem hoc loco venit paradoxon Sennerti de renū usu: lib.3. Med. Pract. part.3. Sect.1. cap.1. ubi renes sanguinem ad semen generandum præparare & propensionem ad libidinem excitare putat: Quod si ita se habet, facilè causam inveniemus, cur Illustris Baro per totam vitam à Veneris usu & omni fœmina[rum] cōsortio abstinuerit, r[e]num substantiâ adeò ma[le] constitutâ; sed de his obit[er] & salvo cujusvis judicio.

CASUS XXIX.

Obstructio lienis.

N*obilis Vir, Dn. Christian.* [...] *à Kalsso gravitate & dol[o]re in sinistro hypochondr[io] aliquandiu affectus, spirandi di[f]ficultate, præsertim à concitati[o]rē motu, premebatur, faciei e[t] corporis colore nativo sensim in [li]vidum mutato; sæpè acidum r[u]ctabat, ventris præsertim flatib[us] multùm obnoxius, nonnunqua[m] humorem melancholicum vomi[t] quandoq. per alvi fluxum & dia[r]rhaam deponebat.*

RESOLUTIO.

Dolor gravativus, quem in sin[i]stro hypochōdrio patitur æger ab o[b]structione vasorum lienis depēde[t].

Obstructio autem ab humorib[us] crassis, feculentis & tartareis; H[u]mores à cibo & potu crasso, limo[si] terrestrisque substantiæ, cujus fa[ri]næ sunt carnes sale conditæ vel f[u]mo duratæ, pisces marini grandi[o]res, aëre vel fumo exsiccati, cerev[i]sia recens & feculenta, aquæ imp[u]ræ, salsæ &c. Quorum omnium u[sus] locis hisce maritimis non est infr[e]quens. Sp

Spirandi difficultas à vapore ſeu [illegible] quodam denſo ex vitioſis hu[illegible]bus, in ſiniſtro hypochondrio [illegible]ulatis, elevato & diaphragma [illegible]primente, excitatur, præſertim [illegible]citatiore corporis motu, qua[illegible] humores per motum excale[illegible] & attenuati, vapores copioſio[illegible]ant.

[illegible] & corporis color in livi[illegible] mutatur, ob humores craſſio[illegible] [illegible]culentos Epati communi[illegible] [illegible] ſanguis impurior & me[illegible]licus generatur & in totum [illegible] diffunditur.

[illegible] ructat & vomit, humo[illegible]lico in ventriculum ef[illegible].

D[illegible]a ab eodem humore in [illegible]fluente, promanat.

E[illegible] verò pertinax hoc malum [illegible] per quàm difficile ex ipſa [illegible] melancholici naturâ, præ[illegible]m, conſtantibus tamen ad[illegible] viribus & obſequente Ægro, [illegible]diendum eſſe duxi, ita qui[illegible].

Ut humores vitioſi obſtru[illegible]nis authores è vaſis lienis [illegible]moverentur, ipſe lien robo[illegible]retur & victus ratio emen[illegible]retur.

[illegible]miſſâ itaq; viarum commu[illegible] evacuatione, ad humoris craſ[illegible] [illegible]idi attenuationem & inciſi[illegible] præſcripſi pulviſculum tribus matutinis ex juſculo carnium non pingvi, vel ex cereviſiâ calidâ aſſumendum:

R. ♀ri ⊕lat. ℈iß. Fæcul. Aaron. bryon. ana ℈j. ſalis tamariſci ℈ß.
M. F. pulvis in tres part. æquales dividendus.

Veſperi ſub ingreſſum lecti aliquanto longius à frugali cœnâ præbui ſequentem mixturam:

R. Aq. noſtr. aperitiv. ℥iiiiß.
Tinctur. Splenet. ℥j.
Syr. aperitiv. Mindereri ℥iß.
M. pro 3. doſibus.

Materiam hoc modo præparatam purgante potiunculâ eduxi:

R. Decoct. noſtr. laxativ. ℥ij.
Extract. fol. ſen. ℈iß.
Pulv. Gialapp. gr. vii.
♀ri ⊕lat. gr. iij.
Spir. meliſſ. gt. vij. M.

Hinc iterum extenuantia & incidentia, ſed paullò fortiora & quæ ſimul urinas moverent, exhibui:

R. Aq. fumar. fænic. Cardui ben.
Centaur. minor. petroſel.
ana ℥iij.
Syr. noſtr. aperitiv. ℥iiij.
Chalybeat. ℥ij.
Oxym. ſqvillit. ℥j. M.

Bibat ſingulis matutinis uncias tres vel quatuor, ſimulque amygdalas aliquot amaras delibet, quatenus inſignem aperiendi & attenuandi, urinasque movendi vim obtinent: Commodè namq; lien etiam per urinas evacuatur.

His aliquandiu continuatis pleniorem purgationem institui per pilulas;

℞. Extract. panchymag. Crollii ℈j.
Helleb. nigr. gr. vij.
Ol. citri gt. j. M. c. aq. Cinam.
F. pilul. n. IX. deaurentur fortiter.

Extra Emplastrum splenecticum Mynsichti alutæ inductum præmissâ convenienti fomentatione applicui.

Tandem ad reliquias, si quæ essent in insidiis, absumendas, lienemquè roborandum dedi Electuarium Solenandri ab Hartmanno descriptum.

Quoad victum commendavi cibos boni succi & facilis concoctionis, exsulent sale condita & fumo durata, carnes suillæ, anserinæ, anatinæ, & omnia quorum supra memini, flatulenta imprimis, pingvia & quæ ex lacte & farina parantur, sic &

Dulcia Plautus ait grandi minus apta lieni.

Condimenti loco sint cappares, turiones florum genistæ, lupuli, asparagi, Cichorium, Endivia, salvia, rorismarinus, Cinamomum, crocus, sem. carui, anisi, fœniculi quibus & panis condiri potest. Potus sit cerevisia sufficienti lupulo benè cocta & defæcata, vinum Neccarinum vel Rhenânum absinthites, a melissatum. Absit repletio, mœt animi & otium,

Ambula, hoc lienosis prodest. Pla

In cæteris servetur modus.

Devicto feliciter contum morbo, monui imposterum qu annis circa æquinoctium vernun autumnale medicinâ humorem n lancholicum evacuante uteretu diætamq; modò præscriptam qu tum possibile observaret; qu cum negligeret, biennio post rec descente malo & in scyrrhum generante, fatis concessit. Men riam Viri Integerrimi hæc mea servat Epigraphe, æri incisa Colbergæ in templo Cathedr publicè appensa:

BONÆ MEMORIÆ
SACRUM
CHRISTIANUS
à KALLSSO,
ANTIQUA NATALIUM
PROSAPIA
NOBILIS
ILLUSTRIOR
PRÆCLARIS IN REMPUBLICAM,
QUÆ PATRIÆ CONSUL
ETIAM INTER ARMORUM
STREPITUS VITÆQUE
PERICULA CONTULIT MERITIS,

A

AUXIT SPLENDOREM.
MAGNA JUDICII DEXTERITAS
ET TEMPERATA HUMANITATE GRAVITAS.
MAXIME
IMPERATORIÆ MAJESTATIS FAVOR.
CORONAVIT TANDEM HÆC OMNIA
BEATÆ VITÆ EXITUS.
ET AD COELESTEM TRANSITUS
UBI FULGET
IN PERPETUAS ÆTERNITATES POSTQVAM AB ANNO M. D. LXXVI.
QVI NATALIS FUIT
USQVE AD ANNUM M. DC. L.
QVI FATALIS
COMPLEVISSET ANNOS LXXII. MENSES X. DIES XV.

Definiti sunt dies hominis & numerus mensium ejus penes Te est Domine, terminos ejus statuisti, quos non præteribit, Jobi XIV.

CASUS XXX.

Icterus niger.

ILlustrissimus *Dominus DN. ALBERTUS, Comes Sebante, Italus, tensione & gravitate in sinistro hypochondrio per integram hyemem affectus, circa æquinoctium vernum colore nigro per totum corpus tingebatur, urinas reddebat crassas, eodemq; colore infectas,*

RESOLUTIO.

Communis opinio est, Icterum nigrum nasci à liene, quatenus chylus crassus, limosus & melancholicus crassus, limosus & melancholicus non attrahitur vel per convenientes vias non evacuatur, sed in totum corpus diffunditur. Ab hac primus recessit Platerus & post eum alii statuentes bilem, quæ in vesiculâ fellis colligitur, & quidem præternaturalem, quæque in venis mesaraicis corrupta est & nigrum colorem ex corruptione acquisivit, icterum nigrum producere. Quod utut sit lienem tamen in præsenti casu non extra culpam esse, vel ex tensione & gravitate sinistri hypochondrii quæ præcessit, manifestũ est; Unde & curatio ad lienem præcipuè dirigenda erat; Obstructio nimirum aperienda & humor melancholicus evacuandus.

Prius, præmissa viarum communium evacuatione, præstitimus exhibitione sequentis decocti:

R. Rad. Filicis, polypod. qv. cichor. ana ℥ß.
apii, rubiæ tinctur. ana ʒiij

 Herb.

Herb. fumar. mj. scolopend. cuscut.
Chamædr. Centaur. min. marrub. ana mß.
Flor. anthos. genist. borrag. bugloss. ana p. j.
Summit. lupul. ana mß.
Cort. fraxin. tamarisc. rad. capp. ana ℥ß.
Sem. petros. anis. fœnic. ana ʒj.
Incis. & conquass. coq. ex s. q. aq. simpl.
R. Colat. c. alb. ovi clarif. ℔ij. add.
Syr. aperitiv. Mindereri ℥iiij.
Chalybeat. nostr. ℥ij. M.

Posterius usu pilularum Tartarearum Melanog. Quercetani expedivimus:

R. M. pilul. ♀ Melanog. Querc. ℈j.
Extract. helleb. nigr. gr. vij.
Ol. citri gt. j. M. c. aq. fumar.
F. pilulæ no. IX. deaurentur.

Cum obstructiones nondum ex toto sublatæ viderentur, commendavi Electuarium meum chalybeatum per dies septem horis matutinis subsequenti corporis exercitio, assumendum.

Hinc denuo corpus evacuavi pilulis modò descriptis.

Extra inunctionis fomenta & Emplastra convenientia adhibui.

Tandem ad reliquias discutiendas coloremque cutis emendandum, diaphoretica præscripsi, provocatis in Laconico sudoribus, quibus probè abstersis, totum corpus emulsione nucleorum Persicorum & seminum cannabis fricandum præcepi & sic Illustrissimum Comitem, DEI gratiâ bonæ valetudini restitui.

CASUS XXXI.

Affectio Hypochondriaca.

D*N. LAURENTIUS HENNINGUS, Camerarius Colbergensis meritissimus, Amicus meus specialis, à multis annis sentit dolorem gravativum in hypochondrio sinistro cum flatibus copiosis & ani pruritu, aliquando & ciborum nauseâ. Accessit ante annum & quod excurrit dolor primò circa talum sinistri cruris, mox in surâ, tandem & circa partes Ischio adjacentes & os sacrum gravius sedentem & decumbentem, quam ambulantem affligens. Novissimè etiam dextrum crus dolor invasit.*

RESOLUTIO.

Symptomata ex ipso autographo Ægri accuratè descripta, affectionem Hypochondriacam, manifestè arguunt, non quidem illam quæ regiam Palladis arcem simul occupat & melancholica vulgo dicitur,

[illegible]r, sed simplicem, quæ solo Hypochondriorum ambitu contine[illegible] & ut pressius dicam spleneti[illegible], ex splenis obstructione & im[illegible]a humoris feculenti & tartarei [illegible]atione subortam: Etenim o[illegible]a illa symptomata ad splenis [illegible] rectissimè referuntur & in Hypochondriis potissimum mani[illegible]. Ut enim singula exami[illegible]gentius;

I. Dolor gravativus sub nothis [illegible]tro latere haud aliun[illegible] oppilato liene scaturit: [illegible] ab humore seroso, fe[illegible]tartareo infarctus, tensio[illegible]vedinem in sinistro hy[illegible]o excitat.

II. [illegible] deinde quod attinet, [illegible] est, cum feculenta & [illegible] chyli pars ob vias obstru[illegible] non attrahatur, nec per [illegible]entes expurgetur, mul[illegible] excrementitii in cor[illegible]ari, unde materia flati[illegible]de suppeditatur.

III. Sic & nausea non aliundè [illegible] ab excremento melancholi[illegible]t, quatenus nimirum il[illegible] per venas & arterias, im[illegible] per vas breve in ventricu[illegible]um acrimoniâ suâ faculta[illegible]riculi expultricem irritat, [illegible] cum retentrix fortior resistat & [illegible] procul dubio non sit adeo [illegible]a nausea oritur.

IV. Ani verò pruritus etiam à liene dependet. Natura enim ob impeditam lienis attractionem humore tartareo, salso &c. gravata, oneris sui partem per venas hæmorrhoidales internas, quæ à ramo splenicó venæ portæ oriuntur, ad ani musculos, in quibus eædem terminantur, transmittit, sangvis autem ille feculentus ad extremum venæ delatus, exitumque non inveniens, acrimoniâ & in mordacitate suâ pruritum excitat.

V. Nec alium sinistri cruris dolor originem agnoscit; Lienis enim vitio humor tartareus salsus & acris cumulatus, aliquâ sui parte per venæ cavæ ramos crurales extra venas promanans cruris sinistri musculis & membranis sese insinuans, partesque sentientes distendens & lancinans dolorem parit, magis quidem inter cubandum & sedendum, quam ambulandum, molestum, quod tunc musculi partesque sentientes quodammodò comprimantur. Quod verò etiam dextrum crus aliquali dolore tentari incipiat, mirum non est; materia enim indies aucta plures partes invadit, quemadmodum hoc ipsum in arthritide apparet, ubi dolor initiò unicum plerumquè tantum articulum occupat, postea verò materiâ copiosius congestâ, in plures sese diffundit.

Cum itaque omnia illa quibuscum colluctatur Æger symptoma-

ta, à lienis vitio potissimum dependeant, porrò indagandum, unde lien labem illam contraxerit.

Etsi verò lien multis de causis obstructioni fiat obnoxius, inprimis quando ex sententia Hippocratis lib. 4. de morbis, intemperie calidâ affligitur, ob quam chylum, nondum satis in ventriculo coctum ut & potatum avidius ad se rapit; vel quando nativam aliquam imbecillitatem patitur, aut à tumore comprimitur: Nulla tamen harum causarum in præsenti casu exstant indicia, unde statuimus veram & proximâ hujus obstructionis caussam esse humores crassos, terrestres, feculentos, tartareos & imprimis melancholicos, quod ipsum victus ratio crassior, aquarum hujus loci maritimi vitium, ventriculi imbecillitas, vita sedentaria vel etiam labores intempestivi, cogitationes graves & assiduæ, alique humoris melancholici semina abundè confirmant.

Detecta symptomatum enumeratorum radice, superest runcinâ medicâ eandem exscindamus, opus quidem, ut refractaria sunt mala Saturnina & inveterata omnia, suscepturi laboriosum & difficile, DEO tamen auxiliante, non impossibile.

Principio autem sentinam vitiosorum humorum circa hypochondria restagnantem exhauriemus; Hinc lienem oppilatum aperiemus, debilitatum unà cùm ventriculo roborabimus, fomitemque malo subtrahemus: Tandem & symptomatibus; si quæ importunius urserint, subveniemus. Quæ omnia ut auspicatò fiant, primò in viarum, per quas vitiosi illi humores evacuandi veniunt, repurgatione occupabimur & ex lenientium penu vinum passulatum laxativum cum cremore ♀ri exhibebimus.

Remotis primarum viarum repagulis, ipsam mali caussam aggrediemur & humorum peccantium crassitiem attenuantibus & incidentibus corrigemus, idque initio tantum lenioribus, cum fortiora plerumque simul urinas moveant & corpore non sufficienter prius evacuato minus tuto exhibeantur:

R. Rad. polypod. quern. cichor.
Rhapont. elect. ana ℥ß.
Scorzoner. ʒij.
Cort. tamarisc. fraxin. ana ʒiij.
cort. rad. cappar. ʒij.
aurant. sicc. ʒiij.
Fol. scolopendr. mj.
Card. ben. m. ß.
Flor. bugloss. borrag. ana p. j.
Incis. & conquass. coq. ex s. q.
a. s.
R. Colatur. c. album. ovi clarific.
℔j.
Add. syr. ex succ. borrag. ℥ij.

ape-

aperitiv. Minder.
℥iij. M.

Sumat de hoc decocto singulis matutinis uncias tres cum jejunio quatuor horarum.

Hinc vitiosorum humorum saburram electivo purgante eliminabimus:

℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Extract. fol. sen. ℈j.
Pulv. Gialapp. tinct. c. Essent. croci gr. vj.
Spir. citri gt. iij. M. F. potiuncula.

Interpositâ unius diei quiete, salvatellam sinistræ manus, cum evacuantibus tum revulsionis gratiâ incidendam.

His peractis ad aperientia & præparantia fortiora adscendemus, in quo genere excellit Elixir nostrum splenaticum ex syrupo aperitivo Mindereri & aqua splenetica Du. D. Rolfinckii diebus aliquot continuis usurpatum.

Hinc iteratæ instituantur evacuationes, neque enim Augiæ hoc stabulum ita facili negotio expugnatur, sed crebrioribus opus est catharticis, quibus putidæ colluviei sentina exhauriatur; Quare ubi aliquamdiu præparantibus usus fuerit, interjiciat interdum pilulas ♀reas melanogogas Quercetani, vel decoctum laxativum suprà descriptum, granis aliquot Gialappæ tinctura exaltatum.

His non proficientibus bibat vinum chalybeatum Horstii, cujus descriptionem tradit lib. 3. part. 2. Observat. 15. Chalybs enim pertinacissimas lienis obstructiones tollit. Plin. lib. 34. natur. histor. cap. 15. Paulus Ægineta de re medicâ lib. 3. cap. 49. Dioscorid. lib. 5. c. 53. Julius Cæsar Claudinus respons. 29. mercat. l. 2. c. 6.

Corpore sufficienter evacuato exhibeantur diaphoretica, sed cautè, exulent nimis calida & validè siccantia.

Tandem & imbecillitati lienis & ventriculo succurrendum & roborantia quæ simul humorum peccantium reliquias, si quæ restiterint, absumant exhibenda.

Inserviet huic scopo aqua nostra hypochondriaca & stomachalis in hunc modum mixta:

℞. Aq. nostr. hypochondr. ℥iiij.
stomach. ℥iij.
Cinam. c. florib. borrag. destill. ℥iß.
Essent. sassafr. ʒij.
Spirit. citri gt. XI. M.
vel ℞. Elixir. nostr. stomachal.
splenetic. ana ℥ß.
Essent. citri ʒj. M.

Sed nec topica negligenda è quorum censu convenientissimum erit Emplastrum ex floribus genistæ conflatum.

℞. Flor. genistæ miij. coqu. in vase clauso ad mollitiem trajiciantur

turque per setaceum, add. unguent. dialth. ℥j. Ammoniac. aceto solut. ℥ß. mucilag. sem. lini, fænugræc. ana ℥j. Ceræ q. s.

M. F. Emplastrum.

Fomitem denique malo subtrahemus convenienti diætæ regimine, si nimirum videntur cibi crassi, viscidi terrestrisque substantiæ, imprimis sale vel aceto conditi aut fumo durati, ut caro suilla, hircina, bubula senescens, anserina, anatina, pisces palustres, lacustres, maritimi grandiores aëre vel fumo exsiccati, vel in muriâ macerati, brassica, pisa, milium, lacticinia, panis non benè fermentatus, cibi dulces saccharo vel melle valdè conditi, cerevisia recens & feculenta, ebrietas & crapula.

Condimenti loco sæpiùs utatur capparibus cum uvis passis. Aër caveatur frigidus, crassus, nebulosus. Somnus non sit nimius nec diurnus nec statim à cibo ineatur: videtur decubitus continuus in latus sinistrum, quo lien incalescit & comprimitur. Alvus sit expedita, segnior artis operâ excitetur: Exulent animi pathemata, inprimis mæstitia & ira. Cum enim lien multas arterias habeat à corde oriundas, si sanguis arteriosus non benè constitutus sit, lien inde afficitur, atque hinc evenit, ut animi affectus multorum morborum lienis causa sint, symptomata sublato morbo spontè evanescent; si tamen intereà vehementius afflixerint, dolori in sinistro hypochondrio medebitur Emplastrum ex floribus genistæ suprà descriptum, vel diachylon cum gummi Ammoniaco subactum.

Flatuum impetus compescet Essentia nostra carminativa ex vino absinthite sumta.

Ciborum nauseam Elixir nostrum stomachale arcebit.

Ani pruritum sistent fomentationes ex floribus verbasci & linariæ.

Crurum verò dolor leniri, ut spero, poterit tali linimento.

R. Ol. lumbric. terrestr. compos. ℥ij.
anethin. lil. albor. ana ℥ß.
Gumm. Ammoniac. ℥ß.
Ol. stillat. bac. Juniper. ʒj.
Therebint. q. s.
M. F. Unguent.

Ut verò DEUS medicationi huic benignè faveat & pristinæ valetudinis robur restituat, devotè precor, meaque studia omni fide ulterius contestanda, amicè defero.

CASUS XXXII.

Affectio Hypochondriaca cum scorbuto, scabie & ulcere pedis Rhevmatico.

Serenissima quadam Imperii Princeps D. M. E. S. R. I. mor-

morbo Hypochondriaco aliquandiu affecta, tandem in scorbutum incidit & scabiem pruriginosam cum ulcere rheumatico supra talum pedis dextri.

RESOLUTIO.

Habitâ de causis & methodicâ horum affectuum curatione, inter me & Dn. D. Johannem Georgium Albinum, S.R.M. Archiatrum, Collegam meum honorandum, deliberatione, commodum videbatur

1. Humores feculentos ♀reos & scorbuticos, præmissâ decenti præparatione, iteratis & per *ἐπίκρασιν* institutis purgationibus evacuare.

2. Obstructiones Hypochondriacas reserare.

3. Intemperiem viscerum calidam alterare.

4. Malignitatem scorbuticam expugnare.

Ordinato itaqve convenienti victus regimine, ad viarum primarum evacuationem tale Enema præscriptum est:

℞. Rad. alth. ℥vj. Herb. malv. c. toto. violar. parietar. flor. cham. ana mj. sambuci p. j. Tamarind. ℥vj. passul. minor. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. simpl. ℞. Colat. ℥x. Cass. recent. extract. ℥j. sacchar. Thomæi ℥ß. M. F. Enema.

Olea & pinguia omittenda erãt, qvod S.R. ab iis prorsus abhorreret.

Seqventi manè experiri placuit pulvisculum ab Excellentissimo Dn. Conringio S. R. commendatum ex cremor. ♀i ℈ij & resinæ Gialapp. gr. ij cum decocto prunorum dulcium: verum cum exspectationi minus satisfaceret, alvumqve segnius moveret, aucta deinceps est dosis Resinæ Gialappæ ad grana qvinqve feliciori successu.

Hinc decoctum ex aperientibus, alterantibus & antiscorbuticis specificis, aliqvot matutinis exhibitum.

℞. Decoct. hordei ℔iiij
♀ri albissimi ℥j
Coqvant. ad perfectam solutionem.
In Colatur. ferventiss. infund.
Rad. cichor. ℥j. polypod. qvern. fœnicul. asparag. acetos. ana ℥ß.
Cort. rad. capp. tamarisc. ana ʒiij
Herb. fumar. mj. Endiv. veronic. Card. bened. Capill. Vener. scolopendr. ana mß.
Flor. violar. borrag. bugloss. rosar. ana p. j.
Passul. minor. ℥j. sem. 4. frigid. maj. excort. ana ʒj.
Stent per noctem in vase vitreo benè tecta loco calido, manè ebulliant semel atqve iterum.
℞. Colatur. ℔jß. succ. recent cochlear. bekabung. Cichor. fumar. citri ana ℥ij.

Mixta digerantur lento calore balnei M. in alembico cæco per diem & noctem, postea filtrentur per chartam emporeticam duplicem ut clarissima fiat potio.

Interdum loco decocti Essentia mea antiscorbutica, ex liqvore convenienti, exhibita.

Egregiè inter alia profuit serum lactis caprini cum succis antiscorbuticis depuratis alteratum, qvanqvam initio usum ejus S. R. formidaret, ventriculi offensam exinde metuens, facili negotio præcavendam.

Cæterùm purgantia per vices iterata, modò sola, modò cum alterantibus mixta:

℞. Rad. polypod. qvern. Cichorii ana ℥ß.
lapathi acut. liqvir. ana ʒiij
Cort. rad. capp. tamarisc. ana ʒiij
Herb. fumar. cichor. Endiv. acetos. lupul. ana ʒij
Sem. 4. frig. maj. excort. ana ʒj
Passul. min. ℥j. Flor. 4. cordial. ana p. j.
Fol sen. f. f. ʒvj. sem. fœnic. ʒj

Coq. in f. q. seri lact. caprini ad remanent. ℔iß. Colatur. add. succ. recent. fumar. nasturt. aqvat. bekab. Cochlear. citri ana ℥iß. sacchar. canar. q. s. Mixta digerantur in B. M. per Hor. 24. posteà filtrentur.

Hoc decocto alvus blandè & citra molestiam viriumqve jacturam aliqvoties subducta est, segnior interdum Enemate ex emollientibus & laxantibus in lacte recenti coctis, addito saccharo Thomæo, sollicitata, fortioribus catharticis prorsus rejectis, cum experientiâ constet validioribus calidisqve purgantibus scorbutum non parum exasperari.

Monitum præterea est sæpius in omni morbo maximè virium rationem habendam ac propterea non solum alimentis boni succi, facilisqve concoctionis, sed & medicamentis cordialibus & confortantibus qvandoqve utendum, qvo fine aqvas analepticas, Tincturas, essentias aliaqve pretiosa obtulimus, sed à S. R. repulsi vix tantum obtinuimus, ut aliqvando aqvam ex typhis Cervorum, qvam in Gynæcæo regio destillatam ipsa asservabat, delibaret, additis granis aliqvot lapidis Bezoardici aut pulveris nostri cordialis.

℞. Magister. perlar. oriental. Corallior. ana ʒij
Unicornu veri ℈iiij
Lapid. Bezohar. ʒj
Ossi. de corde cervi ℈ij
Apic. C. C. absqve △. calc. ʒß
Velleris aurei Weidner. ʒj

Terantur in marmore cum spirit. rubi Idæi q. s. ut fiat qvasi pasta

qvæ

qvæ iterum exficcetur & in pollinem fubtiliffimum redigatur.

Emulfionem tamen perlatam promptiùs interdum affumere vifa eft:

℞. Amygd. dulc. excort. ℨvj.
fem. 4. frig. maj. excort. ana ℨj
Aq. borrag. buglofſ. ana ℥ ß.
è typhis Cervor. ℥j
M. F. Emulfio.
add. Magifter. perlarum ℨj
fpirit. rofar. rubi Idæi ana gt. XI. M.

Si qvando vigiliæ urgerent, aliqvid feminis papaveris albi adjectum eft: Et hæc qvidem contra affectionem hypochondriacam & fcorbutum præfcripta remedia, ferè per integrum menfem non fine notabili juvamento, continuata funt, intercedentibus tamen fubinde certis dierum intervallis, qvibus naturæ qvies conceffa, nihilq; medicaminis exhibitum.

Mirari fubit, qvomodo S.R. fuccos illos antifcorbuticos & decocta palato minus accepta toties & citra naufeam ufurpare potuerit, alia jucunda & faporis non ingrati prorfus rejecerit, aqvas imprimis deftillatas & chymica arte parata remedia, à qvibus per naturam qvafi abhorrebat.

Ad fcabiem pruriginofam ab humore adufto, acri, falfo, mordaci & malignitate fcorbuticâ inqvinato, genitam, præter fupra enumerata ad fanguinis depurationem & alterationem comparata remedia, fudores qvoqve in Laconico, fed non nifi blando calore provocati, exhibitis granis aliqvot lapidis Bezoardici ex tinctura noftra diaphoretica & aqva fumariæ.

Ufurpati etiam infeffus ex herbis & radicibus convenientibus in aqva dulci coctis.

Litus verò & unguenta, qvantumvis exqvifitiffimè comparata, nefcio qvo metu aut perfvafione, nullatenus admittebat S. R.

Intereà nec cucurbitulæ & fcarificationes intermiffæ, qvin & phlebotomia inftituta, detracto ex vena bafilicâ finiftri brachii fangvine adufto, nigricante & magnâ ex parte fpumofo, ad cujus depurationem & alterationem præmifsâ leni evacuatione ferum lactis caprini cum fuccis depuratis, fumariæ, Cichor. Endiv. Cochlear. bekabung. &c. repetitum.

Ulcus deniqve Rhevmaticum fupra talum pedis dextri qvod attinet, occlufionem & confolidationem ejus non temerè tentandam duximus, qvod natura ex peculiari & hæreditaria qvadam difpofitione, jam longo tempore affueverit humores noxios eò depellere & per hanc viam evacuare, qvæ fi in-

 tem-

Digitized by Google

tempestivius occluderetur, metuendum, ne materia ad partes nobiliores regurgitans, morbos pariat: Observatum enim est ulcera ejusmodi fluentia & diuturna vel suâ sponte vel remediis consolidata paullò post morbos periculosos, nonnunqvam mortem ipsam intulisse.

Cautè itaqve ut Cheirurgus procederet & à valdè refrigerantibus & repellentibus abstineret & solummodò abstergentia, moderatè siccantia & refrigerantia, ardoremqve & pruritum mitigantia applicaret, monuimus, in qvorum censu excellit Emplastrum Theophrasti ad ulcera manantia, & illud qvod Gvalthero adscribitur.

Deus Serenissimam R. bonæ valetudini restitutam, porrò ad suavioris vitæ fruentiam diutissimè sustentet!

CASUS XXXIII.

Affectio Hypochondriaca Melancholica Incipiens.

D*N. DAVID LINDENER Institutioni privatæ Nobilium à Crockow &c. Præfectus, tempore matutino prælectiones consuetas exorsus, capitis qvadam & sensuum perturbatione subito prehendebatur, ut Authorem sibi propositum minus dexterè interpretari & verba à se pronunciata sono obtuso qvasi ab alio reciprocari viderentur; accessit manuum totiusq; corporis tremor, colore faciei in pallidum mutato, viriumq; debilitas adeò ut ab opere cœpto desistere lectumq; petere cogeretur. Qviescentem ex brevi temporis intervallo deseruère symptomata, manente Capitis qvadam gravitate & qvasi temulentia: Hinc profundis cogitationibus subinde inhærebat, à qvibus mentem nec ipse nec alii avocare poterant: Præcessit vita sedentaria, lucubrationes assiduæ, crassa victus ratio ex cibis fumo duratis & in muriâ maceratis, propensio in somnum, præsertim à sumto cibo, anorexia & lassitudo membrorum spontanea.*

RESOLUTIO.

Affectionem Hypochondriacam & Melancholiam incipientem indicant symptomata.

Capitis & sensuum perturbatio ab evaporatione materiæ feculentæ & melancholicæ in Hypochondriis collectæ, excitatur, qvatenus à natura vel caussa aliqva externa commota & qvasi fermentata vapores copiosos & crassos cerebro transmittit, qvi spiritibus animalibus

bus permixti, ſenſus turbant. Cumulata autem eſt hæc materia ab alimentis craſſis, feculentis, viſcidis, ſalſis, fumo duratis vel in muriâ aut aceto maceratis, qvibus acceſſit vita ſedentaria, ſtudia intempeſtiva, lucubrationes aſſiduæ &c.

Manuum & totius corporis tremor ab imbecillitate facultatis motricis oritur, qvatenus exhalationes craſſæ ex partibus inferioribus aſcendentes ſpirituum animalium motum & ſufficientem in nervos influxum qvodammodo impediunt.

Color faciei in pallidum mutatur, calore unà cum ſanguine & ſpiritibus ad cordis regiam à putidis vaporibus impeditam, confugiente.

Virium debilitas ab iisdem vaporibus craſſis, ſpiritus vitales in corde qvaſi præfocantibus, dependet.

Per qvietem remisêre ſymptomata diſcusſis à concentrato collectoqve calore vaporibus.

Manente capitis qvadam gravitate & qvaſi temulentiâ, turbatis adhuc in cerebro ſpiritibus, nec in totum abſumtis vaporibus.

Profunda, uniqve rei inhærens cogitatio, à ſpiritibus melancholicis ſive obſcuris, tenebricoſis & fixis dependet.

Propenſio in ſomnum à vaporibus ex hypochondriorum ſentinâ ad caput elevatis excitatur: Hi enim cerebrum replent & ſpiritus animales ſuâ naturâ mobiles figunt & qvaſi torpidos reddunt, præſertim à ſumto cibo, qvo tempore evaporationes copioſiores fiunt.

Anorexia ab infarctu & obſtructione venarum meſaraicarum, propter qvam attractio & ſuctio chyli è ventriculo fieri neqvit, oritur.

Laſſitudo membrorum ſpontanea ab humoribus vitioſis circa hypochondria cumulatis, producitur, qvatenus unà cum ſanguine per venas in ambitum corporis diſtribuuntur, & ad ipſos muſculos penetrant, ibiq; hærentes vires gravant & laſſitudinem pariunt. Verbo, omnia modò enumerata ſymptomata à colluvie feculenta, aduſta, cruda & viſcida in meſenterii, lienis ac vicinarum partium venis collecta promanant.

Materia itaqve hæc vitioſa evacuanda, & ne amplius generetur & cumuletur præcavendum.

Prius commodè fieri neqvit, niſi ductus viarum communium reſerentur & materia per ſe lenta, viſcida tenaxq; debitè præparetur. Illi qvidem ſcopo inſerviet potiuncula laxativa; Huic apozema, qvorum hæc eſt compoſitio:

℞. Decoct. noſtri laxativ. ℥ij
Syr. roſar. ſolutiv. ℥ß.
Crem. ♀ri ℈j. M. F. potiuncula.

 Ide-

tribus ante prandium horis assumenda.

℞. Aq. nostr. aperitiv. ℔ß.
fumar. cichor. ana ℥iij
Syr. nostr. aperitiv. ℥vj
Chalybeat. nostr. ℥ij
spir. salis gt. XXI. M. Fiat apozema, de qvo singulis matutinis hauriantur unciæ qvatuor cum jejunio trium vel plurium horarum.

Præparata materia evacuetur tali bolo:

℞. Conserv. fumar. ʒij. Confect. Alkerm. ℈j. Resin. Gialapp. gr. vij. Extract. hellebor. nigri gr. v. M. F. bolus asperg. saccharo.

Ne alvus à purgatione ut plerumq; fieri solet, constipetur, seqventi die Enema ex emollientibus, humectantibus & laxantibus applicetur, qvod ipsum & deinceps si in excernendo segnior fuerit natura, repeti potest, & cum unica purgatione cumulata Hypochondriorum sentina exhauriri perfectè neqveat, iterentur etiam purgantia, interjectis tamen subinde præparantibus.

Posterior intentio reqvirit, ut

1. Viscera imprimis lien & ventriculus roborentur, eorundemq; intemperies corrigatur: Commodum fuerit hoc fine Electuarii seqventis portiunculam duabus ante prandium & cœnam frugalem horis qvotidiè delibare.

℞. Conserv. rad. Cichor. fumar. borragin. ana ℥ij. Condit. rad. Scorzoner. cort. citr. aurant. ana ℥ß. spec. diarrhod. aromat. rosat. ana ʒj. Conf. Alkerm. ℈iiij. syr. de cort. citr. q. s. M. F. Electuarium.

2. Ut fomes malo subtrahatur convenienti victus regimine & recto sex rerum nonnaturalium usu:

Cibi sint boni succi & facilis concoctionis, vitentur crassi, viscidi, sale vel aceto conditi, fumo durati, pisces palustres, maritimi grandiores, fumo vel aëre exsiccati, exta & extrema animalium, testacea, legumina, fructus horarii, cerevisia recens, turbida, cruda & minus defecata, vina dulcia, tartarea sulphurata; Aer caveatur crassus, fœtidus, nebulosus, pluvius, frigidus &c. somnus non excedat modum nec statim à cibo ineatur, absint lucubrationes & studia intempestiva.

Alvus sit libera, tardior artis opera vel cibis emollientibus & humectantibus excitetur.

Corporis exercitia sint moderata, nec repleto ventre suscipiantur.

Animi affectiones rectæ rationis freno coërceantur, nec imperent sed obtemperent.

In cæteris facilius est servare modum.

CASUS

CASUS XXXIV.
Scorbutus.

CUm inter omnia, qvibus corpus humanum expositum eſt, morborum κυλαςήρια, nullum ſcorbuto, oris hiſce maritimis endemio, ſit freqventius, operæ pretium viſum eſt, methodicam ejus curationem, in plurimis expertam, paucis deſcribere.

Vulgo notum eſt, ſcorbutum omniaqve ejus ſymptomata ab humore melancholico feculento, crudo, ſeroſo, ſalſo & peculiari corruptela inqvinato, produci.

Humor iſte generatur ex cibis craſſis, viſcidis & ſale volatili deſtitutis, unde πνευμάτωσις in coctione impeditur, & feculenta in primis viis, meſenterio, omento, locisqve inter ventriculum, epar & lienem mediis, propter craſſitiem ſubſiſtunt, moraqve diuturniore peculiarem corruptelam acqvirunt, & vicina viſcera obſtruunt, debilitant, & inqvinant; Tandem colluvies illa mediante humore ſeroſo ad Epar defertur, & inde per venas & arterias in totum corpus diſtribuitur, variaqve & graviſſima ſymptomata excitat.

Qvæ cum ita ſe habeant, ad qvatuor potiſſimum ſcopos collimandum.

I.

Ut humor melancholicus, ſalſus & peculiari corruptelà infectus, tollatur, id qvod phlebotomià & purgatione expediendum:

Circa phlebotomiam notandum:

1. Præmittendam eſſe viarum communium evacuationem, ne ſucci crudiores in ſanguinis locum à venis rapiantur: Conveniens huic ſcopo eſt Enema:

℞. Rad. fænicul. polypod. qv. aſparag. ana ℥ß.
Herb. malv. c. toto, fumar. origan. ana mj.
Flor. chamæm. mj. ſambuc. p. j. ſem. aniſ. fænicul. aneth. ana ʒij.
Coq. ex ſero lact. caprin. q. ſ.
Colatur. ℞. ℥x. Elect. lenitiv. ʒvj
hier. ſimpl. ʒij
Ung. clyſmat. ℥ij
ſal. gemm. ʒj. M. F. Enema.

Loco enematis interdum exhibui decoctum meum laxativum, vinum paſſulatum Plateri vel aliud minorativum.

2. Si

2. Si malum recens sit & corpus succi plenum sanguinem ante purgationem præmisso tantum lenitivo, mittendum, ut copiâ sanguinis & parte aliqvâ vitiosorum humorum deoneratâ, natura reliqvos facilius superet: Si verò inveteratum sit, totumqve corpus occupaverit & maculæ jam prodierint, nec sanguis abundet, venæsectionem omittendam, ne sanguine puriore detracto & feculentiore relicto, vires succumbant.

3. Sanguinem parcius esse detrahendum, cum longâ observatione animadversum sit, largam sanguinis missionem ægrè hunc morbum perferre.

4. Hæmorrhoidum apertionem omni phlebotomiæ præferendam, cum per hanc viam melancholicus humor commodissimè evacuetur.

5. Non unam nec in unâ parte venam aperiendam, sed per intervalla modò basilicam vel medianam, modò salvatellam, modò saphenam, si nihil prohibeat, secandam, ut in varia corporis loca diffusus sanguis vitiosus, per varias etiam venas evacuetur.

In molienda catharsi observandum:

1. Validiora purgantia minus tuto exhiberi, cum in hoc morbo cor facilè afficiatur & animi deliqvium subseqvatur.

2. Purgationem rectissimè institui per ἐπίκρασιν, siqvidem vitiosorum humorum colluvies unâ vice exhauriri non potest.

3. Purgantibus semper admiscenda esse antiscorbutica.

4. Nunqvam purgandum nisi præmissis præparantibus.

5. Præparantia non solum ex aperientibus & attenuantibus, sed & appropriatis & scorbuto peculiari qvadam & specificâ vi adversantibus, conficienda in hunc ferè modum:

℞. Syr. aperitiv. Mindereri ℥vj
Succ. antiscorb. depur. ℥iij
Aq. nostr. aperitiv. ℥iiij
antiscorb. ℥iß
Spir. cochl. nasturt. ana ʒij.
M. pro v. dosibus.

Si constitutionis calidæ sit æger vel febri afficiatur, bibat serum lactis caprini cum succis antiscorbuticis depuratis.

Pro evacuatione commendavi seqventia:

℞. Decoct. nostr. laxat. ℥ijß.
Pulv. Gialapp. gr. IX.
Spir. cochlear. ʒi
Citri gt. v. M. F. potiuncula.

vel ℞. Conserv. fumar.
cochlear. ana ʒj
Confect. Alkerm ℈j
Resin. Gialapp. gr. IX.
M. F. bolus aspergendus sacchаro.

vel ℞. Pulv. Gialapp. tinct. c. Essent. Cro-

Croci ℈j. magist. Agar. gr. vij. ol. stillatit.
cochleat. gt. iij. Citri gt. j.
M. F. Pulvis.

vel ℞. Mass. pilul. melanog. Querc. ℈j. Extract Helleb. nigr. gr. vij. ol cochlear. gt. iij. M. C. aq. antiscorbut. F. pilul. no. IX.

Calidioribus naturis confert infusum foliorum senæ, rad. cichor. fol. bekabung. cum corrigentibus ex sero lactis caprini.

II.

Ut obstructiones lienis & vicinarum partium aperiantur, humorum crassities corrigatur & sanguis à tartaro scorbutico depuretur, ubi notandum.

1. Vulgaribus medicamentis aperiendi, attenuandi & incidendi vi præditis scopum hunc nunqvam obtineri posse, nisi admisceatur appropriata qvæ sale volatili abundant & humores crassos & fixos subtiles & qvasi volatiles reddere & vitium illud in coctione & πνευματώσει corrigere valent.

2. Antiscorbuticis calidis & acribus cautè utendum, præsertim in corporibus rarioris texturæ & qvæ siccioris & calidi sint temperamenti aut humoribus biliosis abundant.

3. Dulcia scorbuticis non exhibenda inprimis saccharum; Habet enim qvalitatem glutinantem & obstruentem, adeoqve collectionibus crudorum humorum ansam præbet.

4. Simplicia antiscorbutica recentia & eorum succos & conservas præferenda compositis arte paratis, præsertim decoctis, extractis &c. Cum enim tota eorum vis & potestas in sale volatili consistat, facilè fieri potest, ut decoctione, extractione, exsiccatione &c. dissipetur & evanescat.

Mihi longo usu probata sunt qvæ seqvuntur.

1. Succi antiscorbutici depurati.

℞. Succ. recent. express. Cochlear. ℔j.
nasturt. aqvat. bekab.
ana ℔ß. fumar. cichor.
acetos. ana ℥v.
Mixt. præcipitentur cum succo citri.

2. Mixturæ: ℞. Herb. recent. Cochlear. nasturt. aqvat. ana mij. Bekabung. acetosæ ana mj. Contundantur in mortario lapideo, affund. vin. Rhenan. in qvo radic. armoraciæ recent. tessulat. incis. per triduum maceratæ sunt ℔iiij stent infusa per diem & noctem, posteà exprimantur fortissimè & colentur, add. succ. citr. recent. ℥iiij. sac-

 char.

char. parum. M. Dos. ab ℥iij ad ℥vi. vel

℞. Mixtur. simpl. spir. cochlear. nasturt. bacc. Juniper. ana ℥ß.

M. Dosis à ℈j. ad ℈ij.

3. Electuaria : ℞. Pomor. Citr. recent. unà cum corticib. incis. no. iij

Fol. cochlear. recent. miij nasturt. aqvat. mij, acetosell. mj. Contundant. in mortario lapideo c. pauco saccharo F. Electuarium.

vel ℞. Elect. nostr. chalybeat. ℥iij Conserv. cochlear. nasturt. ana ℥ij Condit. cort. citr. Scorzoner. cichor. ana ʒvj M. c. syrup. cochlear. q. s. F. Electuar.

4. Aqvæ destillatæ.

℞. Rad. armoratiæ, Raphani sylvestris ana ℥iiij. acori veri, Costi Ægyptiac. Enul. Scorzoneræ ana ℥j

Herb. chamædr. fumar. scolop.

Card. bened. Cuscut. ana mj

Flor. Calendul. Hyper. borrag.

bugloss. genist. ana mß.

Sem. cochlear. nasturt. aqvat. Eruc. citr. ana ʒiij.

Cort. fraxin. rad. cappar. tamarisc.

Citri ana ʒvj

Trochisc. de Eupator. de cappar. ana ℥ß.

Incis. & conqvass. affund. vini Rhenani optimi ℔iiij. succ. cochl. nasturt. bekabung. ana ℔j. destillentur in vasis vitreis.

Alia pro naturis calidioribus.

℞. Herb. recent. bekabung. miij. Cochlear. nasturt. ana mij. fumar. acetos. Cichor. ana mj.

Pomor. citr. recent. no. iij vel iiij

Incidantur & pistentur in mortario lapideo, affund. ser. lact. caprin. q. s. destillentur.

V. Infusa: ℞. Armoratię recent. tessulat. incis. ℥iiij. sem. Erucæ conqvass. ℥j. affund. vin. Rhenan. ℔iiij. stent in infusione per triduum, posteà colentur. Deinde

℞. Fol. recent. cochlear. nasturt. bekabung. ana mij. Incidantur & terantur in mortario marmoreo affund. colatur. superiorem. Stent per diem & noctem, postea exprimantur sub prælo fortissimè & filtrentur per chartam emporeticam, addi potest tantillum sacchari pro delicatioribus. vel:

℞. Herb. recent. cochlear. nasturt. ana mij. fumar. absinth. pimpinell. ana miß.

Cort. fraxin. ʒj. Bacc. Junip. ℥iß. Rad. Enul. ℥j. Cichor. ʒvj.

Grosso modo incisa & conqvassata in-

includantur doliolo, affunde musti vel cerevisiæ recentis mensuras xxiiij. Post fermentationem Colatura defecata & clara sumatur bis vel ter de die ab ℥vj ad ℥x. vel plures ad placitum.

VI. Decocta nunqvam præscripsi ob caussas suprà allatas: Ad sudores tamen eliciendos, qvibus interdum plus qvam purgantibus proficitur, nihil efficacius deprehendi decocto ligni Gvajaci in hunc modum adornato:

℞. Lign. sanct. rasi ℥iiß. Cort. lign. sanct. ℥ß. sarsaparill. ℥iß. sassafras ʒvj. Rad. Enul. Scorzoner. ana ℥ß.
Sem. cochlear. nasturt. aqvat. ana ℥ß.
Cort. intern. pini ℥j. Citri ℥ß. Cinam. ℥j.
Incis. & conqvassat. macerent. in aq. cochlear. nasturt. fumar. ana q. s. posteà coqvantur in diplomate.
℞. Colatur. ℔iij syr. ex succ. cochlear. nasturt. fumar. ana ℥ij. M. Dos. ab ℥iiij. ad ℥vj.

III.

Ut viscera colluvie pravorum humorum labefactata, roborentur.

Ventriculo confert pulvis stomachalis Birckmanni, Elixir citri, Proprietatis, Rob Juniperi, Zingiber in chinâ conditum, Conserv. rosar. ⊕lata, spirit. mastich. Essent. Galangæ, absinthii, Tinctur. cassiæ ligneæ &c.

Epati & lieni prodest Essentia mea hypochondriaca ex speciebus trochiscorum de Eupatorio, Rhabarbaro, de rosis & capparibus artificiosè extracta. Conserva radic. Cichor. Electuar. chalybeatum &c.

Cordi conducit Confectio de Hyacintho, Alkermes, Tinctura coraliorum, magisterium perlarum, spiritus rubi Idæi, fragorum, rosarum, Conserv. flor. tunic. borragin. citri &c.

Pulmonibus rad. Enulæ, Ireos, liqviritiæ, veronica, fæniculum, salvia, hyssop⁹, Capilli Veneris & qvæ ex his parantur composita, decocta, syrupi, aqvæ destillatæ, pulveres, Looch, extracta &c. Ubi notandum omnibus istis semper admiscenda appropriata antiscorbutica, ut suprà monitum.

IV.

Ut humorum scorbuticorum generatio præcaveatur.

Cibi vitentur mali succi & coctu difficiles, sale, muriâ aut aceto macerati, aqvæ crassæ, impuræ, salsæ, vinum dulce vel nimis austerum, subastringens, pendulum, hydromel, cerevisia feculenta, minus lupulata & parum cocta nec rectè fermentata.

Aër fugiatur salsuginosus, lacu-

ſtris, uliginoſus, paludium & aqvarum ſtagnantium exhalationibus inqvinatus. Si caveri neqvit, corrigatur lucentis igne camini, accenſâ junipero, qvercu, pino &c.

Corpus motu qvotidie exerceatur & labore, non improbo, ſed moderato & tempeſtivo.

Excretiones ſint liberæ, ſuppreſſæ artis operâ ſolvantur.

Somnus & vigiliæ modum non excedant.

Inter animi pathemata maximè exulet mœror & triſtitia, qvæ ſi diuturnitate invaleſcant, humorem melancholicum cumulando, præſentiſſimam ſcorbuto ſuppeditant materiam.

His ritè obſervatis & methodicè adhibitis plurimi per DEI gratiam à ſcorbuto perfectè liberati ſunt, paucis exceptis qvibus hoc malum vel hæreditarium fuit, vel diuturniore morâ radicatum. Corruptis enim & ſimili labe infectis viſceribus ægrè exſtirpatur infelix hoc loli[illegible] Subinde namq[illegible] repullulat, præſertim vere & autumno, qvo tempore runcinâ medicâ qvotannis reſecandum: Nihil autem ſcopo huic eſt convenientius præter ſuccos herbarum contra ſcorbutum facientium recenter expresſos, in qvibus ſal ille volatilis, verus morbi hujus ῥιζότομος optimè conſervatur.

CASUS XXXV.

Scorbutus cum atrophia.

DN. NICOLAUS HAN Secretarius Colbergenſis meritiſſimus, de inſigni & continuo ardore cordis, ſiti incompeſcibili, oris ſalſedine & ſapore pontico, laſſitudine membrorum ſpontaneâ, crurum dolore tenſivo & calore nocturno diu multumq; qverebatur: Aderat faucium & linguæ aſperitas & nigredo, pectoris anguſtia cum reſpiratione difficili, ciborum appetitu dejecto & conſummatione totius; In tibiis maculæ varii coloris hinc inde efflorescebant, ſubitò evaneſcentes, iterumq; erumpentes.

RESOLUTIO.

Symptomatum hæc ſyndrome Scorbuti malitiam arguit:

Cordis ardor à vaporibus putidis ex colluvie ſcorbuticâ ſubinde effumantibus caloremqve & ſiccitatem præter naturam in corde excitantibus, producitur.

Sitim incompeſcibilem cordis calor & ſiccitas parit.

Oris ſalſedinem & ſaporem ponticum humores ſeroſi, ſalſi, acres & malignitate ſcorbuticâ inqvinati, excitant.

Laſſi-

Lassitudo membrorum spontanea ab iisdem vitiosis humoribus dependet, qvatenus cum sanguine per venas in ambitum corporis distribuuntur & ad ipsos musculos penetrant ibiqve hærentes vires gravant, & lassitudinem pariunt.

Crurum dolor eandem caussam agnoscit, qvatenus serum illud scorbuticum per venæ cavæ ramos crurales extra venas effunditur & crurum musculis, membranis ac nervis sese insinuat.

Calor nocturnus à vaporibus & serosis humoris melancholici partibus tempore nocturno per calorem commotis, excitatur.

Faucium & linguæ asperitas & nigredo à calidis, acribus, malignitate ac putredine scorbuticâ infectis, exhalationibus per Oesophagum ascendentibus, lingvamqve & fauces qvasi comburentibus, proveniunt.

Pectoris angustia & respiratio difficilis accidit, qvando vapores maligni vel humores vitiosi in cavitate omenti hærentes diaphragma comprimunt, & liberum ejus motum impediunt.

Ciborum appetitus dejicitur ob frustratam suctionem, qvæ propter interceptionem viarum, à mesenterii obstructione dependentem, fieri neqvit.

Atrophia sive consumtio totius à defectu boni alimenti procedit, affluentibus enim subinde vitiosis humoribus calor nativus & facultas nutrix ita debilitantur, ut nutritionem rectè promovere non possint; accedit & cordis calor & siccitas à vaporibus putridis, ut supra dictum, contracta.

Maculæ in tibiis ab ichorosis & serosis in sanguine partibus ad pedes decumbentibus & extra venas in cutem protrusis, excitantur.

Curationem morbi radicati, præmisso exiguæ spei prognostico, aggressus sum à primarum viarum per clysterem ablutione.

Mox præparantia qvædam leniora & temperata, appropriatis mixta, exhibui.

Materiam præparatam leniter & per ἐπίκρασιν mitioribus pharmacis evacuavi.

Hinc usum lactis caprini, in qvo folia cochleariæ, nasturtii, bekabung. Endiviæ & cichorii ebullierint, commendavi, addito tantillo sacchari purissimi, ne coagularetur.

Intereà & cordialia frigida & humectantia ex conserva violarum borragin. bugloss. Lactuca Hispanica condita, floribus citri, confect. Alkerm. specier. diamargarit. frigid. &c. præscripsi.

Inter externa auxilia, balneum aqvæ dulcis tepidæ, in qva humectantia & refrigerantia cocta fuerint, laudavi.

A balneo qvietem in lecto imperavi & inunctiones ex oleo violarum & amygdalarum dulcium, cum butyro recenti non salito. Cordi & pulsibus Epithemata convenientia applicui.

Victus rationem initio præscripsi refrigerantem & humectantem, posteà temperatam, salsis, acribus, acidis, fumo duratis, in muriâ vel aceto maceratis, aliisqve difficilis coctionis & mali succi, prorsus interdixi: Qvæ omnia etsi ex præscripto satis accuratè observaret Æger, qvin & melius qvandoqve habere videretur, superveniente tamen lipothymia subitò & inopinatò exstinctus est, id qvod & aliis scorbuto affectis accidisse Eugalenus refert, observatione XXXVIII.

CASUS XXXVI.

Arthritis vaga scorbutica.

U*Xor Viri Nobilissimi & Strenui Dn. Nicolai Hordten, Excubiarum in exercitu Svecico Magistri, facie subtumida & cum livore pallida, per integram æstatem singulari qvadam membrorum omnium lassitudine affecta, circa æqvinoctium autumnale incidit in dolores lumborum & dorsi, qvi cum aliqvamdiu ibidem substitissent, in brachia & manuum digitos, mox in pedes, iterumqvè in brachia & manus, modò dextram, modò sinistram, inde denuò in pedes & articulos, vago qvodam motu, mox sursum, mox deorsum ferebantur, cum insigni virium jacturâ, cordis anxietate & vigiliis. Qvâ parte dolor maximè urgebat, ibi tubercula, folliculorum instar erumpebant, dolore aliam sedem occupante, iterum evanescentia.*

RESOLUTIO.

Cum in morbi hujus curatione etiam celebriores qvidam Germaniæ superioris medici frustra desudassent & nulla recuperandæ valetudinis spes amplius superesse videretur, nihil magis in votis habuit Ægra, qvam in terrâ Patriâ inter amplexus & oscula Parentum amicorumqve mori: Desiderio dilectæ Conjugis ut indulgeret maritus, miseram in lecticâ collocatam, longo molestoqve itinere ad nos deduxit, ex portu Colbergensi in Sueciam navigaturus: Retraxit ex cymbâ Charontis semianimem ventorum adversitas, qva per dies aliqvot detenta, auxilium meum imploravit: Ego perspectâ morbi Idea & doloris specie, de Arthritide vagâ cogitare cœpi, cum & affectus

ctus scorbutici haud obscura deprehenderem indicia. Conjecturæ certitudinem exploravi lumbricis terrestribus imponendo eosdem vivos partibus dolentibus, qvi initio, qvasi vi illatâ, exsilire, circumgyrari, mox languescere momentaneâ tabe consumpti, subitò emori, non sine adstantium admiratione, videbantur.

Cognito morbo, ejusdemqve causla, qvam Tartarum scorbuticum resolutum & cum tenui serosaqve humorum materia, singulari qvadam proprietate nervorum ac musculorum genus petenti, permixtum esse constat, præmissis universalibus digestivis & evacuantibus, appropriata qvædam præscripsi, potiunculam nempe Medici Campensis à Foresto descriptam, tincturam ♀i, spiritum lumbricorum terrestrium, decoctum specificum Horstii, Bezoardicum ♃ale Mynsichti &c. verum nihil æqve profuit ac specificum meum, cujus usu per integrum ferè mensem continuato plenè convaluit Ægra. Descriptio ejus hæc est:

℞. Rad. vincetoxic. Enul. aristoloch.
rotund. Zedoar. caryophyllat. Pæoniæ ana ʒij
Summit. salviæ, betonic. serpill.
abrotan. rutæ, Chamædr. Chamæpyth. ana ʒj. anthos ℥iß.
Spec. diamosch. d.dianth. lætitiæ Galeni ana ʒj
Sem. citri ℈iiij. Ther. Andr. ℥ß.
Fæcul. Aronis ℈iiij

Pulverisatis affunde sp. vin. malvat. ad eminent. 4. digitorum, stent benè tecta in digestione per d. 3. postea spir. V. abstrahatur ad consistentiam mellis. Reaffund. sp. V. modò abstracti ℔ß. spir. cochlear. ℥ij. spir. nasturt. aq. ℥j. spir. rub. Idæi ℥ß. Essent. lumbricor. terrestrium ℥vj. Digerantur per d. 3. postea diligenter filtrentur & serventur pro usu.

Sumsit Elixiris hujus specifici singulis matutinis ℈ij ex aqva nostrâ Arthriticâ antiscorbuticâ, sudoribus plerumq; copiosè & cum notabili allevatione promanantibus. Circa vesperam duabus circiter ante cœnam frugalem horis, exhibui Electuarium meum antiscorbuticum, tincturâ ♀ri impraegnatum. Noctu, si qvando vigiliæ urgerent & dolor, delibavit anodynum meum opiatum in formâ liqvidâ.

Ex topicis profuit oleum lumbricorum compositum, tinctura ligni sancti, Cataplasma ex nasturtio aqvatico & illud qvod à Wiero describitur ex radicibus cicutæ aqvaticæ: nullâ tamen victimâ ma-

magis placari potuit hæc furia, qvam lumbricis terrestribus vivis, partibus dolentibus impositis: vehementi namqve luctâ in vermiculos desæviens malignitas, subitâ tabe consumtis occisisqve hostib9, ad tempus deferbuit, subinde iterum, recollectis ex intervallo viribus, repetens, donec longo continuoqve specifici suprà descripti usu, penitus exstirparetur.

CASUS XXXVII.

Renum calculus potu Hydromellis Lithvanici curatus.

D*N. COSMUS à SIMMEREN Sacræ Cæsareæ Majestatis Aulicus, Frater Socrus meæ Gertrudis Simmeriæ, gravitate qvadam circa renum regionem aliqvandiu affectus, novissimè in vehementes lateris sinistri dolores circa lumbos incidit, subseqvente nauseâ & vomitu. Urinæ reddebantur initio paucæ & aqvosæ, postea subcruentæ & cum arenulis rubris in fundo matulæ subsidentibus, crus sinistrum stupore, testiculus ejusdem lateris retractione afficiebatur.*

RESOLUTIO.

Gravitatem in rene, latentis calculi indicium esse ipse Hippocrates l. 6. Epid. comment. 1. t. 5. tradit. Infert autem calculus sensum ponderis gravantis, qvia substantia renum sensus expers est, membranâ tantum sentiendi vi præditâ.

Dolor vehemens in latere sinistro à descensu calculi ex rene in ureterem sinistrum excitatur, qvatenus distenduntur & lancinantur membranæ ureteris.

Nausea & vomitus seqvuntur propter consensum ventriculi & renum, qvatenus mediante peritonæo communem obtinent tunicam.

Urinæ redduntur paucæ & aqvosæ obstructis viis urinariis & depravatâ digestione.

Cruentæ sunt propter vulnerationem partium per qvas transit calculus asper, ut eventus docuit & acuminatus.

Arenulæ in fundo matulæ subsidentes à materiâ crassâ, viscosâ, feculenta & internum coagulationis principium in se habente proveniunt & certum calculi sunt indicium: Arenulæ enim illæ, qvæ ab adustis & tartareis humoribus generantur, parietibus matulæ magis adhærescunt qvam subsident.

Cruris stupor à compressione musculi, cui ren incumbit, qviqve cruri flectendo dicatus est, & in cruris partem interiorem inseritur, dependet.

Testi-

Testiculus retrahitur propter vasorum vicinorum, qvæ ad testes tendunt, iisqve inseruntur, retractionem.

Ex his cum liqvidò constaret calculum adesse, opera danda erat, ut tolleretur, qvod ut commodè fieret, primò ad viarum communium evacuationem & ureterum laxationem, dolorisqve mitigationem Clysterem ex emollientibus, laxantibus & anodynis præscripsi:

℞. Herb. malv. c. toto mj.
veronic. parietar.
branc. ursin. violar. ana mß.
Flor. chamæm. mj
Rad. althææ ℥vj.
Summit. aneth. mß.
Sem. lin. fœnugr. ana ℥ß.
anethi ℥iij
Coq. ex aq. simpl. ℞. Colatur. ℥x
Cassiæ ℥j. ol. amygd. dulc.
violar. ana ℥j. M. F. Enema.

Rejecto clystere, ad vias per qvas calculo transeundum laxandas & lubricandas dedi jusculum ex radicibus althææ:

℞. Rad. althææ gross. mod. incis. & conqvassat. ℥vj. Coq. ex aq. simpl. ℔j. In colatur. dissolve vitell. ovi unius, add. butyri majalis. q. s. M.

Extra inunctiones ex unguento cancrino Cratonis commendavi.

Hinc ad lapidis comminutionem & expulsionem præscripsi potiunculam:

℞. Sangv. Hirc. præpar. ℈ij
Myrrh. elect. ℈j. Juris cicer. rubr. ℥iiij. succ. limon. ℥j

M. F. potiuncula, qvam cum nauseabundus ilicò ac hauserat vomitu rejiceret, exhibui Essentiam Ononidis palato magis gratam: Qvievit paululum; A somno intolerabiles sensit cruciatus, qvos ut demulcerem factâ inunctione ex oleo Scorpionum & amygdalino dulci Ægrum in hemicupium anodynis & laxantibus imprægnatum deduxi, evidenti & subitâ cum allevatione: Dolor enim ex toto per biduum remisit, manente solummodò gravitate illâ in lumbis, id qvod a calculo ex uretere, in qvem descenderat, in cavitatem renis relapso, factum existimo: Qvare ut loco iterum moveretur nec incrementum sumeret, exhibui Tincturam ligni nephritici à Sanctorio cum Venetiis essem valdè mihi commendatam, qvâ tantum effeci, ut paulò post in ureterem remearet calculus; Verum cum denuò ibidem subsisteret, ingentesqve pareret dolores, usum essentiæ Ononidis ex aqva nephriticâ Excellentissimi Dn. Gwerneri Rolfincken repetii simulqve balneum aqvæ dulcis commendavi.

Ex hoc iterum remisêre dolores: Intereà cum de virium lan-

gvore & siti conqvereretur Æger, propinavi jolabium:

℞. Aq. fragor. ℔ß.
Cordial. nostr. frigid. ℥iiij.
Succ. citr. recent. express. ℥ij
Rob. fragor. ℥iij.
Brod. fruct. Cynosbat. condit. ℥j
M. F. Jolabium.

Arrisit palato svavissimi saporis refrigerium, adeò ut tribus qvatuorve haustibus totum absumeret, denuoqve me inscio, paratum avidè potaret. Hinc motum calculi versus vesicam sentire, urinamqve copiosiùs emittere cœpit, donec paullò post superveniente sternutatione calculum oblongum, acuminatum & asperum excerneret.

Liberatus ab hac carnificinâ præservari in posterum petiit. Præscripsi diætam convenientem ex cibis boni succi, facilis coctionis & attenuandi incidendiqve vi præditis. Interdixi omnibus, qvæ crassum ac lentum succum præbent, carnibus nempe suillis, bubulis, anserinis, anatinis, sale & fumo induratis vel aceto aut muriâ maceratis, piscibus exsiccatis, sale conditis, viscosis & iis qvi sqvammis carent.

Damnavi præterea & conchylia, ostreas, cancros, gammaros, limaces, lac & lacticinia, caseum, legumina, fructus immaturos, acerbos, mespila, pyra, cytonea, castaneas, fungos & tubera.

Vina item crassa, austera, recentia, imprimis mustum, Cerevisiam crassam, feculentam, non satis coctam, parum lupulatam & id genus alia.

Cæterum cum etiam invitis qvandoqve errores in victu obrepant, ipsaqve alimenta non sint adeò pura, ut non aliqvid vitiosæ materiæ, qvæ calculo generando præsertim in dispositis apta sit, colligatur, svasi, maturè & anteqvã ad renes perveniat, per intervalla evacuaretur, idqve lenioribus Medicamentis, qvæ primas vias repurgent & simul renes abstergant; Exhibui hoc nomine terebinthinam in liqvorem redactam, cum bolos & pilulas abhorreret:

℞. Terebinth. cypriæ c. vitell. ovi dissolut. ʒv.
Vini Rhenan. opt. ℥iij
M. super lento carbonum igne F. potiuncula.

Cum & hanc formidaret, præscripsi deinceps Electuarium terebinthinatum singulis mensibus qvantitate nucis juglandis cum cerevisia calidâ assumendum.

℞. Terebinth. cypriæ c. aq. malv. ad duritiem coctæ ℥j. Rhabarb. elect. Fol. sen. s. s. ana ʒij Gialapp. c. Essent. croci tinct. ʒj. Liqvirit. succulent. ℈iiij syr. rosar. solutiv. q. s. M. F. Elect.

F. Electuarium, tegatur folio auri.

Loco Electuarii interdum dedi Hydromel meum laxativum.

Hinc specifica qvædam calculi concretionem impedientia commendavi; Aqvam nimirum præservativam Qvercetani, infusum hederæ terrestris, spiritum salis, Terebinthinæ, Tincturam ♀i, oleum stillatitium succini, citri; Magisterium ♀ri ⊕lati, oculor. cancr. syrupum Crystalli, de althæa, acetositatis citri, amygdalas amaras, allium in spiritu bacc. Juniperi maceratum & singulis mensibus ipso die novilunii comestum, fructus cynosbati, asparagum, Eryngium sacchāro conditum & similia.

Nec omissa qvæ renes alterarent & ad statum naturalem reducerent. Verùm qvàm accuratè etiam pleraqve observaret Æger, nihilominus singulis ferè mensibus, interdum bimestri, raro triméstri intervallo recidivam patiebatur, modò leviorem, modò graviorem pro calculorum qvantitate & qvalitate, donec tandem, nescio cujus svasu, loco potus ordinarii Hydromel Lithvanicum qvotidiè biberet. Ex eo enim non solùm à calculo sed & aliis morbis ultra decem annos planè immunis vixit, triennio tamen ante mortem mortuus: Qvi enim toto vitæ decursu hominum, imprimis doctorum, conversatione delectabatur Vir humanissimus, hospitalis, facetus, ocio inimicus, utplurimum historiarum lectioni vel corporis exercitiis aut ædificiorum structuris & hortorum culturæ, deditus, mirâ qvadam & subitâ metamorphosi omne consortium fugere, aversari, intra privatos parietes latitare, nihil amplius legere, vel scribere aut aliud qvid agere, sed modò instar Clinici plures dies decumbere, modò per conclavia hinc inde deambulare, & qvod mirum etiam ab omni sermone & colloqvio abstinere, nec interrogatus qvidem respondere voluit, vitam in perpetuo silentio transigens, qvanqvam interdum stomachabundus sat expeditè loqveretur.

Intereà nulla planè morbi alicujus aderant indicia, benè ingerebat, digerebat, egerebat, optimo corporis habitu præditus, nullâ parte dolebat, nec mentem laborare satis constabat, sed pertinaci potius proposito agere videbatur, occasionem solitudini & silentio præbente malo qvodam domestico, ut amicorum qvorundam erat conjectura.

Discessurus ex hac vita, nutibus desiderium viatici cælestis indigitabat, cujus ab Ecclesiæ ministro particeps factus, placidè obdormivit.

Manes defuncti hoc nostrum posteritati commendat Epicedion:

LEGE VIATOR

STUPESCES

QVIESCIT HEIC

VIR ANNORUM SEPTUAGINTA UNIUS

IPSE DUNTAXAT SEXAGINTA VIXIT

ET OCTO.

COSMUS à SIMMERN

POLYHISTOR ET COSMOGRAPHUS ACCURATISSIMUS.

QVI, POSTQVAM

VANITATEM MUNDI

IN AULIS REGUM ET PRINCIPUM

DOMI FORISQVE

ABUNDE EXPERTUS

ESSET

PERTINACI TEMPORALIUM

ODIO CAPTUS

DOMI SUÆ SPONTE

MANCIPATUS

PROFUNDISQVE MEDITATIONIBUS IMMERSUS

MUNDANA OMNIA

ETIAM AMICORUM OPTIMOS

AVERSATUS

INTEGRUM TRIENNIUM

ANTE MORTEM QVASI

MORTUUS

IN PERPETUO SILENTIO

SINE VOCE, SINE STYLO

TRANSEGIT.

DONEC TANDEM

SENIO AN MOERORE?

FRACTUS

LENITER EXSPIRARET

D. XVI. NOV. AN. M.DC.L.

CASUS XXXVIII.

Vermes in vesicâ nati.

R*Everendus Dn. David Strazzius Ecclesiæ Colbergensis ad Spiritum Sanct. Pastor, cachexia scorbutica affectus, qvotidie vermiculos plures, albos, illis qvi in caseis vetustis & putrescentibus reperiuntur non absimiles mingebat cum pruritu in cervice vesicæ & meatu urinario, mictionisq; freqventiâ & lotii fœtore.*

RESOLUTIO.

Vermes etiam in vesicâ nasci qvandoqve à Cardano, Mundanella, Rondeletio, Argenterio, Marcello Donato, Paræo & aliis observatum est; Veritatem hujus rei & nos præsenti casu experti sumus,

Causæ

Caussa istorum vermium est cor-rupta qvædam & sordida materia, principium vitale verminosum in se continens.

Pruritus in cervice vesicæ & meatu urinario ab excremento mordaci, urinæ permisto excitatur, forsan & à vermibus hæc loca perreptantibus.

Mictionis freqventia ab irritatione vesicæ & facultatis expultricis, sive à vermibus, sive urinæ acrimonia & salsedine factâ, proficiscitur.

Lotium fœtet à materiæ putridæ & sordidæ permistione.

Curationem, præmissis qvæ ad cachexiæ scorbuticæ emendationem facerent, aggressi sumus exhibitione diureticorum abstergentium, additis subinde medicamentis vermes necantibus. e. g.

℞. Nucl. persicor. amygd. amar. ana ℥ß.
Sem. portulac. ʒij. citri ʒj
Aq. flor. persicor. filicis ana ℥iij
M. F. Emulsio. Add.
Aq. nostr. diuretic. ℥ß. Essent. ononid. ʒiß. Corallinæ ℈ij. M. F. potiuncula singulis matutinis haurienda.

Interdum pilulas de terebinthina in hunc modum præparatas ex aqvâ filicis recenter destillatâ porreximus:

℞. Aloes elect. ʒj. Myrrh. puriss. ℈ij
Rhabarb. opt. ℈iiij. sem. santonici, Corallinæ ana ʒj
Terebinthinæ q. s. M. F. Pilulæ mediocres d. à ʒß. ad ʒj.

Usurpatum etiam Balsamum ♁is terebinthinatum, tinctura florum Hyperic. & persicorum, Magisterium Corallinæ, Essentia nostra contra vermes & alia vermes necantia & expellentia diureticis permixta, qvorum usu magna qvidem vermiculorum tam viventium qvam enectorum rejecta copia: Exstirpari tamen penitus fæcundum hoc agmen non potuit, donec tandem exhibito arcano Libavii, qvod habet in syntagmate arcanorum Chymicorum lib. 6. cap. 22. plus mille minuti & grandiores qvatuor oculis rubentibus & circulis variegatis insigniti, cum urinâ excernerentur, & sic

Unâ strage Patres & avi caderentq; Nepotes.

Ex eo enim nihil amplius vermium in urinis visum; Ægro etiam qvoad cætera rectius valente, donec tandem contractâ ex ulcere, pulmonum tabe, lento morbo interiret Vir pientissimus, cujus anima reqviescat in pace!

CASUS XXXIX.

Calculus vesicæ.

F*ilius Domini RICHARDI FROREICHEN, decem circiter*

citer annorum puer, frequenti mictionis desiderio afficiebatur, urinam guttatim emittebat & cum dolore, tenuem, claram & subalbidam, qvandoq; subcruentam, potissimum arenosam, aderat & ponderis sensus in vesicâ & desidendi cupiditas, sub finem mictionis acerrimè dolebat, adeò ut pudenda vehementer vellicaret, de loco in locum discurreret, sæpè gyros ageret tantâ velocitate, ut subortâ per circumrotationes vertigine semianimis interdum concideret.

RESOLUTIO.

Vesicæ calculum signis modò enumeratis indicari ex doctrinâ Hippocratis lib. 4. de morbis & libro de aëre, aqvis & locis, apertè constat.

Freqvens mictionis desiderium à calculo naturam subinde ad excernendum stimulante, dependet.

Urina guttatim emittitur, qvatenus obviam impulso calculo cum mingendum est, urinæ fluor intercipitur.

Cum dolore, ob vesicæ distentionem.

Tenuis, clara & subalbida redditur, qvatenus calculus obstruens meatum vesicæ crassiores Urinæ partes profluere cohibet.

Subcruenta est propter vulnerationem partium affectarum, musculorum vesicæ & meatus à calculi asperitate factam.

Arenosa, à sabulo in vesica collecto & cum urinâ excreto.

Ponderis sensus in vesicâ calculi grandioris est indicium.

Desidendi cupiditas à tracto in consensum ano proficiscitur, qvatenus calculi magnitudo è perinæo rectum intestinum, ut vesicæ cervicem subinde exstimulat.

Sub finem mictionis acerrimè dolet, cum urinarum fluxu impulsus lapis exitum molitur & musculum janitorem arctius comprimit, modò totum penis ductum, modò glandem solummodò afficiens.

Curationem etsi invitus susciperem, benè conscius malum hoc difficulter & rarò admodum tolli: officio tamen meo deesse non debui & cum duo tantum sint calculi grandioris, qvi integer expelli neqvit, remedia, comminutio nempe & excisio, prius per lithontriptica tentandum duxi.

Præmissis itaqve Universalibus, celebre illud ex oniscis confectum remedium singulis matutinis per integrum mensem continuandum, exhibui, primò qvidem ex decocto diuretico Laurenbergii, postmodum cum ab usu hujus decocti abhorreret, ex hydromelle Lithvanico.

Si qvando vehementius urgeret do-

dolor & in vesicæ collo hærens calculus urinæ profluvium impediret, catheteris ope eundem retro in vesicæ capacitatem compulimus, ægrumqve in solium aqvæ calidæ hunc in modum præparatæ, deduximus:

℞. Herb. veronic. parietar. mercurial. malv. c. toto. saxifrag.
Ononid. ana mij.
Flor. chamæm. miij. sambuc. mj.
Rad. althææ, lilior. petrosel. fænicul. ana ℥iß.
Sem. lini ℥iij. fænugræc. ℥j
Bacc. Juniper. ℥iij
Grosso modo incisa & conqvassata coqvantur ex s. q. aq. simpl. pro insessu.

Ad perinæi, pectinis & scroti inunctionem commendavimus tale linimentum:

℞. Ol. nucleor. persicor. scorpion. hyperic. ana ℥ß.
Axungiæ cuniculi, gallin. aa ʒvj.
Succ. Raphan. acerrimi ℥j.
M. F. Unguentum.

Interdum cataplasma ex farina lini & fænugræci cum sanguine hircino subacta, applicuimus.

Sæpe etiam Clysteres convenientes, modò ex anodynis, modò ex emollientibus & calculum frangentibus, utplurimum ex his omnibus invicem mixtis præscripsimus.

Cum hæc nihil proficerent, fortiora tentavimus, exhibendo qvotidiè magisterium Lithontripticō, cujus hæc est compositio:

℞. Asellorum sive millepedum qvantum vis, lava ex vino Hispanico aliqvoties, dein calcina in ollâ obturatâ, extrahe s. a. sal, qvod in loco humido dissolvendum in liqvorem.
Dissolutum liqvorem oculis cancrorum ex vivis & crudis (neutiqvam verò coctis) erutis & contusis affunde & colloca in B. M. per dies X. vel plures, donec dissolvantur oculi ♋ instar mucilaginis. Hanc mucilaginem vicissim coagula in sal. Sal istud iterum dissolve in aqva appropriata, filtra & coagula, iterūq; dissolve in cella per deliqvium.

Et cum certum sit liqvoribus lithontripticis in vesicam immissis, calculum, præsertim si non sit adeò durus, comminui & frangi posse, cum nihil virium, ut medicamenta per os assumpta, amittant, sed rectâ viâ calculum impetant, commendavi seqventem mixturam per catheterem vesicæ injiciendam:

℞. Rad. rubiæ tinctor. Ononid. c. toto, liqviritiæ ana ʒvj.
Herb. saxifrag. parietar. malv. c. toto ana mj.
Sem. asparag. milii Solis, urticæ ana ʒiij.
Incis. coq. ex s. q. aq. simpl.
℞. Colatur. ℔iß. add.
Succ. limon. Raphan. ana ℥ij.
Ol. scorpion. Amygd. amar. ana ℥iß. M.

In-

Intereà fingulis ferè feptimanis leni purgante ex caffiâ vel terebinthinâ corpus evacuavi, ita tamen ut naturæ ad vires recolligendas interdum concederetur qvies, nihilqve medicaminis, præter analeptica & confortantia exhiberetur.

Cæterum & alia pro comminuendo calculo per vices ufurpata, ut Magifterium fuccini, liqvor falis ♀ri, Effentia Ononidis, fpiritus fragorum, falis, fanguis Hirci, leporis, fecretum Noricum & fimilia; verùm exiguo cum juvamento, unde doloribus perpetuis & vigiliis confumtus Æger, tandem fatis conceffit; Excifionem enim lapidis, tanqvam periculofam, Parentes formidabant.

Corpufculum demortui cum aperuiffem, inveni calculum in veficâ raræ magnitudinis ovi pavonii qvantitatem ferè adæqvantem, afperum & undiqve acuminatum, adeò durum ut cultello vel limâ vix radi poffet, unde liqvidò conftat, duriores & grandiores calculos non facilè medicamentis tolli, fed excifione opus effe, qvanqvam & hæc ob inflammationes, convulfiones aliaqve fymptomata periculi fit plenisfima, adeoq; ex confilio Hippocratis non tentanda, vel fi fieri omninò oporteat, iis tãtum permittenda, qvi operationis hujus funt experti.

CASUS XL.

Mictio cruenta.

DN. Joachimus Dopicius, Conful Colbergenfium meritisfimus, temperamenti calidi & ficci, à multis annis Arthritide affectus, circa fexagefimum ætatis annum, fangvinem per intervalla cum urinis excernebat, fatis copiofum, citra dolorem qvidem, fed non fine notabili virium jacturâ.

RESOLUTIO.

Mictionem fanguinis, qvam per intervalla patitur Amplisfimus Conful, per anaftomofin vaforum in renibus fieri cenfeo, qvatenus nimirum fanguis impurior & fervidꝰ ab Epate calido & imbecilli eò transmiffus, venarum ofcula dilatans & aperiens, in finus renum, indeqve cum fero per ureteres in veficam effunditur.

Commodum itaqve fuerit, præmifsâ viarum communium evacuatione & fanguinis ex jecorariâ dextri brachii moderatâ detractione, fanguinem impurum mundificare, fervidum reftinguere, acrem mitigare, Epatis caliditatem attemperare, imbecillitatem emendare, vaforumqve laxitatem leniter conftringere, id qvod feqventium medicamentorum ufu & conveni-

venienti diætâ feliciter, ut spero, expediri poterit.

Primò singulis matutinis per dies tres hauriat æger syrupi nostri laxativi Magistralis ℥iijß. cum jejunio trium circiter horarum; Deinde per septendium bibat qvotidie in aurorâ decocti alterantis ℥iiij. Hinc iterum utatur syrupo laxativo per dies tres, reliqvis absumat, qvod ex decocto alterante est residuum, ita ut alternatim modò syrupum delibet, modò decoctum, plures tamen dies alterationi qvam evacuationi tribuendo.

Compositio utriusqve medicamenti est:

℞. Rad. althææ, liqvir. ana ʒvj
Consolid. major. bistort.
Cichor. fænicul. gramin. ana ℥ß.
Fol. Entiv. agrimon. veronic. Capill. Veneris, bursæ Pastor. prunellæ vulgar. scolopendr. plantag. ana mß.
Sem. 4. frigidor. major. ana ʒiij. malv. ʒij. fænicul. ʒiß.
Flor. rosar. rubr. Epat. nob. ana mß.
Fruct. sebesten, jujub. no. vij passular. minor. ℥iij.
F. infusio in s. q. aq. simpl. per noct. manè lento igne coqvantur.
℞. Colatur. clarificatæ ℔iiij.
In ℔iß. infunde Fol. sen. s. s. ℥ß.
Rhabarb. Elect. ʒiij. Mechoacan. albiss. ʒvj. Agaric. trochisc. ʒij. Conserv. violar. ʒv. stent in infusione per noctem, manè coq. leniter exprimantur & colentur. Colatur. add. mann. calabrin. puriss. ℥ij. syr. de cichor. c. Rhabarb. ℥iß. sacch. albiss. q. s. M. F. syrupus tenuis. S. syrupus laxativus.
Residuo decocti superioris add. syr. de althæa ℥ij. de cichor. Endiv. fragor. ana ℥j
M. S. Decoctum alterans.

Porrò ad Epatis intemperiem calidam peculiariter corrigendam usurpet qvotidiè manè & vesperi duabus ante cœnam frugalem horis Electuarium ex appropriatis refrigerantibus, additis qvæ imbecillitati ejusdem subveniant, vasorumqve laxitatem leniter constringant.

℞. Conserv. rad. cichor. ℥iij
rosar. rubr. ℥ij
Spec. diarrhod. diatr. sant. ana ʒj
Extract. tormentill. ℈j
Spodii. C. cervi ust. præp. ana ℈j. Corall. rubr. præp. ℈iiij
Carn. cytonior. condit. ʒvj
Fruct. cynosbat. condit. ℥ß.
M. c. syrup. Corallin. Qvercetan. q. s. F. Electuarium.

Interdum loco Electuarii Tinctura coraliorum ex aqva nostrâ Epatica frigidâ & syrupo fragorum exhibeatur.

Digitized by Google

Extra regioni Epatis Ceratum santalinum, renibus Unguentum Comitissæ alutæ inductum, applicetur. His mense Majo Anni M.DC. XXVII. adhibitis per totam æstatem qvam optimè valuit prædictus Consul, recrudescente autem sub autumni primordia malo, eadem repetivimus, exhibito circa finem curationis, lacte ovillo in hunc modum præparato:

℞. Lact. ovill. recentiss. mulsi ℔ß.
Mell. rosar. puriss. ℥ij. bulliant leniter, add. Bol. Armen.
℈j. M.

Ebibat in aurorâ V. ante prandium horis, nec superdormiat, sed leniter obambulet, continuetqve usum lactis per dies XIV. qvo facto ultra biennium ab hoc malo immunis fuit etiam ab Arthritide benignius deinceps habitus.

CASUS XLI.

Ischuria ex grumoso sanguine.

A*Nno M. DC. XXX. Idem Consul cujus in præcedenti casu meminimus, hyemante cœlo per nives iter faciens, mictumq; qvi tunc ipsi cruentus erat, diutius retinens, contumaci Urinæ suppressione vehementer angebatur, domum redux auxilium meum implorabat.*

RESOLUTIO.

His non diu cunctandum erat, sed causa periculosissimi affectus subitò removenda; Præscripsi hoc nomine Enema emolliens, sanguinem concretum dissolvens, mictumqve promovens:

℞. Rad. rub. tinctor. althææ aspa-
rag. fœnicul. ana ℥ß.
Herb. malv. c. toto, parietar. bellid. c. flor. heder. terrestr. origani, Thymi, prunell. vulgar. ana mß.
Flor. chamæmel. mj. sambuc. p. j.
Hyperic. mß.
Bacc. Juniper. ℥ß.
Coq. ex s. q. aq. simplic.
℞. Colatur ℥x. add.
Cass. extract. bened. laxat. ana ℥ß. mell. terebinth. cypr. c. vitell. ovi dissolut. ana ℥ß.
Ol. chamæm. scorpion. ana ℥j
Sal. gemm. ʒj. M. F. Enema ex tempore.

Intereà pubes, pecten & perinæum inungebantur tali linimento:

℞. Ungvent. dialth. ʒvj
Ol. scorpion. amygdal. amar. ana ℥ß. sangu. hirc. præpar. ℈iiij. Terebinth. ʒij. Croci ℈j. M. F. Unguentum.

Rejecto clystere exhibui decoctum pro dissolvendo sanguine grumoso:

℞. Rád. rubiæ tinctor. incis. ℥iß.
Coq.

Coq. ex aq. commun. ℔iß.
℞. Colatur. ℔j.
Oxymel, simpl. ℥v. M. pro qvatuor dosibus.

Ultimum sed optimum carnificinæ hujus remedium afferebat insessus ex plantarum subseqventium decocto:

℞. Rad. lil. albor. althææ
rubiæ tinctor.
aristoloch rotund. ana ℥j.
Herb. malv. parietar. abrotan. arthemis. Origani, prunell. vulgar. levistici. heder. terrest. ana mij
Flor. chamæmel miij
Sambuc. Hyperic. ana mj.
Sem. lini ℥iij. fæn. græc. ℥iß.
Summit. anethi miß.
Bacc. Juniper. ℥iij.

Incisa & conqvassata decoqvantur pro balneo, in qvo cum vix dimidiæ horæ spacio umbilicotenus desedisset, excretis primum grandiusculis aliqvot thrombis, magnam sanguinis urinæqve copiam rejecit, & sic ex Acherusiâ qvasi palude liberatus, emersit.

CASUS XLII.

Mictio purulenta ab exulceratione meatus urinarii.

Generosus & Strenuus Dn. Otto von Schulmann / *Regni Sueciæ Colonellus, renum calculo à multis annis obnoxius, qvoties urinam emitteret, vehementi inter mejendum dolore afficiebatur, in primo exitu materia qvædam purulenta apparebat, qvæ interdum etiam sine urinâ profluebat.*

RESOLUTIO.

A calculis renum qvos interdum sat acuminatos, asperos & angulosos excreverat Æger, meatum urinarium exulceratum esse judicabam, cum nulla vel vesicæ vel renum exulceratorum adessent indicia, nec pus cum urinâ, sed ante illam, imo sæpè sine illa excerneretur, fœtoris expers.

Benè itaqve sperandum esse, innui, præmissisqve universalibus, corporis nimirum immundi purgatione & venæ ob plethoram sectione, abstergentia qvædam præscripsi:

℞. Decoct. cicer. rubor. ℔ij
mellis rosati colati ℥ij.
syrup. de althæa Fern. ℥j
M. pro sex dosibus, mane & vesperi assumendis.

Extra per siphonem injecimus decoctum hordei tosti cum radicibus plantaginis & liqviritiæ præparatum, addito melle rosato colato.

Postqvam satis detersa & mundificata videretur exulceratio, pro consolidatione commendavi lac caprinum cum bolo Armeno & mastiche: Meatui autem urinario per catheterem injecta est seqvens mixtura:

℞. Aq. Eqviseti, plantagin.
rosar. ana ℥iij.
Trochisc. Alkekengi. alb. Rhas. ana ʒij
Boli Armen. ʒj M.

Intereà pro leniendis doloribus modò jusculum ex radicibus althææ cum vitello ovi &butyro præparatum, modo pilulas de terebinthina cum succo liqviritiæ & trochiscis Alkekengi &c. exhibui; & cum vigiliæ ægro admodum molestæ essent, circa horam decubitus plerumqve obtuli Emulsionem seminis papaveris & qvatuor frigidorum majorum, ex cujus usu nunqvam non optimè qvievit, breviq; iterum, DEI gratiâ, bonæ valetudini restitutus est.

CASUS XLIII.

Mictio pultacea.

Illustris Dn. Conradus Falckenberg, Gubernator Calmariæ &c. ultra biennium urinas mingebat turbulentas & veluti lacteas, qvæ ubi aliqvandiu in matula stetissent, materia qvædam alba, pultis instar in fundo subsidebat, adeò copiosa, ut dimidium urinalis plerumq; repleret. Inter mingendum ardor aderat & dolor, præcipuè sub finem, fœtor autem in urinis nullus nec pinguedo aut ramenta vel aliud qvidpiam.

RESOLUTIO.

Materiam hanc albam Archiatri Sereniss. Reginæ Sueciæ Dn. Johannes Robertzonius & J. Götzigerodius pro pure in renib⁹ genito habuerunt, ac proinde abstergentia qvædam & glutinantia præscripserunt, qvibus cum Æger per integram hyemem diligentissimè usus esset, nec qvicqvam levaminis inde perciperet, ad fontes Hornhusiæ, tum temporis noviter repertos, se contulit, ibidemqve aqvas fontis gratiæ, vulgò Gnadenbrun dicti, qvadraginta diebus cōtinuis hausit. Verum ubi nec his juvari, quin lædi se potius animadverteret, svasu Illustris Dn. LEONHARDI TORSTENSONII Regni Sveciæ Campi-Mareschalli, qvi me sibi medicum itineris ad fontes modò dictos asciverat, opem meam implorabat; Ego urinas istas lacteas vel potius pultaceas diligentius inspiciens & semel atqve iterum probè examinans, cum nec pus nec ramenta aut pinguedinem nec fœtorem in iis deprehenderem, de exul-

exulceratione renum dubitare cœpi, præsertim cum integro biennio tanta istius materiæ copia excreta esset, ut vel tota renum substantia in pus mutata, eandem adæqvare non posset. In mentem itaq; revocavi qvæ olim apud Platerum de Urinâ turbulentâ & lacteâ legeram & à Sennerto audiveram, materiam scilicet illam à cruditatibus & vitiatâ concoctione provenire, qvatenus ventriculi & hepatis vitio chylus & sanguis crudus relinqvitur, neqve à partibus salsis & tartareis mundatur, qvæ postea à renibus attractæ ad vesicam transmittuntur, & cum urinis emissæ dolorem inter mingendum pariunt, præsertim in fine, dum aliqvid istiꝰ materiæ collo vesicæ & extremitati meatus Urinarii adhæret. Confirmabant talia cogitantem Cacochymiæ qvædam indicia, unde corpus ab humoribus vitiosis liberandum & viscera concoctionis, Ventriculum nempe & Epar ab intemperie frigidâ & humidâ vindicanda & roboranda esse, duxi.

Primò itaqve ad vias communes emundandas exhibui infusum foliorum Senæ ex vino passulato, additis corrigentibus Cinamomo & Zingibere.

Hinc digestivum aperitivum ex foliis pilosellæ, agrimoniæ, chamædryos, scolopendriæ, comis absinthii: radicibus aperientibus, semine anisi, fœniculi &c. præscripsi.

Mox pleniorem evacuationem institui, decocto meo laxativo & pulvere Gialapp. c. essent. croc. præparat.

Ad ventriculum & Epar roborandum intemperiemqve eorundem corrigendam, commendavi Electuarium manè & vesperi duabus circiter ante pastum horis qvotidiè assumendum:

℞. Elect. nostri ex bacc. Juniper. ℥iij
Conserv. betonic. rosar. anthos ana ℥j
Condit. cort. citr. rad. calam. aromat. Zingib. in Chinâ condit. ana ʒvj
Spec. diaxyloaloes, aromat. rosat, diarrh. Abbat. ana ʒj
M. c. syrup. de absinth. q. s. F. Electuar.

Interdum tincturam cassiæ ligneæ, Elixir proprietatis P. Essentiam galangæ, spiritum mastiches &c. ex convenientibus vehiculis delibanda obtuli.

Egregiè inter alia profuit seqventium aqvarum mixtura palato non ingrata:

℞. Aq. nostr. epatic. calid. ℥iiij.
stomachal. ℥iij.
Cinam. ℥ij. spir. mastich. ʒiij.
M.

Extra ventriculum & Epar oleo absinthii, nardino & mastichino inunxi,

unxi, superimposito sacculo ex foliis aggerati, absinthii, agrimoniæ, baccis Juniperi & pauco salis.

Victum laudavi tenuem, calefacientem & siccandi vi præditum ex cibis boni succi & facilis concoctionis.

Pro potu ordinario dedi Cerevisiam Bernaviensem & vinum Rhenanum absinthites, qvatenus crudos humores optimè concoqvit, & viscera roborat.

His methodicè adhibitis, urinæ coloratiores reddebantur, imminutâ etiam magnâ ex parte materiâ illâ pultaceâ. Ex toto itaqve ut liberaretur Æger, denuò corpus pargavi, tandemq; ad vitiosorum humorum reliqvias absumendas, seriqve abundantiam per sudores eliciendam, decoctum rad. Chinæ & ligni sancti exhibui, cujus usu aliqvandiu continuato non tantum urinæ in melius commutatæ, dolore inter mingendum penitus sublato; sed & corporis totius habitus ex morboso & sqvalido in vividum floridumqve redactus, adeò ut reducem obvius qvisqve cum admiratione & gaudio exciperet, & viro de Patriâ optimè merito, tam feliciter recuperatam valetudinem gratularetur.

CASUS XLIV.

Mictio freqvens à vesicæ angustiâ.

Stanislaus Japowizky Bohemus, ordinum in exercitu Cæsarea structor, à primis intunabilis freqventi mictione urgebatur adeò ut rarò ultra horam unam vel ad summum duas ab Urinæ excretione se contineret & hoc citra dolorem etiam qvoad cætera sanus & vegetus.

RESOLUTIO.

Mictio freqvens & intempestiva plures habet causas: Interdum enim à constitutione renum calidâ, serosum humorem avidius attrahente proficiscitur; nonnunqvam ob frigidam renum & vesicæ intemperiem facultas eorundem retentrix labefactatur; sæpè urinarum acrimonia vel calculus excretricem stimulat, sic & exqvisitior vesicæ sensus, vel imbecilla renum constitutio & laxitas, vel potatio freqvens & larga, aut venus immoderata has partes debilitans, vel consuetudo & assuefactio aut esculenta vel potulenta aut medicamenta vim diureticam habentia, occasionem affectui huic præbent.

In præsenti autem casu, nihil horum qvàm curiosè etiam singula perveſtigarem, deprehendere potui, unde in eam deveni sententiam, veram mictionis hujus, qvæ citra ullum dolorem & urinarum ardorem tot annis hominem aliàs sa-

ſanùm adeò freqventer urget cauſam in mala conformatione & anguſtia veſicæ conſiſtere, qvod ipſum & eventus docuit: Cum enim in conflictu ſclopeto trajectus occubuiſſet, cadaver defuncti aperui, viſceribus omnibus etiam renibus naturaliter conſtitutis & ex omni parte ſalvis ſolâ veſicâ adeò parvâ ut vix ovi anſerini magnitudinem adæqvaret & liqvoris uncias tantummodò qvatuor cum dimidiâ contineret.

Simili mictionis freqventiâ affectum novi virum generoſum & ſtrenuum, Dn. Georgium Fleetvoodium, exercitus Suecici excubiarum præfectum generalem, qvem Urinarum ſtimulis laceſſitum etiam inter dapales Principum epulas & illuſtrem Gynæcei conſeſſum ſingulis ferè horarum momentis è menſa ſurgere non rarò vidi, eandem fortè ob cauſam, cujus ſuprà memini, cum alioqvin optimæ conſtitutionis eſſet & ſatis temperanter viveret, nullis unqvam renum aut veſicæ aliarumqve partium morbis tentatus.

CASUS XLV.

Μονόρχης, multorum liberorum pater.

STephanus Manteuffel / Nobilis Pomeranus, puer ſeptem circiter annorum *exſectione herniæ carnoſæ teſticulum dextrum amiſerat, adultus corporis ſterilitatem metuebat anceps de ineundo conjugio; jecit tandem aleam, nec infeliciter, trium enim uxorum legitima ſucceſſione maritus, liberos genuit qvindecim, utriusq; ſexûs, tam mares, qvam fœminas, ipſe jam qvinqvagenarius ſatis potens & vegetus.*

RESOLUTIO.

Caſum hunc annotandum duxi, qvia rarus & inter medicos controverſus; Sunt enim ex recentioribus nonnulli qvi etiam eos qvi teſticulis planè deſtituuntur coire & generare poſſe, ſtatuunt.

Sic Cabrolius refert, qvendam cum virgini vim feciſſet, atqve eâ de cauſſâ ſuſpenſus eſſet, cum ſecaretur ſine teſtibus tam exterius qvam interius inventum fuiſſe; Et juvenem XXI. annorum ſine teſtibus natum, iniiſſe matrimonium & filios generaſſe: Cui adſtipulatur Smetius exemplo cujusdam maniaci, qvem utrumqve teſticulum ſibi extraxiſſe & poſtmodum ſanæ menti reſtitutum, uxori maritale debitum cum ſeminis profuſione, ſolviſſe narrat. *In Miſcell. p. 525.*

Verùm cum ad exempla modò allata rectè reſponſum ſit à Sennerto in qvæſtione An Eunuchi generent,

veris cum aqvâ noſtra Hypnotica extractam, poſtea & laudanum opiatum præſcripſi.

Intereà vulnus decenter obligatum, Ægerqve cibis optimè nutrientibus, juſculis Caponum conſumatis, amygdalinis, hordeaceis, panatellis, ovis ſorbilibus, carnibꝰ pullorum, perdicum, avium montanarum, vitulinis, vervecinis & ſimilibus ſubinde refectus eſt, donec ſenſim convaleſceret: in hunc usq; diem qvo hæc ſcribo ſuperſtes qvidem, ſed

—— qvantum mutatus ab illo Hectore!

Qvi enim anteà optimo corporis habitu præditus, benè coloratus vegetus & ad omnes actiones promtus expeditusqve videbatur, nunc pallidus, elumbis & ad qvævis negotia tardus ſomnolentusqve deprehenditur. Tanta nimirum vis eſt teſtium, ut iis ablatis, totum corpus immutetur.

Unde à Galeno 1. de ſemine inter partes principes numerantur & pro altero innati coloris fonte habentur.

Vid. infra ſecus qvidem ſentire videtur Solenander, dum teſticulorum ad valetudinem corporis uſum planè nullum eſſe ſcribit; verùm experientia aliud evincit, nec conceditur qvod de eqvis caſtratis aſſerit, eos robuſtiores eſſe non caſtratis, pingviores qvidem reddi certum eſt, ſed non animoſiores aut robuſtiores, manifeſtum hoc eſt in tauris qvi boves caſtratos, cæteris paribus longè ſuperant, & in gallis gallinaceis, qvorum unus vel ſeptem capones caſtratos in fugam agit.

Qvod verò munia virilia tàm in adminiſtrandâ Republicâ, qvàm gerendis bellis caſtratos, felicius obire autumat, in eo qvidem maximè fallitur, neqve enim Ajacem, Alexandrum, Scipionem, Annibalem, Agamemnona aut Lycurgum, Numam Pompilium, Zenonem aut alios Rerumpublicarum adminiſtratores vel belli Duces ſine teſtibus fuiſſe vel caſtratos legimꝰ, ſed potius ἐνόρχους benè mutoniatos & in venerem proclives, ut ex Hiſtoriarum monumentis conſtat. Etſi enim illi qvi uno teſticulo nati. Sunt, qvi ve amiſerunt à Divo Trajano libro 49. Pandectarum juris titul. 16. de re militari ad belligerandum habiles declarentur, cum & Sylla & Cotta eo habitu naturæ fuerint, attamen qvi utroqve teſticulo carent, pro morboſis habentur in l. 6. §. ult. & l. 7. ff. de edict. ædil. curul. ubi teſticuli neceſſaria pars corporis appellantur. Et Galenus teſticulos inter partes principes numerat & alterum innati caloris fontem ſtatuit in libris de ſemine & in arte parva: Hic veluti Lares focumqve contineri vult,

qvo universum corpus incalescit, unde veteres Ægyptii in suis Hieroglyphicis, ut Regem ipsis ademptum totasqve ejus vires fractas significarent, Typhonem castratum pingebant. Maxima namqve & incredibilis testium vis est, non modo ad fœcunditatem, sed etiam ad temperamenti, habitus, substantiæ & morum alterationem, ut prolixe demonstrat Andreas Laurentius in Historiâ Anatomicâ lib. 7. Qvæstione 1. & seqventibus Sennert. Instit. lib. 3. part. 1. sect. 2 c. 6. Bartholinus in Instit. Anatomicis lib. 1. cap. 22. Vidus Vidius lib. 5. de anatome cap. 9. Et manifestum hoc est in castratis, de qvibus Avenzoar Arabs: In Evnuchis (inqvit) prætenuem vocem audimus, malos agnoscimus mores, rationis sunt pessimæ, nec ferè inventus est aliqvis exsectus bonæ legis, aut intellectus non diminuti &c. unde nec Papa ad Ecclesiæ gubernaculum admittitur, nisi habeat bona genitalia: fides sit penes Platinam.

CASUS XLVII.

Gonorrhæa ex semine calido & acri.

D*N. CAROLUS d' ARBOES Toparcha in Moyen &c. intemperie Epatis & renum calidâ affectus, viniq; generosioris potui assvetus invitâ seminis profusione tenebatur cum aliqvali dolore, priapismo & totius corporis debilitate.*

RESOLUTIO.

Involuntarium hoc seminis profluvium à calido & mordaci semine proficiscitur, qvatenus vitio objecti facultas expultrix irritata ad expulsionem insurgit, succumbente qvasi & cedente, ut Galenus lib. 6. de locis affectis, capite ultimo loqvitur, retentrice.

Semen acre & calidum ex sangvine simili, ob Epatis & renum calorem producitur.

Dolor ab acrimoniâ seminis excitatur.

Priapismus à spiritu vaporoso, qvo semen calidius abundans fistulosum penis nervum, inflat, oritur.

Corporis totius debilitatem nimia seminis profusio inducit, qvatenus calorem nativum dissipat, & absumit.

In curatione potissimum ad intemperiem renum & Epatis respiciendum erat, qvæ ut commodius alterari & emendari posset, primò corpus ab humoribus calidis & biliosis liberavi, oblatâ potiunculâ ex cholagogis:

℞. Rhabarb. elect. ℥iij.
myrobal. cheb. ℥iß. Cinamom. ℈j
Infund. per noct. in aq. cichor. & Endiviæ ana ℥iß.

Manè

Manè colentur, add.
Syrup. de cichor. c. Rhabarb. ℥vj
de tribus ℥iij
Spec. electuar. de ſucco roſar. ℈ß. M.

Hinc ad ſanguinem in corpore plethorico minuendum phlebotomiam in cubito brachii dextri inſtitui.

Porro Epatica qvædam frigida & nephritica exhibui, additis qvæ ſeminis tenuitatem & acrimoniam corrigerent e. g.

℞. Rad. fragar. acetos. cichor. ana ℥vj
Flor. Endiv. mj. ſcariol. plantag. ana mß.
Flor roſar. rubr. mj. nymphææ cichor. ana mß.
Sem. lactuc. melon. Endiviæ, Cytonior. portulac. ana ℥ij
Lign. ſantalin. rubr. ℥iij
Groſſo modo conqvaſſata coqvantur ex ſ. q. aq. ſimpl.
℞. Colatur. ℔iß. Add.
ſyr. corallin. Qvercet. ℥iij.
Mivæ Cytonior. ℥ij. M.
pro 7. doſib. manè aſſumendis.

Poſt meridiem duabus circiter ante cænam frugalem horis obtuli Electuarium magnitudine nucis juglandis delibandum:

℞. Conſerv. roſar. rubr. veter. ℥iij
rad. cichor. ℥ij
Condit. lactuc. hiſpan. ℥iß.
Carn. cytonior. ℥vj.
Spec. diatr. ſantal. ℥ij.
Corall. rubr. præp. ſuccin. alb. præpar. ana ℈ij. balauſt. ℈j
ſem. portulac. plantag. ana ℥j
mivæ cytonior. q. s. M. F. Electuar.

Interdum Emulſionem ſeminis Cannabini & 4. frigid. major. cum aqva flor. nymph. & roſarum extractam propinavi.

Extra ceratum ſantalinum alutæ inductum Epatis regioni applicui, ſimulqve pro ſpinæ, lumborum & teſtium inunctione præſcripſi tale linimentum:

℞. Ol. cytonior. nymphææ, roſar. myrtin. ana ℥ß.
mucilag. ſem. pſyllii & cytonior. c. aq. roſar. extract. ana ℥ij
Pulv. flor. nymph. roſarum tragacanth. ana ℥j
Camphor. gr. XI. Ceræ albæ q. s. M. F. Unguentum.

Victum commendavi refrigerantem proſcriptis valde ſalitis, aromatiſatis, acribus, mali ſucci & difficilis concoctionis, pro potu ordinario dedi cereviſiam Colbergenſem & cum ægrè à vino abſtineret, conceſſi dilutum & tenue, ſicqve Virum Nobiliſſimum à turpi & moleſtiſſimo affectu, DEI gratiâ, liberavi.

CASUS XLVIII.

Gonorrhæa ex impuro coitu.

Illustris qvidam Baro, natione Austrius, postqvam cum meretrice lue venereâ infectâ ebrius concubuisset, paullò post materiam qvandam subcitrinam è vasis spermaticis sine sensu emittebat, tractu temporis accedebat ardor in emictione ad modum dysuriæ acrius stymulans, membrorum omnium lassitudo, & capitis circa vesperam plerumq; ingravescens dolor.

RESOLUTIO.

Seminis profusionem qvam Illustris Baro patitur, non esse simplicem sed virulentam & malignam ex modò dictis patet: Incalescentibus namqve in congressu venereo membris genitalibus & poris eorundem reclusis, facile per contagium ab infectâ meretrice, communicari potuit malignitas.

Materia subcitrina è vasis spermaticis promanans, corruptum semen est. Cum enim vapor ille malignus, per impurum concubitum testiculis & vasis genitalibus primùm communicetur, semen inde corrumpitur & pro bono semine generatur humor fœtidus & corruptus, qvi naturam ad excretionem stimulat.

Accedit *ardor & dolor* à materiâ sensim putrescente, acrimoniam acqvirente & partes erodente.

Membrorum lassitudo & totius corporis gravitas à sanguine infecto & qvasi alienam naturam induente proficiscitur.

Dolor capitis ab humore venenato & maligno partes membranosas & sensiles afficiente, excitatur.

Sub vesperam ingravescit propter motum materiæ & eventilationem ab incipiente noctis frigore, occlusis poris impeditam.

Cum recens adhuc esset malum, curatu facilius fore prædixi, modò fomes idoneis medicamentis & convenienti victûs regimine subtrahatur & malignitas alexipharmacis expugnetur.

Præmissâ itaqve viarum communium evacuatione, phlebotomiam basilicæ dextri brachii institui, ut natura onere sanguinis copiosi qvodammodo liberaretur.

Hinc ad humorum vitiosorum præparationem tale præscripsi digestivum.

℞. Rad. fænicul. Enul. Scorzoner. ana ℥vj
Herb. fumar. scordii. Capill. Veneris.
Card. B. scolopendr. ana mß.

Flor

Flor. calendul. scabios. borrag. ana p.j.
Sem. fœnicul. ʒiij. citri ʒij.
Incisa & conqvassat. coqvantur ex aq. fumariæ q. s.
℞. Colatur. ℔ij. Add.
Syr. de fumar. ℥j. oxymel. sqvillit. ℥j spir. ♎is. gt. xiij
M. pro octo dosibus mane & vesperi assumendis.

Materiam hoc modo præparatam evacuavi pilulis seqventibus:
℞. Extract. panchymag. Crollii Hellebor. nigr. ana ℈ß.
Resin. Gialapp. gr vij
Ol. stillat. citri gt. iij.
M. c. syrupo fumar. q. s. F. pilulæ No IX. deaurentur fortiter.

Cum non satis educta videretur materia, repetivi usum digestivi & postmodum subjunxi potiunculam purgantem:
℞. Decoct. nostr. laxativ ℥ij
Extract. helleber. nigr. ℈ß.
Pulv. Gialapp. tinct. c. Essent. croci gr. vij
Aq. cinam. ʒij. M.

Purgato sufficienter corpore ad morbum ipsum ejusqve malignitatem exterminandam decoctum ligni aliqvod matutinis exhibui, provocatis in Laconico sudoribus:
℞. Rasur. ligni Gvajac.
Sarf. parill. ana ℥iiij
Cort. lign. sanct. ʒvj
Infund. in aq. fluvial. puriss. ℔vj.

Stent benè tecta in loco calido per Horas XXIV. postea coq. in diplomate ad consumtionem tertiæ partis, in medio coctionis add.
Rad. liqvirit. Enul. ana ℥ß.
Cinamon. acutiss. ʒiij
Sem. anis. fœnicul. ana ℥ij.

Postqvam septies sudasset, denuo exhibui potiunculam purgantem suprà descriptam.

Cum vires qvodammodo viderentur languescere, qvietem naturæ concessi exhibitis analepticis & cibis boni succi, qvibus intra triduum refectus, decoctum ligni reassum sit, usumqve ejus absqve molestiâ per dies XIV. continuavit, interpositâ die VII. purgatione, qvam etiam sub finem repetivimus felici successu, paucis enim ad Gonorrhæam peculiariter facientibus, exhibitis, & observatâ convenienti diæta, qvalis infra in curatione luis Venereæ describitur, convaluit Æger.

CASUS XLIX.

Gonorrhæa ex freqventi manstupratione.

Iuvenis qvidam, Jurium studiosus, constitutionis sanguineæ & per naturam in Venerem proclivis, æstro libidinis & coëundi appetentia sæpius tentabatur, qvam ut compesceret, titillante virilia manu semen eliciebat,

bat, idqvè freqventer & fingulis ferè diebus, ut ipse fatebatur, bis, ter & amplius, tandem in Gonorrhœam incidit, cum insigni virium & totius corporis debilitate.

RESOLUTIO.

Cauſſam iſtius Gonorrhææ vaſorum ſeminalium laxitatem eſſe, judico, qvatenus ex freqventi manſtupratione veſiculæ ſemen continentes toties inanitæ, iterumqve repletæ laxitatem contraxerunt, id qvod etiam ab humorum affluxu fieri qvandoqve ſolet.

Corporis totius debilitas ab intempeſtivâ & nimiâ ſeminis profuſione proficiſcitur.

Qvemadmodum enim ſemen intempeſtivè retentum corporis totius gravitatem inducit & ſi corrumpitur, graviſſima ſymptomata excitat; Ita nimium excretum calorem nativum disſipat, cruditates cumulat, nervos lædit, mentem hebetat, & univerſum corpus debilitat.

Ut itaqve facultas retentrix labefactata roboraretur & vaſorum ſeminalium laxitas emendaretur, adſtringentia qvædam interna & externa præſcripſi:

℞. Rad. tormentill. fragariæ, biſtort. ana ℥ß.
Flor. roſar. rubr. mj. balauſt. p. j.
Cort. granat. ʒiij. ſucc. acaciæ ℥ß
Sem. berber. ʒij. Caſſ. lign. ʒiij
Mixta infund. in vini rubri ſtiptici ℔iiij
Add. ſpir. ⊕li gt. XXI.
Extrah. tinctur. lento calore B. M.
Colatur. add ſyrupi corallini Qvercetan. ℥vj. M.

De hac tinctura bibat ſingulis matutinis uncias V. cum jejunio trium horarum.

Veſperi decumbens confectionem ſtipticam *Mynſichti* vel ſubſeqvens Electuarium delibet:

℞. Conſerv. roſar. veter. ℥iiij
Carn. cyton. condit. ʒvj
Nuc. indic. condit. ʒv.
Medull. nuc. indic. condit. ʒij
Pulv. tormentil. balauſt. ana ℈ij
terr. ſigill. coral. rubr. pr. ana ℈j.
C. Cervi uſt. pr. ℈iß.
M. c. ſyrup. granator. acid. q. s.
F. Electuarium.

Extra uſurpetur tale Unguentum:

℞. Ol. roſar. myrtin. maſtich. ana ʒvj
Bol. armen. terr. ſigillat. balauſt. ana ℈iß.
Ceræ albæ parum M. F. Unguentum molle.

His per integrum menſem adhibitis à turpi hoc malo liberatus eſt æger; Monui inpoſterum à tam nefan-

nefandâ libidine abstineret, memor divinæ comminationis, qvâ ab hæreditate regni Dei excluduntur molles. Epist. Pauli ad Corinth. 1. cap. 6.

Abominandum certè & homine Christiano indignum scelus, qvod etiam Ethnici saniores detestati sunt ut videre est apud Martialem, qui hoc nomine acriter reprehendit Ponticum:

Pontice, qvod nunqvam futuis sed pellice lævâ
Uteris & Veneri servit amica manus.
Hoc nihil esse putas, scelus est, mihi crede, sed ingens
Qvantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit generaret Horatius, ut tres,
Mars semel ut geminos Ilia casta daret.
Omne perdiderat si masturbatus uterq;
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam, crede, Tibi naturam dicere verum:
Illud qvod digitis, Pontice perdis, HOMO EST.

CASUS L.

Appetentia Venerea ex usu Medicamenti purgantis.

Hugo Potter Locumtenens tempore verno præservationis gratia medicamento purgante usus, cum nullam inde operationem perciperet, sumto jusculo carnium in Somnum incidit, expergefactus ingentem pruritum & stimulum ad Venerem sensit, adeò ut continere se non posset, qvin Uxorem adstantem comprimeret.

RESOLUTIO.

Medicamenta purgantia interdum venerem stimulare à Platero *Observ. lib. I.* & aliis observatum legimus & memini Episcopo cuidam in Poloniâ id ipsum accidisse, cui cum Serenissimi Regis SIGISMUNDI III. Archiater pilulas Caryocostinas exhibuisset, nec ulla per alvum aut vomitum subseqveretur evacuatio, tentigine & stimulo Veneris correptus, errorem in præparatione medicamenti commissum suspicabatur, qvod cum Pharmacopæus Vir alioqvin integerrimus, constanter negaret, pro tentatione diabolicâ habuit precibus & jejuniis superandâ.

Caussam hujus rei nonnulli referunt in aromata purgantibus mixta, qvibus semen acrius & calidius

dius reddi & Venerem proritari existimant.

Verùm cum aromata exiguâ admodum qvantitate & tantum correctionis loco purgantibus misceantur, non video qvomodo Venerem stimulare possint, cum etiam longè copiosius in cibis sæpè assumta, nihil tale præstent.

Alia itaqve indaganda videtur caussa, qvam ego acrimoniam illam esse puto, qvæ ferè in omnibus electivè purgantibus deprehenditur, cujus vi facultas expultrix ad seminis excretionem stimulatur, præsertim si in corpore detineatur medicamentum, verisimile namqve est cum nec per inferiora aut superiora excerni possit, vim suam in alias corporis partes diffundere, qvemadmodum videmus frustratâ purgantium per consuetas evacuationum vias operatione, sudores plerumqve copiosissimè erumpere, vel urinas affatim emitti. Si qvis tamen hoc non acrimoniâ sed peculiari qvadam vi & proprietate purgantium fieri putat, cum eo non litigabo.

CASUS LI.

Impotentia Venerea.

Vir qvidam Nobilis temperamenti frigidi & humidi, facie pallidus, verecundiæ & castitatis amans, venerem juvenilibus annis nunqvam expertus, tandem anno ætatis qvadragesimo Conjugem sibi eligit virginem lepidissimam, maritali officio inter initia sat gnaviter functus, mox in Venerem langvidior non nisi longo conatu pa[illegible] & aqvosi seminis impetravit elicium, nunc flaccescente & ad extensionem minus prompto veretro, consilium nostrum imploerat ἀτεκνος.

RESOLUTIO.

Impotentiæ virilis multæ qvidem sunt causæ, potissimum tamen inducitur

1. A seminis cruditate, paucitate vel defectu.
2. A spiritibus vitalibus, qvorum beneficio membrum virile inflatur & distenditur, paucis vel deficientibus.
3. A musculorum penem attollentium resolutione sive paralysi.
4. Ab incantamentis.

In præsenti casu seminis cruditas & paucitas, spiritumqve vitalium penuria videtur in culpâ esse.

Semen crudum est & paucum propter intemperiem frigidam & debilitatem viscerum coctione de[illegible]natorum, ventriculi nimirum & hepatis, ob qvam coctio alimentorum

rum

rum minus rectè perficitur & sanguis crudus & aquosus generatur.

Spirituum vitalium penuria à materiæ ex quâ generari debent, nempe à spirituum naturalium & boni sanguinis defectu proficiscitur. Cum enim ob malam viscerum concoctionis dispositionem bonus sanguis, ut dictum, non generetur, nec spiritus naturales nec vitales sufficienter generari possunt.

Semine itaque existente pauco & crudo natura ad excretionem non stimulatur, nec penis deficientibus spiritibus erigitur. Quapropter allaborandum, ut intemperies Epatis & ventriculi corrigatur & materia seminis & spirituum, sanguis nimirum bonus generetur, quod ut commodè fiat, obstacula, humores nempe vitiosi, qui calorem nativum quasi obtundunt, prius removenda.

Præscripsi hoc nomine vinum Elenites laxativum, cujus usu blandè & per vices corpus purgaretur, veritus ne per fortiora vires per se imbecillæ magis dejicerentur, calorque nativus debilis, planè extingueretur.

℞. Rhabarb. el. mechoac. alb. ana ʒij.
Agaric. trochiscat. ʒiij.
Fol sen. f. f. ℥ß. Cinam. ʒiß.
Zingib. alb. ℈ij. Caryoph. ℈ß.

Incisa & conquassata infund. in vini Elenitis ℔iß per noctem, manè exprimantur leniter & colentur.

Evacuato corpore ad ventriculi & Epatis intemperiem frigidam alterandam ordinavi Electuarium, singulis matutinis quantitate nucis juglandis assumendum;

℞. Conserv. flor. betonic. ℥iij.
anthos, fumar. ana ℥j.
Condit. cort. citr. Zingiber. Chinens. ana ℥is.
Spec. diacinamom. aromat. rosat. ana ʒj.
Spirit. citr. ʒj. M. c. syr. de Cinamom. q. s. F. Electuarium.

Vesperi circa horam decubitus exhibui sequentis mixturæ cochlearia iij.

℞. Aq. nostr. Epatic. calid.
stomachal. ana ℥iiij.
Cinamom. ℥iij
spir. mastich. ʒij. M.

Interdum loco hujus mixturæ Tincturam Cassiæ ligneæ, vel Elixir stomachale Matthioli, aut aquam vitæ albam Dresdensem delibandam obtuli.

Extra ventriculus & Epar tali linimento mane & vesperi inuncta sunt:

℞. Ol. absinth. mastichin. Nardin. ana ℥j. Nuc. moschat. per express. fact. ʒij.
Ol. stillat. fœnicul. gt. XI.
Lign. Rhod. gt. vij.
M. F. Unguentum.

Intereà ad sanguinis boni & ex hoc se-

ſeminis & ſpirituum generationem promovendam commendavi cibos evchymos & facilè alterabiles, calefacientes & moderatè humectantes, juſcula Caponum conſumata, vel è vino aut cereviſiâ cum ovis, croco & macere præparata; Emulſa è piſtaciis, pineis, amygdalis cum aqua borraginis & Cinamomi parata.

Ex carnium cenſu laudavi boves juvenculos, vitulos, hædos, porcellos, agnos, verveces, laſcivas capellas, capones, turdos, alaudas, turtures, pipiones, regulos, paſſeres & horum cerebella.

Piſces conceſſi ſaxatiles, fundulos, truttas, lucios, percas, melanuros, certas, praſios &c.

Ex conchyliis, oſtrea, limaces, gammaros.

Ex fructibus, amygdalas, piſtacia, pineas, ficus, paſſulas, dactylos nuces juglandes, ponticas recentes & decortabiles, caſtaneas, pyra moſchatellina, ſcolymum eſculentum, aſparagum &c. Pepones, melones, cucumeres, lactucæ & omnia frigida exulent.

Embammata ſint è vino cum caryophyllis, cinamomo, Zingibere, ſaccharo, ſinapi, naſturtio, rapunculis &c. Acetum & omnia acida proſcripſimus.

Panis ſit è tritico puriſſimo ad ſaturitatem excoctus, interdum panem Martium vel Imperatoris bis coctum vel vitæ dictum deguſtet.

Potus ordinarius ſit vinum Rhenanum vel Malvaticum aut Rhetícum, imprimis vulturinum, vel Cereviſia melioris grani & benè defecata. Vitetur ebrietas & triſtitia, animus ſit tranquillus, curarum expers, & hilaritati quantum poſſibile, deditus.

Tandem & ſpecifica quædam venerem ſtimulantia commendavi, ſucculadam ſcilicet Indorum, Tincturam Diatrion piperion, Eſſentiam Satyrionis, confectionem pacificam Mynſichti & imprimis ſequentem mixturam:

℞. Succuladæ Indor. veræ ℥iß.
Conf. Alkerm. Monſpel. ℥j
Ambræ gryſeæ ℈j
Ol. ſtillat. macer. Cinamom. ana gt. XI.
Eſſent. Satyrion. ℥ß.
Syrup. de Cinam. q. s. ut
Fiat quaſi opiata.

Ad perinæi, lumborum & teſtium inunctionem præſcripſi balſamum,

℞. Ol. nuc. moſchat. expreſſ. ʒvj.
Balſam. de Peru ʒij
Ol. ſtillat. macer. gt. IX.
caryophyll. gt. vij
Zibeth. ℈j. Moſch. gr. v.
M. F. balſamus.

Interdum & fomentationes inſtitutæ, nihilque omiſſum, quod ad ſopitæ Veneris ſuſcitationem facere poſſet, nec ſine ſucceſſu, vigori enim ſuo reſtitutus æger

Nova

——— *Nova prælia tentat,*
Et superincumbens nodis & cortice duro
Intorquet summis adnixus viribus hastam.

CASUS LII.

Salacitas nitro curata.

FIdicen quidam Glandensis; *Vir quadratus & validi femoris, facie & capillamento ruffus, temperamenti calidi, vehementi Veneris desiderio subinde tenebatur, ut nullis, etiam per exigua horarum intervalla, repetitis congressibus satiari posset, unde sibimetipsi quasi infensus & iræ divinæ scortatoribus incumbentis; metuens, auxilium meum implorabat.*

RESOLUTIO.

A seminis copiâ salacitatem hanc excitari ipsa corporis constitutio & sanguinis abundantia innuit. Accedit vasorum semini generando inservientium calor nimius, quo mediante & sanguis attrahitur copiosius &, in semen mutatur citius.

Ad imminuendam itaque sanguinis copiam, evacuato corpore, phlebotomiam in cubito dextri brachii institui.

Mox pro calore totius & imprimis vasorum seminalium restinguendo refrigerantia quædam præscripsi:

℞. Aq. Nymphææ, Lactuc. portulac,
Endiviæ ana ℔j.
Aceti rosac. ℥j.
Sacchar. albiss. ℥ij. M.

Bibat singulis matutinis cyathum unum vel duos; Vesperi Emulsiones 4. seminum frigidor. majorum cum aquis modò descriptis, extractas, exhibui.

Extra etiam topica quædam refrigerantia renum & lumborum regioni applicui:

℞. Unguent. refriger. Galen. ʒvj
Mucilag. sem. psyll. c. aq. lact. extract. ℥ß
Ol. violar. nymph. ana ʒij.
sacchar. ♄i ℈ij Ceræ alb. q. s. M.
F. Unguentum.

Diætam commendavi tenuem & sobriam, proscriptis aromatibus cibisque calidis & acribus, raphano imprimis, porro, cæpis, allio, sinapi, rapis, pastinaca, ovis, lacticiniis & ejusmodi venerem stimulantibus eduliis.

Cerevisiam bibat secundariam vel quod melius aquam, sine Cerere namque & Baccho friget Venus.

His non proficientibus denuo sanguinem detraxi & majoris refrigerationis ergo serum lactis caprini cum seminibus 4. frigidis per integrum mensem exhibui, & cum

ne sic quidem immensa in Venerem sedari posset propensio, specifica quædam semen exstinguentia præscripsi, saccharum imprimis Saturni, aquam Castitatis, succum lactucæ recenter expressum, Emulsionem seminum cannabis, pulverem crystalli & id genus alia.

Monui præterea, ut ad evitandas vagas libidines legitimum Conjugium iniret, cum melius sit nubere quam uri; paruit consilio & ductâ in uxorem villici cujusdam filiâ satis robustâ & vegetâ, paullò mitius agere visus est; verùm cum & hanc delassasset, ad ingenium rediit fornicator insatiabilis, aliudque remedium, præter anteà usurpata petiit; Commendavi preces & jejunium, sed cum illis nihil se juvari, hoc verò ventrem non ferre prætenderet, extrema pati & castrari potius quam assiduæ libidini cum æternæ salutis jactura, inhærere maluit.

Ego operationem periculosam propter subsecuturæ vitæ & valetudinis incommoda intermittendam vel ad tempus differendam esse censui.

Ille contra acrius instare & castrationem vehementer urgere, quin & munusculis assensum renitentis conciliare annitebatur. Oblato enim equo tolutario, non contemnendæ formæ, desideriis suis ut satisfacerem, instanter rogabat.

Fateor me hic in ruborem datum, cum domestici immensæ libidinis ignari ex me quærerent, quid sibi vellet Fidicen toties me interpellans, cum ne minimum quidem morbi alicujus in homine robusto & vegeto appareret vestigium, & parum aberat quin importunissimum fututorem sectioni subjicerem: Hæsitanti tamen & ulterius deliberanti in mentem venit, quod olim Patavii ab Excellentissimò Prævotio audieram; Nephriticum quendam diuturno nitri præparati usu à renum calculo perfectè liberatum, sed postea ad rem Veneream prorsus inhabilem redditum. Feci periculum & singulis matutinis & vespertinis nitrum in aqua Nymphææ solutum exhibui, cujus usu diebus circiter triginta continuato, adeò deferbuit, ut uxori demulcendæ vix sufficeret; Dignus Fidicen, qui Messalinæ temporibus vixisset.

Quæ resupina jacens multorum absorbuit ictus
Et lassata Viris nondum satiata recessit. Juv. Sat. 6

BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
von Güldenklee

CASUUM MEDICINALIUM

LIBER QUARTUS
DE
MORBIS MULIERUM.





GENEROSISSIMÆ
FOEMINARUM
TRIGÆ

DOMINÆ ELEONORÆ ELISABETHÆ WINTERFELDIÆ,

Viri summè Reverendi, Magnifici & Excellentissimi Dn.

DN. EOWALDI à KLEIST,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarii Intimi & Camerarii, Regiminis per ulteriorem Pomeraniam Præsidis, Capituli Caminensis Decani, Capitanei in Marienfliess, Domini in Birckenvverder, Timmenhagen, Raddavv & Zadkovv. &c. Conjugi longè Svavissimæ.

DOMINÆ ANNÆ DEVITZIÆ,

Plurimum Reverendi, Nobilissimi & Excellentissimi Dn.

DN. MATTHIÆ à CROCKOW

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarii Intimi, Archidicasterii Orientalis Pomeraniæ Directoris & Capituli Colbergensis Præpositi, Domini in Ussecken &c. &c. Conjugi Desideratissimæ.

DO-

DOMINÆ ANNÆ SOPHIÆ KLITZINGIÆ,

Viri Generosissimi & Strenuissimi Dn.

DN. BOGISLAI de SCHWERIN,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Camerarii, Consiliarii Bellici, Fortalitiorum Pomeraniæ Gubernatoris, Ordinis S. Johannis Equitis & Commendatoris Schieffelbenensis, Domini in Oldevvigshagen, Demmitz, Lubtz & Zuchem &c. Conjugi.

Dominis meis Observandissimis.



Ulti sunt, Generosæ Dominæ, quibus cum colluctamur homines morbi, & hoc ex justa DEI in refractarium genus vindicta; Amplior tamen eorum series est, qui fœminas exercent, ac Viros, forte quòd illæ prævaricandi illecebris primùm irretitæ totam posteritatem intoxicarunt.

Magna nihilominus in sexum hunc DEI est clementia, qui cum vix detonasset, illico iræ quasi pœnitens, facta de semine mulieris contrituro caput serpentis promissione pœnam temperavit.

Insigne verò misericordiæ documentum est, quòd benignissimus PATER FILIUM sibi coæternum & unicum ex muliere nasci & assumtâ carne stupendum redemptionis opus perfici voluerit.

Acce-

Accedit clementiæ huic ipſa SALVATORIS in fœminas pronitas, dum in diebus humiliationis cum Maria familiarius converſari, Martham à mundanis ad cœleſtia revocare, adulteram abſolvere, hæmorrhouſam aliasque plures ſanare, inungentem nardo ſanctisſimum caput æternæ memoriæ adſcribere, denique moriens compunctam doloris gladio afflictiſſimam Matris animam conſolari, Johanni Filio ſuſcipiendam commendare, Victorque reſurgens fæminis primum manifeſtari ſpoliorumque primitias iisdem dividere dignatus eſt.

Magna ſunt hæc DEI miſerentis in fæminas beneficia & tanta quidem, ut per gratiam magis videantur glorificatæ, quàm per peccatum dehoneſtatæ.

Manet tamen interea immutabile maledictionis decretum, quo defectionis reæ pariendi doloribus damnatæ ſunt, & licet aliquæ ſteriles vel innubæ periculum hoc evadant, aliis tamen expoſitæ ſunt morbis & pluribus quidem, ut dictum, ac Viri: Horum curationes quàm ſint difficiles, haud obſcurè innuere videtur Hippocrates, quando librum ſuum de natura muliebri his verbis exorditur:

Oportet eum, qui morbos mulierum rectè tractare velit, primum quidem ex Diis ordiri, deinde mulierum naturas diſcernere itemq; ætates & tempora & locos, in quibus degunt.

Præclaram quidem hac in re & Veteres & recentiores Medici præstiterunt operam, adeò ut nihil deesse videatur. Visum tamen fuit etiam de meo aliquid addere, non quasi novum & rarum, sed expertum & longo usu probatum.

Congestum autem id omne est libro hoc quarto, qui cum de morbis mulierum agat, mulieribus etiam consecrandus erat, & quidem illis, à quarum splendore decus aliquod operi accedere posset.

Inter has maxime omnium Generositates Vestras deveneror, non ob generis seu antiquitatem seu nobilitatem cum aliis vobis communem, sed ob Virtutum matronalium, quæ Vobis præ multis singulares sunt, & quasi propriæ, dignitatem: Vos enim quoties intueor, quoties indolem, pietatem, fidem, modestiam, humanitatem aliasque sublimiores animi dotes mecum recogito, toties mihi Triga illa laudatissimarum Fæminarum PLACILLÆ THEODOSII, ALCESTIS ADMETI & HYPSICRATEÆ MITHRIDATIS ante oculos quasi obversari videtur, adeò ut me continere non potuerim, quin favorem vestrum devotâ opusculi hujus nuncupatione ulterius demereri aniterer, spe indubitata fretus, vel recordatione præteritorum malorum, quæ Vosmet ipsas vel alias Vobis adstantibus tetigére, non injucundum fore, forsan & utile, si accedat interpres.

pres. Interea ut exilem hunc minusque perfectum & quasi abortivum ingenii mei fœtum molliore sinu excipiatis, foveatis, obnixè peto, immunitatem ab his, quos liber iste tractat, non minùs ac aliis morbis omnibus, juxta & felicitatem perpetuam toto pectore apprecatus. Valete. Colbergæ pridie Idus Octobris Anni M. DC. LXI.

Generositatum Vestrarum

deditissimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

INDEX CASUUM
LIBRI QUARTI.

CASUS. PAGINA.

CASUUM

CASUUM MEDICINALIUM LIBER QUARTUS DE MORBIS MULIERUM.

CASUS. I.

Intemperies uteri frigida & humida cum pituita.

SABINA Uxor Martini von Heerbrodt/*signiferi, facie subtumida & pallida, de totius corporis gravitate & membrorum lassitudine spontanea conqueritur, menses inordinate fluunt, mucosi, crassi, & pauci, Veneris minus est appetens, nullaquè vel exigua in ejus exercitio voluptate afficitur, nec semen à coitu retinet ad conceptionem inhabilis.*

RESOLUTIO.

Intemperiem frigidam & humidam cum totius, tum uteri, inter alia malus corporis habitus & color ex pallido lividus arguit; Accedit gravitas membrorum & lassitudo spontanea ab humoribus pituitosis & frigidis unà cum sanguine per venas & ambitum corporis & musculos delatis, viresque gravantibus.

Menses inordinatè fluunt, mucosi & pauci, ob sanguinis boni penuriam & meatuum ab humore pituitoso & viscido obstructionem.

Veneris appetentia & voluptas nulla est vel exigua, ob seminis & spirituum in vasis seminalibus inopiam.

Semen non Retinetur, quatenus ab intemperie humida læditur facul-

tas retentrix: Nimiâ enim uteri humiditate laxantur fibræ, ut ad retinendum semen contrahere sese nequeant, ipsumque semen ob mucores quibus uterus scatet, adhærere non potest, unde ad conceptionem quoque inhabilis est, præsertim cum & attractrix facultas ab intemperie humida & frigida labefactetur, nec uterus semen attrahat & debito modo retineat.

Detectâ morbi causâ, agricolam imitatus, qui per porcas uliginem derivat, primò omnium humores excrementitios per alvum subduxi, quod ipsum ut commodius fieret, præmisso minorativo, viscidos, crassosque humores incidentibus & attenuantibus ad faciliorem transitum disposui, exhibito non ingrati saporis emulso, Decocta enim, syrupos magistrales & potiones longas nauseabunda respuebat:

℞. Rad. Enul. condit. ℥ij.
Cort. aurant. condit. ʒvj.
Incis. contundant. in mortario, postea affunde
Aq. pulegii, arthemis. hyssop. meliss. fœnicul. ana ℥iij
Exprim. fortissimè & colentur. Add.
Aq. vitæ mulier. Cinam. ana ℥ij. M.

Sumat mane & vesperi Cochlear. tria vel quatuor.

Hinc materiam præparatam evacuavi vino laxativo, cujus hæc est compositio:

℞. Agaric. trochiscat. ℥ß.
Mechoac. alb.
Gialapp. Turbith. Elect. ana ʒij.
Fol. sen. s. s. ʒiij.
Medull. semin. Cartham. ʒiiß.
Cinam. acutiss. ʒj.
Zingiber. Galang. ana ℈iß.
Caryophyll. ℈j.

Incisa & conquassata infundant. in vini Enulati ℔ij. Colatur. add. brodii radic. Enul. condit. q. s. ad gratum saporem, assumanturque singulis vel alternis matutinis unciæ tres vel quatuor.

Postmodum ad intemperiem frigidam & humidam corrigendam, calefacientia quædam & siccantia præscripsi; Essentiam scilicet Chinæ Dornavii, cum aqua melissæ dilutam, provocatis per horas matutinas in Laconico sudoribus.

Vesperi sub horam decubitus delibandam obtuli aquam vitæ mulierum vel dominarum Mynsichti.

Ad uterum speciatim siccandum & calefaciendum pessaria convenientia adhibui & suffimenta.

Tandem repetitis purgantibus phlegmagogis ad proventum vitiosorum humorum inhibendum diætam convenientem ordinavi, victum scilicet calefacientem & sic-can-

cantem ex alimentis boni ſucci & facilis concoctionis; juſcula & elixa rarius veniant in uſum, ut & piſces & quæ in aquis degunt, cibi condiantur pipere, Cinamomo, Zingibere, aniſo, fœniculo; vitentur legumina, lac & lacticinia, fructus horarii, melones, cucumeres, lactucæ &c.

Potus ſit cereviſia melioris grani & vinum generoſum, ſed paucum.

Aer ſit calidus, ſi non naturâ, artis operâ. Corpus quotidiè exerceatur, exulet otium & quies. Somnus ſit brevior, venus moderata, excretiones liberæ, mens tranquilla & ad hilaritatem compoſita. His ritè obſervatis ad temperiem rediit uterus, nunc quidem in ſingulos ferme annos modò maſculâ, modò fœmineâ prole fœcundus.

CASUS II.

Intemperies uteri calida & ſicca cum bile.

HELENA Simmerin / *Conjux Nobiliſſimi DN. HEINRICI* Manteuffels / *rubicundi coloris & in venerem proclivis, inordinato, pauco, aduſto & acri menſtruorum fluxu afficitur, caput plerumquè dolet, labia ſicca ſunt, interdum cum oris quâdam amaritudine, adſunt & alia abundantis in corpore bilioſi humoris indicia.*

RESOLUTIO.

Symptomata modò enumerata intemperiem uteri calidam & ſiccam indigitare, nullum eſt dubium.

Menſes inordinatè fluunt & pauci ſunt ob ſanguinis penuriam, quatenus is à calore nimio abſumitur & ad fluendum ineptior redditur.

Caput plerumquè dolet propter exhalationes, qui à bilioſis humoribus in corpore abundantibus ad caput adſcendunt, ibidemque meninges diſtendunt.

Labia ſicca ſunt ob vapores calidos & ſiccos, qui per Oeſophagum à partibus inferioribus ad os & labia ſubinde elevantur.

Oris amaritudo ab humore bilioſo membranam, quæ os & palatum ſuccingit, perfundente, procedit.

Præmiſsâ itaque leni viarum communium purgatione, præparantia quædam & alterantia moderatè humida & frigida præſcripſi:

℞. Rad. cichor. ℥iß. fragar. ℥ß.
Fol. Endiv. acetoſ. lactuc. ana mj.
Flor. borragin. violar. Cichor. ana mß.
Sem. melon. Endiv. ana ʒij.
Paſſul. minor. ℥iij. Inciſa & conquaſſat. coq. exſ. q. aq. hordei.

℞. Co-

℞. Colatur. ℔iß. Add.
Syr. ex succ. acetosæ, Endiv, Cichor.
ana ℥ij. succ. citr. acid. ℥iß.
M.

Capiat hujus decocti singulis matutinis uncias quatuor vel quinque.

Materiam præparatam subduxi Electuario de tamarindis cum Rhabarbaro.

Hinc iterum alterantia præscripsi:

℞. Conf. rad. Cichorii ℥iij.
flor. violar. borrag. ana ℥j.
Cond. lactuc. Hispan. ʒvj
Syr. granat. acidor. q. s.

M. F. Electuarium.

Postmodum ad pleniorem biliosi humoris evacuationem exhibui diacydonium lucidum purgans, quo cum sufficientissimè purgata esset, commendavi serum lactis caprini cum cichorio & acetosa alteratum.

Extra pro dorsi & lumborum inunctione præscripsi tale linimentum:

℞. Ung. rosat. mes. c. aq ros. diligent. lot. ʒvj. pulv. violar. rosar. pallidar. ana ʒi. nitri ℈i. M. c. ol. violar. q. s. F. Unguent.

Diætam laudavi humectantem & refrigerantem ex ptisanâ hordeaceâ cum passulis, cibis & jusculis Cichorio, Endiviâ, lactucâ, citro &c. alteratis; aromatibus, venere & vino interdixi ut & motu nimio & vigiliis.

CASUS III.

Procidentia uteri.

De hac vide Epistolarum mearum Medicinalium Lib. III. Epist. XXXV.

CASUS. IV.

Dolor uteri à potu frigidæ.

Ursula Lemckens *Uxor villici mei, fluentibus mensibus tempore messis laboribus rusticis incalescens aquam profluentis copiosè hauriens, in atrocissimos uteri dolores incidit; fluxu sanguinis menstrui penitus suppresso.*

RESOLUTIO.

Vasa uteri à potu frigidæ occlusa & coarctata statuo, quo minus sanguis effluere possit, unde in vasis subsistens, ea distendit & dolores excitat.

Vasa itaque relaxanda & sanguinis fluxus promovendus, doloresque mitigandi.

Ad

Ad postremum, qvod magis urgebat, dedi flores chamæmeli in cerevisiâ coctos cum butyro majali: Extra cataplasma ex iisdem floribus, anetho & semine lini conflatum, pectini & regioni uteri applicui; Nihil enim aliud ruri ad manus erat; Intereà ex vicinâ Colbergâ præscripsi pulvisculum ex pulegio, castoreo & myrrhâ cum aqvâ vitæ mulierum mane & sero assumendum, qvo & prius feliciter obtentum, adeò ut triduo post ad consuetas operas iterum rediret.

CASUS V.

Inflatio Uteri.

N*Obilissima fœmina M. E. V. W. temperamenti frigidi & humidi, de intumescentiâ abdominis infra umbilicum, modò auctâ, modò imminutâ conqverebatur, aderat & spirandi difficultas, hypochondriorum tensio & lumborum dolor, cum moveretur, vel manu abdomen comprimeret sonus & strepitus percipiebatur.*

RESOLUTIO.

Abdominis intumescentiam, qvam patitur ægra, ab utero esse, qvatenus flatibus distenditur, nullum est dubium.

Subsidet interdum iterumq; attollitur uterus, prout vel augentur vel minuuntur flatus, unde etiam uterus de loco in locum qvasi moveri videtur.

Respiratio difficilis est & hypochondria tenduntur, dorsumqve dolet, prout ad diaphragma & latera lumbosqve extenditur tumor.

Sonus autem & strepitus qvi ad motum mulieris & compressiones abdominis percipiuntur, indicium præbent flatus in ipsâ cavitate uteri contineri.

Hinc benè sperare jussi ægram, cum facilius curetur malum, si flatus in uteri cavitate sint, qvam si intra vasa & tunicas ejusdem detinentur.

Cum autem flatus à materiâ pituitosâ, tam in toto qvam in utero cumulatâ, ut ex corporis temperamento frigido & humido, aliisqve indiciis constat, generentur, commodum videbatur eandem evacuare, postmodum flatus discutere, intemperiemqve tàm totius qvàm uteri corrigere.

Evacuationi præmisimus præparantia:

℞. Fol. pulegii, hyssop. matricar, rorismarin. ana mj
Rad. Enul. ℥vj. Ireos ℥iij
Grosso modo incisa & conqvas. infund. in Hydromel. Lithvanic. ℔iij
In colatur. dissolv. ♀ri ⊕lat ℥ß.
M. sumatur qvovis mane & vespere cyathus unus.

Materiam præparatam evacuavimus

vimus vino enulato laxativo supra Casu 1. descripto.

Ad discutiendos flatus & corrigendam intemperiem, decoctum ligni sancti & sassafras cum seminibus anisi, fœniculi &c. per integrum mensem, observato convenienti victus regimine exhibuimus, interjectâ tamen interdum unius atqve alterius diei qviete.

Cum ventriculus esset imbecillior, præscripsi tragæam qvæ & flatus discuteret à pastu sumendam;

℞. Spec. aromat. rosat. ʒij
Cassiæ lign. acutiss. ʒiß
Cardamom. minor. ℈ij
Sacchar. rosat. tabul. ℥iiij
Ol. still. carui, fœnic. ana gt. IX.
Cinam. gt. vij
Caryoph. gt. iij.
M. F. Tragæa.

Sub horam decubitus aqvam vitæ mulierum cum essentia Zedoariæ delibandam commendavi.

Interea & externa qvædam ad discutiendos flatus & calefaciendum uterum adhibui, insessus nimirum, suffitus, emplastra, pessus & id genus alia, qvibus aliqvandiu continuatis, flatus ingenti cum sonitu ex utero per pudenda eruperunt, tumorqve abdominis ex toto disparuit. Negat qvidem Plater° in ipsâ cavitate uteri flatus contineri posse; sed experientia & exempla à Thaddæo Duno, Dodonæo, Cordæo, Höchstetero & aliis observata aliud evincunt. Rationibus autem qvas adducit, responsum est à Sennerto lib. 4. Medicin. pract. parte 1. sect. 2. cap. 9. Seneca.

CASUS VI.

Ascarides uteri.

ANNO M. DC. XXIX. Illustrissimus Dominus Dn. TORQVATUS de Comitibus, Exercitus Cæsarei Campi Mareschallus Generalis &c. edicto publico cavit, ne qvis ex Stationariis concubinam aleret, & si qva hactenus altæ fuissent, intra triduum sub pœna fustigationis removerentur: Mandato ut pareret inter cæteros Tibicen qvidam, raptam non ita pridem per vim villici cujusdam filiam monuit, ut consortio abstineret urbeq́ qvam primum excederet; Illa nexum conjugalem, qvem raptor promiserat, urgere, instantiusq́ propter ingravidationem, qvam prætendebat, flagitare; Hinc contrà acrius instare, mortemq́ ni abitum maturaret, minitari, tandemq́ obluctantem gladio confodere ausus est. Demortuæ ventrem ut subitò propter animantis spem aperirem, jussit Illustrissimus Domi-

nus Campi Marefchallus, aperui, fed præter mucofum qvid & ingentem afcaridum viventium & hinc inde obreptantium numerum, nihil in utero repertum. Sectioni ipfe Dn. Campi Marefchallus, Dn. Wallenfteinius Junior, Chiliarcha Peruffius, Baro de Goldrain, Dn. Egidius von der Myle *aliiq; plures interfuère, id qvod veluti rarum qvid & paucis vifum fcripto hoc publico, memoriæ tradere volui.*

CASUS VII.

Menfium defectus.

Illuftris qvædam fœmina ex profapia Comitum de Eberftain oriunda, Conjux Dn. A. V. D O. E. M. triginta circiter annorum, temperamenti calidi & ficci, interprete marito, pharmaca qvædam menfes moventia à me petebat.

RESOLUTIO.

Præmiffis catharcticis convenientibus dedi vinum medicatum Sennerti, qvod habet lib. 4. Medic. pract. part. 2. fect. 2. cap. 3. poftmodum Effentiam meam uterinam cum Caftoreo, Elixir proprietatis P. & id genus alia. His non juvantibus, denuo corpus purgavi, ftatisqve temporibus præcipuè circa novilunia pilulas de myrrhâ cum extracto Caftorei & Sabinæ exhibui, faphenas in pedibus aperui, fuffitus etiam & fomenta, balnea, inunctiones aliaqve ad promovendum menftrui fanguinis fluxum facientia, adhibui; Sed fine fucceffu.

In caufas pertinaciffimi affectus cum paulò accuratius inqvirerem, comperi menfes huic fœminæ per totam ætatem non fluxiffe, id qvod vitio conformationis factum puto, qvatenus vafa fanguinem ad uterum deferentia vel deficiunt, vel malè conformata aliò converfa aut contorta vel callo obducta funt, ita ut fanguis per ea effundi non poffit, qvemadmodum annotavit Fernelius Pathol. lib. 6. cap. 16. & Platerus tomo 1. prax. cap. 14. Diffentire qvidem videbatur Medicorum præfentium non nemo, exiftimans fanguinem fuperfluum in temperatura corporis calidiore & ficciore abfumi; verum aliud evincebant valetudinis incommoda, qvæ cum iis, qvæ menfium retentione afficiuntur, habebat communia, unde etiam freqventi Venarum in pedibus incifione, melius, eâ neglectâ, pejus habere vifa eft.

CASUS VIII.

Menfium fuppreffio.

MARIA, *Filia Reverendi Dn. Michaëlis Braunsber-*

bergii Archidiaconi Treptoviensis Virgo XVIII. annorum facie pallida & subtumida de inflatione ventris & hypochondriorum, difficili respiratione, angustiâ pectoris, & torpore totius corporis querebatur, aderat qvandoq; & Capitis, potissimum verò lumborum dolor; Urinæ reddebantur albæ, crudæ & spiceæ.

RESOLUTIO.

Cum ex relatione Matris, menses ultra trimestre jam substitisse, ægramqve cibis crassis, viscidis, fumo duratis, in muriâ maceratis, freqventiqve piscium esu, lacticiniis, fructibus horariis & potu cerevisiæ secundariæ delectari, intelligerem, facilè colligere potui ab humoribus excrementitiis, pituitosis præcipuè & viscidis in corpore cumulatis & sanguine permixtis, uteri venas obstrui, ut sanguis menstruus effluere non possit; Hinc

Venter & Hypochondria inflantur propter humores vitiosos copiosè ibidem latitantes.

Respiratio difficilis redditur, qvatenus ab inflatione abdominis diaphragma comprimitur ut liberè moveri non possit, unde *pectoris angustia* excitatur.

Corpus grave est & torpet ab humoribus frigidis & pituitosis unâ cum sanguine per venas ad ambitum corporis & musculos delatis.

Caput dolet, qvoties à commotâ & effervescente in partibus inferioribus materiâ, vapores cerebrum petunt, ibidemqve membranas distendendo, continuum solvunt.

Lumbi afficiuntur, à materiæ ibidem hærentis copiâ & flatibus.

Urinæ crudæ sunt & spiceæ ob debilem jecoris concoctionem & sanguinis crudioris retentionem, unde & serum aqvosius & minimè tinctum redditur.

His ita se habentibus, damnato victu, qvo hactenus usa fuerat, præscriptaqve salubriori & convenienti diætâ

1. Ad minuendum & evacuandum sanguinem in corpore detentum & cumulatum, præmisso enemate, venam in talo aperuimus.

2. Hinc ad præparationem materiæ viscidæ & crassæ vènas uteri obstruentis incidentia & attenuantia qvædam uterinis mixta exhibuimus; Manè qvidem haustum seqventis mixturæ:

℞. Aq. hyssop. fænicul. arthemis.
Meliss. puleg. ana ℥iiij
Cinam. ℥ij
Syr. nostr. aperitiv. ℥iij
de arthemis. compos. ℥ij
Spir. salis gt. XXV.
M. pro sex vel septem dosib.

Vesperi sub horam decubitus tria cochlearia aqvæ sassafras cum Cinamor

namomo destillatæ, assumenda, commendavimus.

3. Materiam præparatam potiunculâ purgante eduximus;

℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Pulv. nostr. phlegmagogi ℈j
Spir. rorismar. gt. xv.
M. F. potiuncula.

4. Peractâ feliciter purgatione, venam pedis qvatuor circiter vel qvinqve diebus ante consuetum menstruæ fluxionis tempus, denuò incidimus, ut sanguini versus uterum motus conciliaretur.

5. Postmodum ad menses moventia devenimus, exhibendo singulis matutinis pulvisculum ex myrrhâ, cinamomo, succino, bryoniæ fæcula & croco, cujus usum freqventiorem cum fastidiret, vinum chalybeatum Zacuti, qvod habet lib. 9. cap. 10. substitui, interdum & spiritum ♀ri crocatum, essentiam Castorei, tabulas croci ♂is Hartmanni. Elixir Proprietatis P. aqvam vitæ mulierum & id genus alia per vices obtuli, frictiones etiam inferiorum & pedilavia, suffitus & qvicqvid exteriorum huc facere videbatur, adhibui, sed nullo successu. Qvare denuò præparantia & purgantia præscripsi eaqve fortiora & magis penetrantia, qvin & venarum in pedibus sectiones repetii, tandemqve tincturam meam aloëticam & essentiam uterinam, potentissima in hoc & aliis affectibus hystericis remedia ex vino melissato, alternatim exhibui, donec tandem remotis obstructionum repagulis, liberè ordinateqve per menses flueret uterus.

CASUS IX.

Mensium retentio Colocynthide curata.

BEATA, Filia Viri Illustris, Domini Nicolai Kaggen Baronis de Torckmoorfy & Schüffsund, Gubernatoris Halandiæ &c. ex mensium subpressione pertinaci & diuturnâ, multis gravissimisq; urgebatur symptomatibus, adeò ut Parentes metu majoris mali cum aliorum, tum & meam implorarent opem & consilium: Verum cum ab usu Medicamentorum prorsus abhorreret, omniaq; etiam non injucundi saporis & in minimâ qvantitate exhibita, vomitu rejiceret, qvin & clysteres pudore virginali repudiaret, externis agendum esse censui, partium scilicet inferiorum frictionibus, pedilaviis, fomentis, insessibus, cucurbitulis ad crura cum scarificatione applicitis, venarum denìq; in pedibus sectionibus & id genus aliis, qvibus cum nihil proficerem, tandem umbilicalia

ex trochiscis albandali & sabinâ, suffitusq; crebriores ex colocynthide adhibui, sicq; DEO secundante, fluxum mensium feliciter elicui, id qvod & in aliis pari successu, expertus sum.

Habet namq; Colocynthis insignem incidendi, attenuandi, aperiendi & ex profundioribus locis trahendi, mensesq; movendi potentiam.

CASUS X.

Mensium paucitas & stillicidium cum dolore.

Margaretha Elisabetha Woynn, Conjux Viri Nobilissimi & Strenui Pauli von Daniiß/ *ætatis circiter XXV. annorum, constitutione corporis melancholica, paucis diebus menstruatim purgabatur, parumq; sanguinis excernebat stillatim & cum dolore, cujus cum esset impatiens, opem medicam implorabat.*

RESOLUTIO.

Sanguis eâ copiâ qvâ debebat non excernitur guttatimq; & cum dolore stillat propter crassitiem & feculentiam cum humore mordaci conjunctam & viarum angustiam, unde fit, ut tenuior solummodò pars sanguinis effluat, crassior autem relinqvatur, qvi vasa in qvibus hæret & vicinas membranas distendendo, dolorem parit, acrimoniaqve facultatem expultricem irritat & naturam ad excretionem subinde stimulat.

Sanguis itaq; crassior attenuandus, acris temperandus, feculentus depurandus, viæ angustiores relaxandæ & dolor leniendus.

Qvoad primum & secundum præscripsimus præparantia & alterantia, humori etiam melancholico convenientia:

℞. Aq. fumariæ ℥iiij. borrag. buglosſ. melisſ. gramin. arthemisſ. ana ℥iij
Syr. nostr. aperitiv. ℥ij
de arthemisſ. capil. Veneris ana ℥iß.
Spir. salis gt. xxv.
M. pro septem vel octo dosibus.

Tertium purgantibus expedivim⁹:

℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Extract. fol. sen. ℈j
Pulv. Gialapp. præp. gr. vij
Spir. melisſ. gt. xv.
M. F. potiuncula brevis.

Verum cum malum esset pertinacius, præparantia non minus ac purgantia repetenda erant & per ἐπίκρασιν materia evacuanda, qvo nomine alternis diebus, interdum tertio vel qvarto, prout ex usu & tolerantia ægræ videbatur, exhibuimus haustum vini laxativi in hunc modum præparati:

℞. Fol.

℞. Fol. sen. s. s. ℥vj.
Rad. Gialap. Turbith. alb.
Helleb. nigr. ána ʒij
Chalyb. præpar. ℥j
Fol. meliss. rorismar. ana
mß.
Cinamom. acutiss. ʒij
Syndoni inclusa immergantur vini Rhenani libris duabus vel tribus per horas 24. postea exprimantur & colentur.

Qvartum laxantibus & emollientibus, potissimum externis perfecimus, inunctionibus nimirum, fomentis & balneis.

℞. Ol. lil. albor. Chamæmel.
amygd. dulc. lini ana ℥j
adipis anserin. ʒvj
M. pro linimento pectinis & regionis uteri.

Pro fomentis & insessibus præscripsi radic. althææ, lil. albor. malvam, flor. chamæm, melilot. sem. lini, fænugr. &c. additis subinde & Uterinis specificis, non minus ac anodynis convenientibus qvibus & dolor mitigaretur. Et sic ægram ordinario & pleno mensium fluxui feliciter restitui.

CASUS XI.

Fluxus mensium nimius.

LIDMILLA, *Conjux Viri Generosi & Strenui Domini Caroli d' Arboes, Domini in Moyen, mensium fluxu nimio ultra semestre laborans, de virium languore, respirandi difficultate, inappetentiâ, tumore pedum œdematoso, aliisq; symptomatibus conqverebatur, sanguis effluens linteo exceptus apparebat albidus, aqvosus & serosus, aderant & alia humoris aqvosi & serosi, nec non uteri humidioris & laxi indicia.*

RESOLUTIO.

Cum de causâ immoderati hujus profluvii satis constaret, ante omnia allaborandum esse duxi, ut serosus aqvosusqve humor haud cunctanter è corpore eliminaretur: Solet enim humore isto seroso, qvi sanguinem fluxilem reddit & acredine sua expultricem stimulat, sufficienter evacuato, sangvinis fluxus plerumqve sponte suâ subsistere.

Qvare primo loco pulverem hydragogum ex vino melissato qvatuor ante prandium horis assumendum præscripsi:

℞. Rad. Gialapp. præpar. ℈iß.
Magister. Gummi de Goa gr.
iiij
Ol. stillat. macer. gt. j. Misce.

Deinde ad discutiendam eliciendamqve per sudores serositatum copiam, decoctum Chinæ in hunc modum adornatum, exhibui:

℞. Rad. Chinæ tessulat. incis. ℥ii
Ireos

Ireos ℥j. Galang. Caryophyllat. ana ʒij
Ligni sassafras ʒvj.
Cinam. acutiss. ʒij
Incisa & conqvassata infund. inf. q. aq. simpl. per Horas XXIV. posteà coqvantur ad tertias, paullò ante finem coctionis injiciantur
Flor. rosar. rubl. balaust. ana mß
Cott. granat. ℥ß.
ebulliant semel atqve iterum, colatura addito sacchraro paululum edulcoretur: Capiat singulis matutinis uncias qvatuor vel qvinqve & sudet sub lecto benè tecta.

Absumto hoc decocto, ægram denuo pulvere supra descripto purgavi ut si qvid humoris serosi esset in residuo, funditꝰ tolleretur.

Hinc ad Epatis intemperiem & imbecillitatem emendandam roborantia qvædam præscripsi additis & moderatè adstringentibus, qvibus uteri laxitas & fluxus inhiberentur.

℞. Conserv. rosar. rubr. antiq. ℥iiij
Cytonior. condit. ℥iß.
Spec. aromat. rosat. diarrh. Abbat. ana ʒj
Croci ♂is adstringent. ʒiij
Coralior. rubr. præpar. ℈iiij
Margarit. præpar.
Smaragd. præpar. ana ℈j
Bol. Armen.
Terr. sigill. Strigens. ana ℈ij
Syrup. corallini q. s. M. F. Electuarium, de qvo manè & vesperi ad qvantitatem nucis juglandis majoris delibetur.

Extra, hypochondrio dextro Emplastrum nostrum Epaticum, pectini autem & lumbis Unguentum Comitissæ cum bolo Armeno, mastiche & sanguine Draconis mixtum, vel qvod commodius addità pauca terebinthinâ & cerâ in formam emplastri redactum, applicetur.

De nocte spongia aceto rosaceo imprægnata muliebribus imponatur.

Qvoad victum interdixi cibis, qvi sanguinem serosum & aqvosum generant, piscibus scilicet, lacte & lacticiniis, oleribus, lactucis, melonibus, cucumeribus, fructibus horariis aliisqve crudis & frigidis. Econtrà commendavi ea qvæ sanguinem bonum & minus fluxilem reddunt, qvalia sunt ova sorbilia, carnes assæ, avium præcipuè montanarum, oryza, milium, amylum, panicum, cytonia, mespila, pyra, amygdalæ dulces & id genus alia: In fine pastus pulverem pepticum degustet:

℞. Sem. coriandr. præp. ʒiij
Nuc. moschat. galang. ana ʒj
Coral. rubr. præp. ʒiß.
Caryophyllor. ℈j
Spec. aromat. rosat. ʒij
Sacchari rosati tabulati ad pondus omni-

omnium. M. F. Tragæa.

Potus ſit cerevifia defecata non recens aut turbida, vinum rubrum, ſubauſterum vel Alacantinum, ſed parcè ſumtum.

A venere, cujus titillatione fluxus vehementer concitatur, omnino abſtineat, & qvidem longiori tempore, donec perfectè ſedatum ſit ſanguinis profluvium, qvo fine & vehementiores cum animi tum corporis motus vitentur.

Somnus conſveto ſit productior: Certum namqve eſt omnes evacuationes qviete & ſomno optimè cohiberi.

CASUS XII.

Sanguis menſtruus per vomitum rejectus.

ANNA Braunſchvveiges Conjux Nobilisſimi & Amplisſimi Dn. Chriſtiani von Kallſo/ *ætate qvadragenaria, à retento ultra biennium fluxu menſtruo ſingulis menſibus circa ultimam Lunæ qvadraturam copioſisſimum ſangvinem vomitu rejiciebat, initio à Cheirurgo ſanguinem ſiſtentia & contra vomitum cruentum facientia exhibita, à qvorum uſu cum peſſime haberet, opem meam implorabat.*

RESOLUTIO.

Ego re penitus perſpectâ memor Aphoriſmi Hippocratici. 5. Aphor. 32. Mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus fit ſolutio, omni conatu in id incubui, ut ſanguis ad uterum tanqvam ordinarium & huic evacuationi deſtinatum locum revocaretur, nihilqve eorum qvæ ad menſium retentorum provocationem qvocunqve modo facere poterant intermiſi: ſed cum etiam efficaciſſimis & exqviſitè comparatis remediis nihil proficerem, ipſaqve patiens vomitiones haſce menſtruas citra ullum valetudinis incommodum facilè ferret, naturæ negotium committendum cenſui.

Duraverunt autem hi vomitus usqve ad qvadrageſimum octavum ætatis annum, qvo ſponte deſierunt, valetudine corporis deinceps variis morbis ſubinde tentatâ, ut plerumqve deficientibus per ætatem menſibus fieri ſolet.

CASUS XIII.

Menſium fluxus undecimo ætatis anno erumpens.

VIrguncula qvædam Nobilis, conſtitutionis ſangvineæ, undecimo ætatis anno ventris torminibus freqventer afficiebatur, qvibus mitigandis cum pulverem baccarum lauri exhi-

buissent domestici, menses erupêre, ordinariè & menstruatim deinceps fluentes; duodecimo nupsit eodemq; peperit in hunc usq; diem vegeta & incolumis, pluriumq; liberorum mater.

RESOLUTIO.

Pulverem baccarum lauri occasionem dedisse fluxui menstruo tempestivius erumpenti Parentes suspicabantur: Etsi verò negari non possit baccas lauri vim movendi menstrua habere, attamen præmaturus hic mensium fluxus simpliciter medicamento adscribi non potest, sed potius peculiari corporis constitutioni, qvæ adeò maturè tantum sanguinis producit, ut in nutritionem corporis totus absumi non possit, unde tanqvam superfluus, ne naturæ oneri sit, menstruatim excernitur, qvemadmodum etiam in aliis ab Hercule Saxoniâ, Fernelio, Schenckio, &c. observatum est.

CASUS XIV.

Menstrua usqve ad septuagesimum sextum ætatis annum ordinatè fluentia.

C*ATHARINA* Leßmarinn *Conjux Viri Nobilissimi & Amplissimi Dn. Georgii Braunschwigii Consulis Colbergensis meritissimi, constitutionis sangvineæ firmiq; corporis, nullis ferè nisi levioribus qvibusdam morbis tentata, septem liberorum mater, statis temporibus ordinario mensium fluxu usq; ad septuagesimum sextum ætatis annum laborabat, qvo cessante & vires sensim decrevêre, donec septennio post, anno scilicet ætatis octuagesimo tertio è vita decederet. Qvod cum rarissimum sit, annotandum duxi.*

CASUS XV.

Fluor muliebris.

E*Lisabetha Juliana Comitissa Erpacensis, Illustrissimi Domini Dn. JOHANNIS BANNERI Serenissimæ Reginæ Regniq; Sveciæ Campi Mareschalli &c. Conjux tenuiore & pituitosiore corporis habitu prædita, facie pallida & circa oculos & palpebras subtumida, singulis ferè diebus illuviem qvandam albam & tenuem satis copiosè excernebat sine dolore, at cum languore totius, nauseâ, ructibus, debilitate ventriculi pedumq; œdematoso tumore.*

RESOLUTIO.

Humores excrementitios per mulie-

muliebria destillantes à toto corpore ad uterum confluere, cacochymia corporis indicat.

Facies pallet & circa oculos palpebrasq; tumet qvatenus partes hæ laxitate suâ humores serosos facilè recipiunt.

Illuvies alba & tenuis ex pituitâ & sero, vitio Epatis & ventriculi genitis, constat.

Copiosius excernitur, qvia à toto corpore affluit. Si enim à solo utero fluxus proveniret, materia ut solius uteri excrementum pauca foret.

Sine dolore, qvia materia acredinis & caloris est expers.

Cum languore totius, propter vitium nutritionis. Sanguis enim crudus, pituitosus & serosus non assimilatur.

Nauseam ventriculi imbecillitas excitat, qvatenus ejicere qvæ sibi molesta sunt, conatur, sed præ imbecillitate non potest.

Pedum œdema ab humorum serosorum descensu, & ipsorum à corde, fonte caloris, distantiâ dependet.

Humores itaqve vitiosi præparandi, evacuandi, ab utero avertendi & ne iterum generentur præcavendum.

Præparationi postqvam viæ communes ab infarctu liberatæ essent, destinavi emulsum meum Enulatum supra casu 2. descriptum.

Evacuationi pulvisculum ex phlegmagogis & hydragogis mixtum.:

℞. Pulv. Gialapp. præp. ℈j
Magister. agarici ℈ß.
gummi de Goa gr. iiij
ol. stillat. fœnicul. gt. ij.
M. F. pulvis ex vino absinthite hauriendus.

Aversioni egregiè profuerunt sudationes in Laconico per decoctum sarsæparillæ & ligni Guajaci ad dies plusculos, interjecto interdum & purgantium usu, continuatæ, qvibus & intemperies frigida & humida non parum emendata.

Præcautioni, ne qvid vitiosorum humorum denuò generaretur, viscerum roboratio, victusqve conveniens, optimè inserviit.

Roborantia intemperiemqve corrigentia hæc fuerunt.

Horis matutinis dedimus rosam Anglicam, vespertinis aqvam ligni sassafras cum Cinamomo destillatam: Interdum tincturam croci ♂is, essentiam nostram hypochondriacam, Elixir Proprietatis, magisterium Coraliorum & id genus alia sub auroram ex vehiculis convenientibus sumenda, obtulimus.

Diætam sic adornavimus ut cibis vesceretur boni nutrimenti & facilis coctionis, assis potius qvàm elixis, vitaret viscida, cruda & humida omnia ut & salsa, in muriâ macerata, fumo durata, dulcia, pin-

gvia, olera, fructus horarios, lac, caseum, pisces, & qvæ in aqvis degunt.

Pro potu ordinario commendavi vinum Rhenense vel Neccarinum rubrum aut Hungaricum Tockaviense.

Somno nimio & decubitu supino ut & venere animiq; affectibus vehementioribus, irâ potissimum & mæstitiâ interdiximus.

Verùm omnibus his ritè methodiceqve adhibitis cum nondum ex toto sisteretur fluor, pulverem meum specificum ex vino rubro adstringente, cum aqvâ filipendulæ diluto, repetitim exhibui & sic Dei gratia Illustrissimam Comitissam bonæ valetudini feliciter restitui. Descriptio pulveris specifici.

℞. Magister. osteocoll. ʒij. Carneol. prax. ʒiß. Corall. rubr. præp. Margarit. præp. terr. sigillat. strigens. mastich. gummi Arabic. tormentill. ana ℈j Taleol. porci præp. ʒij. M. F. pulvis.

CASUS XVI.
Chlorosis.

Barbara Margareta Filia Viri Nobilissimi Dn. C. A. K. p. m. ab anno decimo qvarto ætatis usquè ad decimum septimum menstruatim & ordinatè per uterum purgabatur: Hinc fructibus horariis & lacte, piscibus item aliisq; cibis crassis & viscidis copiosius freqventerquè ingestis, menses substitère, faciesq; & labia ex colore roseo in subalbidum & virescentem mutari, totumq; corpus, maximè crura & pedes intumescere cœperunt. Accessit & capitis dolor, ciborumq; fastidium & murmura rugitusq; ventris cum hypochondriorum tensione, interdum & cordis palpitationes molestæ erant, spirandiquè difficultas, maximè à concitatiore corporis motu.*

RESOLUTIO.

Ex pravâ victus ratione humores crudos & viscidos in corpore collectos, sanguiniqve permixtos mensium retentionem induxisse statuo, qvatenus obstructis uteri venis sanguini menstruo denegatur effluvium.

Ex hoc fonte reliqva scaturiunt symptomata:

Facies & labia pallent ab humore pituitoso & seroso ad ambitum corporis & cutem delato.

Totum corpus maximè crura & pedes intumescunt ob eorundem vitiosorum humorum abundantiam, qvorum potissima pars ad pedes decumbit.

Capitis dolor à vaporum adscensu, qvatenus membranæ cerebri ab iisdem distenduntur, dependet.

Cibo-

Ciborum fastidium impedita chyli distributio, crudiqve humoris copia excitat.

Murmura rugitusq; ventris à conclusis & hinc inde divagantibus flatibus moventur.

Hypochondriorum tensio à sanguinis ad majora vasa refluxu, dimanat.

Cordis palpitatio spirandiq; maximè post motum concitatiorem, difficultas, suboritur à vaporibus, qvi e sanguine crasso & impuro per motum incalescente, elevati, respirationis organa comprimunt, cordiqve molesti sunt.

Humores itaq; vitiosi evacuandi, obstructiones viscerum reserandæ, intemperies corrigenda, menses provocandi & victus ratio melioranda.

Evacuationi præmittenda est viarum communium relaxatio & humorum præparatio:

Illud prunis nostris laxativis, hoc emulso enulato supra descripto obtinuimus.

Purgationem ipsam pulvere nostro panchymagogo instituimus; Ad viscerum autem obstructiones expediendas, intemperiemqve corrigendam vinum medicatum præscripsimus, qvod simul & menses movet.

℞. Fol. meliss. Chamædryos, arthemil. agrimon. ana mß. sabinæ p. ij

Rad. Enulæ, ireos, rubiæ tinct. ana ℥ß.

Sarf. parill. ℥vj

Flor. cheiri, rorismar. apic. flav. lil. albor. ana p. j.

sem. dauci, anis. fænicul. ana ʒij

Croci integri ℈iß.

Incisis & conqvassatis affund. vin. Rhenani albi q. s. bibat mane & vesperi cyathum unum uncias circiter qvinqve continentem.

Verum cum pertinacia mali hæc omnia elnderet, duro nodo durum ratus qværendum esse cuneum, corpus denuo evacuavi, exhibito pulvisculo exiguæ qvantitatis sed magnæ efficaciæ:

℞. Fæcul. bryon. ℈j

Magister. gummi de Goa gr. X.

Ol. stillat. macer. gt. j.

M. F. pulvis ex aqva cinamomi sumendus in aurorâ, cum jejunio & custodiâ.

Hinc Electuarium meum chalybeatum per dies qvatuordecim singulis matutinis cum vino melissato hauriendum præscripsi:

Postmodum denuò pulvisculum ex Magisterio gummi de Goa exhibui, cujus iterato & efficaci usu humor serosus in tantum absumtus est, ut pedes manifeste detumescerent, & vena tali, qvod antea propter œdema non erat integrum, aperiri posset, qvo facto menses erupere, perfectaqve qvâ in hunc usq; diem gaudet, subsecuta est sanitas.

Intereà toto curationis tempore victum commendavimus ex cibis boni ſucci & facilis coctionis, interdicto frigidorum humidorumqve ut & flatulentorum uſu, leguminibus ſcilicet & oleribus, piſcibus, carne ſuillâ, anſerinâ, anatinâ, jurulentis, lacte & lacticiniis, fructibus horariis & imprimis aceto, qvod calorem viſcerum debilitat.

Pro potu ordinario obtulimus cereviſiam melioris grani & vinum Rhenanum, qvandoqve & ſectarium ſed parcius.

Cætera vigilias & ſomnum, animi pathemata, motum & qvietem &c. omnia moderata eſſe juſſimus; excretiones autem niſi qvotidianæ per naturam eſſent, arte promovimus.

CASUS XVII.

Suffocatio uteri ab odore roſarum.

ANna Schragen Conjux Domini Caſparis Taſchemacheri Senatoris Colbergenſis cacochymica, *tempore verno in collectione florum roſarum occupata, ſubito concidit, ſine ſenſu & motu voceq; & reſpiratione interceptâ, ut qvaſi ſuffocari videretur, ſuccedebat partium externarum frigus, faciei labiorumq; pallor & cordis palpitatio.*

RESOLUTIO.

Humores vitioſos ob cacochymiam in utero cumulatos & corruptos, à causâ externâ, fragrantia ſcilicet & odore roſarum agitatos, vaporum malignorum aſcenſu, ſuffocationem & reliqva ſymptomata inducere ſtatuo. Qvatenus enim vapores iſti cerebrum petunt, ſpiritusqve animales turbant, lædunt, eorumqve influxum prohibent, ſenſus & mot9 læditur, unde & thoracis & diaphragmatis mot9, inhibitis ſpiritib9 animalibus impeditur & reſpiratio ferè intercipitur.

Externa frigent facieſq; & labra pallent, ſpiritibus ad cor recurrentibus, iidem vapores maligni ad cor delati, actiones ejus proſternunt, ſpiritus vitales lædunt, expultricemqve ejus ſtimulant, ut ad excuſſionem ejus qvod moleſtum eſt inſurgat, unde inordinata ex dilatatione & ſubſidentiâ compoſita motio, qvam palpitationē dicimus.

Cognitâ morbi causâ proximum erat naturam qvaſi attonitam & ſopitam excitare, vaporem illum malignum ex utero aſcendentem intercipere & à partibus principalioribus revellere & diſcutere.

Prius præſtitimus ſuffumigio ex pennis perdicum & aſâ fœtida, pilorum inguinalium vellicatione & frictionibus ligaturisqve dolorificis.

Alterum, ventris circa umbilicum

cum per fascias sive cingulum, constrictione.

Tertium, per partium inferiorum frictiones & ligaturas fortes, glandes acriores & svaveolentia ex Zibetho & nuce moschatâ, muliebribus indita, graveolentia autem naribus admota.

Qvartum deniqve obtinuimus discutientibus qvibusdam specificis, pulvisculo imprimis meo hysterico, qvi me nunqvam fefellit:

℞. Faeculae bryoniae ℥ij
Margarit. praep. ℈j
Castorei g. XXI.
Ol. still. rutae, succin. alb. ana gt. V.
M. F. pulvis.

Dividatur in 3. partes aeqvales & repetitim si opus fuerit ori infundatur cum vino calido in qvo tantillum maceris & croci ebullierit.

Eodem nomine & sternutamenta praescripsi:

℞. Hellebor. alb. ℈ß.
Fol. betonic. ℈j
piper. long. g. XI.
Castorei g. XV.
M. F. pulvis per calamum naribus immittendus.

Umbilico galbanetum, pectini autem & regioni uteri linimentum ex scarlea & tacamahaca applicuimus & sic DEI gratiâ à paroxysmo hysterico aegram liberavimus.

Extra hunc, omne studium ad emendandam cacochymiam contulimus, simulqve specifica qvaedam Hysterica subinde usurpanda commendavimus.

Erat enim per naturam qvasi, ob peculiarem fortè uteri constitutionem, passionibus hystericis obnoxia.

CASUS XVIII.

Epilepsia ab utero.

De hac suprà actum est lib. 2. de morbis capitis, casu XI.

CASUS XIX.

Sterilitas in foemina.

Foemina qvadam nobilis, annorum circiter viginti, facie totoq; corpore albicans & subtumida, postqvam ultra triennium in sterili conjugio vixisset, interprete marito qverebatur, se in congressu nullam vel exiguam & brevem delectationem percipere, nec semen retinere, & licet aliqvando retineatur, brevi tamen post, tertio vel qvarto die iterum elabi.

RESOLUTIO.

Sterilitatis causae etsi multae sint & variae, qvaedam etiam abditae & cognitu perqvam difficiles, in praesenti tamen casu res expedita est, omnisqve culpa in intemperiem frigidam & humidam merito rejicitur.

Volu-

Voluptas in congressu nulla vel exigua & brevis percipitur ob seminis spirituumqve in vasis spermaticis penuriam.

Semen non retinetur vel retentum paullò post elabitur, ob facultatem retentricem ab intemperie frigidâ & humidâ labefactatam. Fibræ enim uteri ab humiditate nimiâ laxantur ut se contrahere susceptumq; semen retinere neqveant, ipsumq; semen propter mucores, qvibus uterus scatet, eidem adhærescere non potest, unde necessario impeditur conceptio.

Curationem eâ methodo iisqve remediis instituimus, qvæ supra casu primo de intemperie uteri frigida & humidâ cum materiâ descripsimus.

Emendatâ intemperie, specifica qvædam semen generantia, Veneremqve excitantia & peculiari proprietate contra sterilitatem facientia exhibuimus, sal nimirum Satyrionis, qvo plurimas se curasse gloriatur Hartmannus, suculadam Indorum, confectionem pacificam Mynsichti, Essentiam eryngii, extractum testiculorum apri & id genus alia; suffitus etiam & balnea convenientia, insessus ex formicis, pessi, emplastra, inunctiones aliaq; topica adhibita.

Verùm cum his omnibus nihil proficeremus, ad thermas Carolinas ægram ablegavimus, qvibus cum ex præscripto Medici illius loci usa esset, seqventi anno filiam peperit, nunc trium liberorum mater.

CASUS XX.

Sterilitas in Viro & fœmina.

Sempronius & Caja ultra decennium in sterili conjugio vivunt. Ille temperamenti calidi est & sicci; Hæc frigidi & humidi: Ille in congressu semen emittit paucum & guttatim tardiusq;: Hæc confertim & celerius.

RESOLUTIO.

Cum partes genitales & vasa semen generantia & deferentia, ut & cætera omnia in utroqve rectè se habeant, sterilitatem hanc ab intemperie dependere statuo. Intemperati n. secundum Gal. 5. aph. 61. raró vel nunqvam generant, & qvæ humidos habent uteros, non concipiunt; Exstinguitur enim in iis genitura, Hippocrat. 5. Aph. 62. Accedit & seminis in Sempronio paucitas & ejaculatio impedita, tum qvod uno eodemqve tempore semen non emittitur, qvod ad conceptionem omninò est necessarium, siqvidem aliàs exacta seminum mixtio fieri non potest.

Intemperies itaqve utriusqve, maxi-

maximè verò Cajæ corrigenda est. Etsi enim etiam intemperati qvando suæ intemperiei contrariis, ut in præsenti casu conjunguntur, generare possint, certum tamen est uteri intemperiem frigidam & humidam & seminis attractioni & retentioni & alterationi maximè obesse. Hæc ut emendaretur, primò corpus per intervalla phlegmagogis evacuavi; Hinc tincturam lignorum peculiari modo præparatam per integrum mensem singulis matutinis propinavi, provocatis qvandoqve in Laconico sudoribus.

Horis duabus ante cœnam frugalem Conservam rorismarini, vesperi autem sub decubitum aqvam vitæ mulierum sale Satyrionis imprægnatam, exhibui.

Victum commendavi calefacientem & siccantem ex cibis assis potius qvam elixis, interdictis piscibus & qvæ in aqvis degunt, leguminibus item & oleribus, lacte & lacticiniis, fructibus horariis, lactucis, cucumeribus aliisq; frigidis & humidis. Pro potu ordinario dedi decoctum tenue lignorum & hydromel Lithvanicum, interdum & aliqvid vini Rhenani concessi.

Corpus ut qvotidiè exerceretur, nec somno nimium indulgeret, præcepi, mente ad tranqvillitatem & hilaritatem composita; Excretiones qvoties per naturam non essent liberæ, artis operâ proritavimus.

Cæterum cum & calida & sicca intemperies, qvâ Sempronius afficitur, ad semen fœcundum generandum, minus sit commoda & conveniens, etiam hanc corrigendam duximus, & primò qvidem corpus Cholagogis leniter evacuavimus. Hinc apertâ basilicâ dextri brachii tantillum sanguinis detraximus, postmodùm serum lactis caprini cum succo Cichorii & Endiviæ alteratum horis matutinis, vespertinis autem seqvens Electuarium exhibuimus:

℞. Conserv. rad. Cichor. ℥iiij
rosar. rubr.
violar. ana ℥iß.
Lactuc. Hispanic. condit. ℥j.
Spec. diatr. santal. ℈iiij
diarrh. Abbat. ʒj
M. c. syrup. de Endivia q. s.
F. Electuarium.

Emendatâ intemperie utriusqve ea præscripsimus, qvæ peculiari proprietate ad semen generandum veneremqve excitandam faciunt, succuladam nimirum Indorum oleo maceris imprægnatam. Confectionem magnanimitatis Mynsichti, ut & illam qvam pacificam nominat, conditum Rulandi ex radicibus Eryngii & imprimis Essentiam Satyrionis ex malvatico haustam. Et cum in fœminis frigidioris temperamenti attractrix semi-

Digitized by Google

nis plerumqve fit langvida, membrum virile balsamo Venereo ante congressum inungendum (vasim9:

℞. Ol. nuc. moschat. per express. fact. ʒij.
Zibeth. ℈iß. Ambr. mosch. ana gr. v.
Ol. macer. destill. gt. iij.
M. F. balsamus.

Ut autem semina uno eodemq; tempore emitterentur, tarditatem mariti forti rerum venerearum impressione maturandam, celeritatem verò uxoris subtristium cogitatione qvodammodo retardandam esse duximus. Qvanta enim circa rem veneream imaginationis vis sit, vel ex spontanea genitalium titillatione seminisqve eruptione, qvæ hanc qvandoqve absqve ullo contactu seqvitur manifestum est.

CASUS XXI.

Mola.

De hac, Epistolarum mearum Medicinalium libro qvarto Epistola XXXVII. actum est.

CASUS XXII.

Gemelli diversi sexus vivaces & longævi.

Communis Medicorum est sententia Gemellos unius sexûs vivaciores esse qvam diversi. Caussas Sennert. lib. 4. Medicin. pract. part. 2. sect. 4. cap. 5. adducit. *Varietatem nimirum seminis, inæqvalitatem incrementi & motus ac perfectionis diversitatem: Inde namqve evenire ut feliciter eodem tempore edi non possint, sed aut marem præter naturam cunctari, aut fœminam prævenire necesse sit: Interdum tamen accidere ut etiam diversi sexus gemelli vitales sint exemplo Fratris sui Francisci & sororis Eleonoræ demonstrat Rodericus à Castro* de natur. mulier. lib. 3. cap. 13. *At ego non tantum vitales sed & firmæ valetudinis & robusti corporis & longævos memini; Consulem nimirum Colbergensem Ambrosium Tesmarum & Sororem ejus Catharinam Conjugem Consulis Matthei Braunschweiges, qvorum ille vixit annos sexaginta tres, hæc octuaginta qvatuor, uterq; multorum liberorum Parens.*

CASUS XXIII.

Lac toto gestationis tempore è mammis effluens circa fœtus debilitatem.

Uxor mea JUDITH KUNDENREICHIA primo contra-

tracti inter nos conjugii anno impragnata, à secundo gestationis mense usquè ad decimum qvo peperit, noctes diesq; lactis ex utraquè mammâ fluorem satis copiosum, non tam ægrè qvam ob perpetuum pectoris interularumq; madorem molestè ferebat. Ego *inter initia ex prognostico Hippocratis* qvod habet 5. Aphor. 52. *fœtus debilitatem metuens roborantia* qvædam & interna & externa exhibui; verùm cum tractu temporis ex motu freqventiore & fortiore aliisqve indiciis fœtum satis validum esse perciperem, ipsaqve mater sic satis benè haberet, usumqve medicamentorum fastidiret, naturæ negotium committendum censui, cujus beneficio factum ut legitimo tempore Filium per omnia benè valentem partu non adeò difficili eniteretur, qvem ut porrò divina servet clementia, cordicitus precor!

Medicamenta qvorum supra meminii, hæc fuerunt:

℞. Amygd. dulc. excort non rancid. ℥iij aq. flor. tiliæ, balsam. embryon. ana q. s. M. F. Emulsio.
Dissolv. in h. sacch. albiss. ℥ix. add.
Margar. præpar. Corall. rubr. præp.
Rasur. eboris ana ℈ij. oss. de Cord. Cerv. ℈j
Smaragd. rubin. hyacynth. sapphir. granat. præp. ana ℈j.
Condit. nuc. Indic. ʒvj. Corr. citr. aurant. ana ℥ß. Caryophyll. ʒjs

Condita & aromata incidantur crasso modo F. s. a. morsuli aspergendi ol. fœnicul. gt. XIII.

Sumsit singulis matutinis morsulum unum, & ne natura uni medicamento assuesceret, interdum delibavit balsamum Embryonum qvandoqve seqventem mixturam:

℞. Aq. flor. borrag. tiliæ,
Cerasor. nigr. ana ℥iij
Carbunc. ℥j. Cinamom. ℥ij
Syr. de pæonia ℥ij.
granat. dulc. ℥iij
Corallin. ℥j. M.

A pastu tragæam degustavit:

℞. Sem. fœnicul. ʒiij
Cinam. acutiss ʒj
Coriandr. Acet. destillat. præp. ℈iiij
Nuc. moschat ʒj
Caryophyll. ℈j.
Rotul. man. Christ. perlat. ℥iij
Ol. fœnic. gt. vij
Cinamom. gt. iij
M. F. Tragæa.

Extra umbilico & lumbis cataplasma applicuimus:

℞. Spec. pro ung. Comitiss. ʒvj

Flor. rosar. rubrar.
Nuc. moschat. mastich.
Caryophyllor. ana ʒj
Micæ panis dulciarii ℥j
M. c. vin. Cytonior. q. s. F. Cataplasma.

CASUS XXIV.

Vagitus uterinus.

PLoratum *sive vagitum uterinum* à causis naturalibus fieri posse, communis Medicorum est opinio; Eundem tamen etiam qvandoq; à causâ superiori excitari & vel fœtui vel Parentibus aut Reipublicæ calamitatem aliqvam portendere exemplis constat ab Andreâ Libavio, Leonhardo Doldio, Fabricio, Weinrichio &c. annotatis, qvibus adjicere visum est & hoc qvod Colbergæ Anno M. DC. XXIV. observavimus, vere ominosum:

URSULA SCHLEIFFIA Conjux Davidis Höppneri Civis & Mercatoris Colbergensis, nono circitèr post conceptionem mense in ipso Festo Pentecostes in templo Divæ Mariæ auditioni Verbi divini intenta, vehementem embryonis motum, mox & ejulatum ejusdem summâ cum animi consternatione percepit, adeò ut in lipothymiam incideret, è qvâ excitata denuo & posthac sæpius ploratum fœtus observavit. Audivêre hunc vagitum & assidentes in templo fœminæ, inprimis socrus mea GERTRUDIS KUNDENREICHIA, ex cujus relatione hæc habeo, & domi maritus reliqviq; domestici & familiares. Decimo mense peperit filiam sanam qvidem, at tertio ætatis anno ab ancilla malè feriata veneno arsenicali interemtam, cujus portionem cum & mater inscia hausisset, paulò post occubuit: Maritus peste exstinctus est, domus incendio periit, liberi in varios terrarum tractus dispersi, partim acerbo, præcipitiq; fato interière, partim adhuc superstites miseram egenteniq; degunt vitam.

Adeo ominosa toti familiæ fuit hæc ploratio, forsan & publicæ calamitatis, qvæ paullò post ex funestissimo bello circa annum M. DC. XVIII. in Bohemiâ exorto & postmodum An. M. DC. XXVII. in septentrionale hoc collimitium devoluto, totam Pomeraniam & in hac Colbergam nostram ne-

tan-

fandis modis exercuit & adhuc exercet, prænuncia.

CASUS XXV.

Partus difficilis.

Illustris fœmina BRIGITTA Guldenſternin *Conjux Domini Georgii Fleetvodii Sereniſſimæ Reginæ Regniqvè Sveciæ Generalis excubiarum Præfecti & Commendatoris Colbergenſis &c. pariendi laboribus ſubito prehenſa, multum aqvæ excernebat ab utero, paullò poſt dolores ex toto remisère usq; in diem tertium, qvo iterum recruduerunt fœtu in cervice uteri adeò tenaciter ſubſiſtente, ut ne latum qvidem unguem progrederetur, exitus itaq; ut artis operâ haud cunctanter promoveretur, maritus & adſtantes anxiè flagitabant.*

RESOLUTIO.

Cum parturientem viribus ſatis conſtare, fœtumqve modo naturali in caput converſum deprehenderem, partus difficultatem in viis per qvas fœtui tranſeundum, hærere judicabam qvatenus ruptis ob tenuitatem tempeſtivius membranis, aqvæ muliebria lubricitantes, nimis cito effluxêre: Vias itaq; lubricitandas & laxandas eſſe duxi, præſcripto in hunc finem linimento, qvo obſtetrix partes genitales largiter in momenta perungeret:

℞. Ol. lil. albor. amygd. dulc. ana ℥iß.
Cheirin. ℥ß.
pingued. gallin. ʒvj
mucilag. ſem. lini c. aq.
malv. extract. ℥ß. M. F.
Linimentum.

Intereà ad facilitandum partum exhibui potiunculam meam contra δυστοκίαν vel centies expertam;

℞. Aq. meliſſ. arthem. Cinamom.
Hyſter. noſtr. ana ℥j
Myrrh. Elect. ℈iß. Succin. alb.
præp. ℈j.
Croci ℈ß. M. F. potiuncula
actu calidè haurienda.

Elapſo circiter ſemihorio vehementes circa pubem dolores ſuborti felicem laboribus iſtis cataſtrophen impoſuêre, excluſo elegantis formæ filiolo, niſi qvod caput ad reliqvi corporis proportionem aliqvantò majus videbatur, cauſſa procul dubio tardioris difficilisqve partus.

CASUS XXVI.

Fœtus in utero mortuus & ultra trimeſtre in eodem detentus.

Uxor Dn. Johannis Gellii Eccleſiæ Wuſterwiccenſis Paſtoris, cum qvinqvies jam feliciter

Digitized by Google

peperisset Anno M.DC.XXVI. qvo sextum fœtum gestabat, die XVII. Aprilis è scalâ in terram prolapsa, paullò post vehementem embryonis motum sensit, sed citra horrorem aliaq; symptomata; tractu temporis cum nullum amplius motum perciperet & mammæ anteà turgidæ, flaccescerent, stomachiq; subversiones & animi deliqvia interdum accederent, die IV. Augusti opem meam per maritum implorabat.

RESOLUTIO.

Multa qvidem fœtus in utero mortui à Practicis & obstetricibus recensentur indicia, faciei nimirum labiorumq; pallor, anhelitus fœtor, oculorum cavitas, somnus turbulentus, ventris & extremorum frigiditas, stranguria, tenesmus, & nescio qvæ non alia. Verùm cum pleraqve etiam aliis morbis sint communia, nihil certi exinde determinare licet. Refert Joel lib. 8. pract. sect. 4. cap. 4. si prægnans ambas manus in calentem aqvam immergat, in eaqve aliqvandiu teneat, fœtumqve non sentiat, mortuum esse; sed & hæc fallit; Meo qvidem judicio, nullum hujus rei certius est indicium qvam si motus, qvem prægnans anteà sensit, amplius non percipiatur, mammæqve prius turgidæ flaccescant & venter subsideat, qvæ omnia cum in præsenti casu manifesta essent, haud cunctanter allaborandum duxi, ut fœtus in utero mortuus expelleretur, id qvod tali methodo feliciter obtinui:

Primò corpus aliàs cacochymicum exhibito pulvere meo solutivo, purgavi: Hinc singulis matutinis dedi haustum vini calentis in hunc modum præparati:

℞. Fol. sabin. arthemis. dictamni Cretici, rorismar. puleg. ana mß.
Rad. aristoloch. rotund. apii, Ireos, rubiæ tinctor. ana ℥ß.
Bacc. laur. ʒvj. Borrac. venet.
Trochisc. de myrrh. ana ʒiij
Cassiæ lign. acutiss. ℥ß.
Croci integri ʒij. Incis. & conqvass. affund. vini generosi q. s. stent in infusione perpetuâ loco calido optimè firmiterqve clausa.

A sumto vino ægram in balneum ex laxantibus & fœtum mortuum expellentibus adornatum umbilicotenus demersimus;

℞. Rad. aristoloch. rotund. lil. albor. arthemis. althææ, rubiæ tinctor. ana ℥iij.
Sem. lini ℥vj. fœnicul. ℥j
Carui, cumin. petrosel. ana ℥js
Bacc. laur. ℥iij.
Juniper. ℥vj

Herb.

Herb. malv. melilot. puleg.
melisf. mercurial. ana mij
Fol. sabin. miiij
Flor. chamæm. miij
Centaur. minor. mij

Incisa & conqvassata includantur sacculis duobus, qvi ex aqva simplici coqvantur pro insessu & fotu muliebrium.

Intereà hypogastrium, pubes & lumbi freqventer inungantur tali linimento:

℞. Pulv. bryon. aristoloch. rotund.
Ireos, agaric. myrrh. ana ℥j
Mucilag. sem. lini fænugræc.
c. vin. extract. ana ℥iij
Styrac. liqvid. ℥vj
axung. gallin. ℥ß. ol. lil. alb.
amygd. dulc. & ceræ ana q. s.
M. F. Unguentum.

Vulvæ pessarium ex colocynthide, myrrha, elleboro nigro, ammoniaco, radic. aristoloch. felle taurino & similibus, inditum est, nec omissa sternutatoria ex Helleboro, Nicotianâ, pipere & oleo succini conflata, qvibus omnibus ordine & repetitim adhibitis, tantum effecimus ut primò sanies qvædam fœtida, postea integræ carnium ossiculorumqve frusta excernerentur, ægraqve intra dies viginti ab omni putrilagine perfectè liberaretur.

CASUS XXVII.

Secundina retenta lethalis.

MARGARETA LINDIA Uxor DN. CHRISTOPHORI DUCHROVII *Scholæ Colbergensis p. t. Con-Rectoris, postqvam laborioso partu filium enixa esset, de dolore abdominis infra umbilicum, gravitate in utero & torminibus qverebatur, purgatio erat pauca, venterq́ durus & renitens, respiratio difficilis, interdum cum suffocatione & lipothymiâ, die tertio accedebat febris acuta, qvinto convulsiones, septimo mors.*

RESOLUTIO.

Secundinas in utero retentas ex signis modò adductis facilè conjiciebam, nec obstetrix id ipsum diffitebatur, prætendens eas adeò firmiter uteri lateribus cohærere, ut avelli neutiqvam possent. Jussi inunctis oleo liliorum alborum manibus, eâ parte qvâ umbilicus infantis abscissus erat, prehensâ, leviter nec rectâ, ne uterus simul evelleretur, sed in orbem qvasi hinc inde secundinam traheret, qvo facto exiguam membranæ crassioris particulam eduxit reliqva in utero relictâ.

Admovi naribus graveolentia ex plumis perdicum accensis & asâ fœtida

Digitized by Google

fœtida, qvibus spiritus deorsum qvasi præcipitarentur: Hinc sternutamenta immisi & qvidem fortiora, ut motu illo violento secundinæ excuterentur. His nondum proficientibus expellentia præscripsi:

℞. Rasur. ossium dactylor. Trochisc. de myrrhâ, succin. alb. Castor. borracis, sem. violar. dictamn. albi Croci ana ℈iß. M. F. Pulvis pro 6. dosibus ex vino calido, mane, post meridiem & vesperi assumendis.

Intereà & pudendis pessum ex Colocynthide, sabinâ, bryonia, elleboro, melle & felle taurino injecimus, suffitumqve per vices ex colocynthide, myrrha, castoreo, galbano, opopanace &c. per sellam perforatam excipiendum adolevimus, qvin & ventri cataplasmata convenientia applicuimus; verum cum nec his expelli posset secundina, nervum halecis, qvem vulgus animam vocat, à Cratone tantopere commendatum, ex jure pisorum obtulimus, tandemq; Clysterem uterinum præscripsimus, qvo rejecto inunctis muliebribus, denuò manus opera extractionem tentavimus, eductæ qvidem aliqvot secundinarum particulæ, sed exiguæ, & nigrâ putrilagine obductæ, admodumqve fœtidæ.

Hæc cum in tertium usqve diem acta essent, superveniente febri & lipothymiis freqventioribus, naturę negotium committendum duximus, exhibitis solummodò qvæ ad virium & cordis refectionem qvoqvo modo facere poterant, donec tandem accedentibus convulsionibus Epilepticis; aliisqve symptomatibus gravissimis è vita decederet ægra.

CASUS XXVIII.

Lochiorum retentio.

L*Idgardis Kallsövia Conjux Dn. Georgii* von Pollen/ *cum tempore autumnali in conclavi nondum excalefacto difficulter & laborioso enixu peperisset, altero post partum die, lochia substitere cum præcordiorum angustiâ & respiratione difficili, aderat & ventris infra umbilicum & circa inguina, lumbosq; dolor.*

RESOLUTIO.

Ab aere frigido in uterum à partu hiantem immisso, orificia vasorum constricta, lochiorum profluvium inhiberi statuo, præsertim cum & tardius difficiliusqve processerit partus.

Vasa itaqve sive viæ per qvas sanguini transeundum haud cunctanter laxandæ & aperiendæ sunt.

Commodè id fiet inunctione infimi ventris & muliebrium.

℞. Ung.

℞. Ung. dialth. ʒvj. Ol. amygd. dulc. lilior. albor. ping. gallin. ana ℥ß. Croci ℈j. ol. ſtillat. bacc. laur. Juniper. ana ℈j
M. pro linimento.

Ab inunctione totum abdomen & pubes foveantur herbis & ſpeciebus infrà deſcriptis ſacculo incluſis & in vino albo vel cereviſia coctis, & qvàm tolerari poteſt, calidè applicitis:

℞. Rad. ariſtoloch. rotund. gentianæ,
Angelicæ, bryoniæ ana ℥ß.
cyclamin. ʒij
Herb. arthemiſ. puleg. meliſſæ Sabin. Origan. Calaminth. ana mj
Flor. Chamæm. tanacet. ſambuc. ana mj
Sem. lin. fænugr. ana ℥ß. dauci ſeſeleos ana ʒij. Inciſa & conqvaſſata indantur ſacculo triangulari.

His præmiſſis applicetur Enema:

℞. Rad. leviſtic. althææ, lilior. alb. ana ℥ß.
Rad. ariſtoloch. utriusqve ana ʒij
Herb. malv. cum toto, pulegii, arthemiſ. ſabinæ, calaminth. ana mß.
Flor. chamæm. ſambuc. melilot. ana p. j.
Sem. lin. aneth. fænug. ana ʒij
Bacc. lauri ℥ß.
Inciſ. & conqvaſſ. coq. ex ſ. q. aq. ſimpl. ℞. Colatur. ℥x. ſpec. hier. ſimpl. ℈iiij. Ol. cham. a- neth. ana ℥j
Unguent. de arthanit. ſal. gemmæ ana ʒj.

Dum hæc fiunt, etiam interna adhibeantur:

℞. Elixir. Propriet. P. ʒiß. Eſſent. Caſtor. ʒj. M.

Sumantur gt. XV. vel plures ex vino calido in qvo tantillum croci, Cinamomi & maceris ebullient.

Interdum cochlear unum atqve alterum ſeqventis mixturæ delibet:

℞. Aq. hyſteric. Mynſicht. ℥iiij
vitæ mulier. ℥ij
Eſſent. noſtr. uterin. ʒij. M.

His non juvantibus obtuli potiunculam, qvæ multis profuit:

℞. Aq. arthemiſ. Hyſter. Mynſicht. ana ℥iß. Cinam. ℥ß.
Pulv. myrrh. elect. ℈j
ſuccin. alb. præp.
Caſtorei ana ℈ß.
M. pro una doſi & ſic pro ſeqventibus.

Hanc ubi bis aſſumſiſſet, graveolentia qvædam nigra & grumoſa exerevit, qvorum ut nihil in inſidiis reſtitaret ægraqve perfectè purgaretur, Enema modò deſcriptum denuò injectum eſt, repetitâ poſtmodum & potiunculâ, modò deſcriptâ, donec plenè expurgata eſſent lochia.

Digitized by Google

CASUS XXIX.

Impetuosus sanguinis à partu fluxus.

DOROTHEA DELIANA *Belowin, Conjux Viri Generosi & Strenui Dn. Philippi Borcken Toparcha in Falckenburg &c. constitutione corporis sanguinea & succiplena, post partum gemellorum non adeò laboriosum initio parum sangvinis à partu fluere soliti excrevit, adeò ut lochiorum retentionem metuerent adstantes fœminæ, postero die tanto cum impetu, tantaq; copia prorupit cruor, ut de vitâ periclitaretur ægra.*

RESOLUTIO.

A sanguinis copiâ in corpore plethorico & conseqventer etiam in utero gestationis tempore cumulatâ, nimium hunc impetuosumqve fluxum promanare, manifestum est, unde inter initia eundem sistere dubium qvodammodo videbatur, ne retentus alia gravia mala excitaret. Actum itaqve est solummodò levioribus auxiliis, præcipuè revulsoriis, brachiorum scilicet & manuum frictionibus & ligaturis; exhibita tamen & interna qvædam fluxum leniter cohibentia viresqve instaurantia.

Verùm ubi modum excederet sanguinis profusio nec qvicqvam remitteret, haud cunctanter eandem compescere tam internis qvam externis allaboravimus.

Ex internis primò dedimus pulverem ex Usneâ à Joele lib. 8. Med. pract. sect. 2. cap. 2. tantoperè decantatum, qvi cum exspectationi nostræ parum satisfaceret, substituimus seqventem;

℞. Carneoli præpar. ℥ij
Coral. rubr. præp. ℥iß.
Lapid. hæmat. præp.
Nucl. intern. lapid. Ætit. ana ℥j
Rad. tormentill. C. Cerv. usti præp. Terr. sigillat. succi hypocystid. ana ℥ß. M. F.
pulvis subtilissimus singulis fermè horarum momentis ex aqva plantaginis assumendus.

Cum vehementer sitiret ægra, Julabium ex adstringentibus & refrigerantibus in hunc modum præscripsimus:

℞. Aq. acetos. plantag. ana ℔ß.
fol. qvercus, torment. ana ℥iiij
fragor. ℥iij.
Syr. granat. acidor.
Coral. rubr. rubi Idæi,
Mivæ Cytonior. ana ℥j
Spir. ⊕li q. s. ad aliqvalem aciditatem.

Nec ingratum palato visum est intritum ex mica panis biscocti & Cere-

Cerevisia Colbergensi syrupo granatorum edulcoratum.

Extra lumbis & toti spinæ dorsi, qva vena cava decurrit, applicuimus linteum duplicatum oxycrato intinctum, pubi autem & imo ventri tale emplastrum;

℞. Lapid. hæmatit. Bol. Armen.
Terr. sigill. mastich. Tragacanth.
Tormentill. gallar. Hypocyst.
Cort. granator. sangu. drac.
Nuc. cupress. ana ℥j. M. c. oleo
Cytonior. & cer. ana q. s. F.
Emplastrum.

Intereà & cibos adstringentes per intervalla obtulimus, qvibus & vires subinde reficerentur, carnes nimirum avium montanarum, perdicum, turdorum, caponum &c. assas & vino granatorum conspersas, pultes ex amylo, oryza, amygdalis, panico, cujus in sistendis alvi & uteri fluxibus mira est efficacia, pyra, cytonia, fructus cynosbati & id genus alia.

Verùm cum his omnibus methodicè diligenterqve adhibitis, nihilominus perseveraret sanguinis profluvium, de phlebotomia cubiti deliberatum est, à qvâ cum vehementer sibi metueret ægra, aliudqve remedium instanter peteret, laudanum opiatum in pilulas redactum in syrupo Coralino exhibui, qvo sumto à septima vespertinâ usqve ad qvartam diluculi optimè qvievit, cessante paullatim & sanguinis fluxu:

℞. Laud. opiat. gr. iij
Carneol. præp. gr. v.
M. c. syrup. coralin. F. pilul. no. v.

CASUS XXX.

Dolor post partum.

Illustrisſima Domina HEDWIGIS ELEONORA Comitiſſa de Eberſtain &c. poſtqvam primo partu filiolam enixa eſſet, vehementibus doloribus circa imum ventrem per intervalla corripiebatur qvaſi denuò paritura; Lochia etiam minus rectè & parcius fluebant.

RESOLUTIO.

A grumoso sanguine in utero detento dolores hosce produci ex obstetricis relatione, qvæ sanguinem crassum qvandoq; & grumosum per muliebria excerni dictitabat, facilè conjiciebam; Ad hunc itaqve attenuandum & dissolvendum, fluxumqve lochiorum promovendum, exhibui pulvisculum:

℞. Sem. sescleos, cumini, Zedoar. galang. Croci. Castor. ana ℈j
Ol. Cinamom. gt. v. M. F.

Pulvis pro tribus dosibus ex aqvâ pulegii & vino Rhenano albo invicem mixtis & cum ovi vitello & macere paucoqve sacchare in formam jusculi redactis, assumendis.

Digitized by Google

Extrà infimo ventri facculum ex arthemisiâ, pulegio, matricariâ, cerefolio, calamintha, floribus chamæmeli, cheiri, baccis lauri, femine anethi, carui, cumini &c. in vino coctum & expressum actu calidè imposui, factâ prius inunctione ex oleo amygdalarum dulcium & Cheirino.

His nondum juvantibus præscripsi Enema:

℞. Rad. rubiæ tinctor. althææ, lilior. albor. ana ℥ß.
Herb. arthemis. Cerefol. pulegii, matricar. ana mß.
Flor. chamæm. p. ij. Cheiri. p. 1.
Summit. aneth. mß.
Bacc. lauri mß. sem. seseleos, carui, cumini, dauci ana ʒij
Incisa & conqvass. coq. ex s. q. aq. simpl. ℞. Colatur. ℥x. ol. chamæm. ℥iß. aneth. ℥j. sal. gemm. ʒj M. F. Enema.

Postmodum sperma Ceti, qvo nihil unqvam ad grumos sanguinis dissolvendos potentius deprehendi, ex cerevisiâ calida per vices exhibui & sic profluentibus decenter lochiis, dolores ex toto remisêre.

Pro virium refectione seqventem mixturam per intervalla delibandam obtuli:

℞. Aq. meliss. borragin. cort. citr. ana ℥ij. Carbunc. ℥j Cinamom. ℥ijß.
Tinct. flor. cheir. calendul. ana ʒij
Spir. meliss. ℈j. Misc.

CASUS XXXI.

Ruptura vulvæ ad anum.

Conjux Mercatoris cujusdam Colbergensis corpore tenella & juvenis, in primo partu adeò vehementer in tertium usq; diem laborabat, ut exeunte tandem fœtu, spacium qvod est inter anum & rimam pudendi rumperetur, anusq; & vulva unum continuumq; fierent foramen.

RESOLUTIO.

Consultus per obstetricem, respondi rupturam hanc aliter vix consolidari posse qvam per suturas adeoqve Cheirurgum admittendum, qvi operationem hanc eo, qvem præscriptutus essem, modo perficeret; verum reclamante puerperâ, qvæ mori potius qvam tale qvid pati, obstinato animo proposuerat; Maritus & Parentes aliud remedium instanter flagitabant; Svasi ut obstetrix matricem vino calido in qvo butyrum majale ebullierit, blande diligenterqve fomentaret, & reponeret, postea rupturæ labia sensim adduceret & conjungeret linteoqve glutine infra descripto obducta & ansulis

lis suis instructa, utrinqve ad latera vulneris ita apponeret, ut ansulæ sibi invicem rectà responderent, deinde siccato glutine linteisqve cuti jam tenaciter inhærentibus, ansulas seu fila mutuò colligaret & constringeret, ut labia vulneris rectè firmiterqve unirentur; Interea ut pedibus aliqvanto elevatis & supino corpore per dies octo vel novem in lecto qviesceret ægra, omniaqve coctu difficilia vel tussim aut sternutationes proritantia devitaret, monui, qvo facto isthmus iste intra dies qvatuordecim adeò perfectè coaluit, ut qvinq; partus, qvanqvam minus laboriosos ex eo tempore, sine rupturâ sustinuerit.

Descriptio glutinis.

℞. Pulv. rad. consolid. major. ℥ij
Bol. Armen. Mastich.
Sangv. dracon. sarcocoll.
Farin. volatil. pomphol. ana ℥j. M c. resina
pini & album. ov. ana q. s. pro glutine.

CASUS XXXII.

Urinæ post partum difficilem incontinentia.

De hac prolixè actum est libro tertio Epistolarum mearum medicinalium Epistola XXXIV.

CASUS XXXIII.

Ephemera plurium dierum ex lactis generatione.

Serenissima Princeps ac Domina, Domina MARIA JULIANA, Saxoniæ, Angriæ, & Westphaliæ Ducissa &c. tertio à primo partu die leni horrore, mox calore totius corripiebatur, mammæ turgidiores & lacte videbantur repletæ, aderat & dorsi scapularumqvè gravitas, lochiis interim rectè sufficienterq; fluentibus.

RESOLUTIO.

Cum puerperia sufficienter fluerent, & reliqva omnia rectè se haberent, febrim vulgò lactis dictam signis modò enumeratis indigitari pronunciabam, ortam à sanguinis ab utero ad mammas affluxu & agitatione.

Dorsi & scapularum gravitas à sanguine per venas thoracicas superiores qvæ à ramo axillari oriuntur & per mammarias, qvæ à subclaviis proficiscuntur, ad ubera fluente & commoto, dependet.

Febriculam autem hanc periculo vacare, paucorumqve dierum spatio per sudationes desituram prædixi, modò diætam convenientem ex præscripto observaret,

Digitized by Google

nec aëri frigido cutis spiracula occludente se exponeret.

Interea cum lactare Celsitudini suæ videretur molestum & pro more seculi indecorum minusq; conveniens, ad inhibendum affluxum & lac absumendum & exsiccandum mammis imposui emplastrum ex micâ panis secalini bene fermentati, pulvere menthæ, sale & aceto rosaceo invicem mixtis.

Die nono supervenêre sudores, qvibus ut stragulis bene tecta aliqvandiu indulgeret, monui.

Ex hoc febris perfectè soluta est, sensimqve vigori suo restituta est Princeps optima, qvam ut porrò incolumem florentemqve præstet propitium Numen, nostra sunt vota.

CASUS XXXIV.

Febris continua ex lochiorum suppressione.

MARTHA Manteuffelin/ *Conjux Viri Nobilissimi Dni Joachimi* von Hohenhausen / *partu non adeò laborioso filium enixa suppressis lochiis in febrem continuam incidit; cum ardore totius, angustiâ præcordiorum, difficili respiratione & vigiliis, aderat & ventris infimi intumescentia, lumborumq; & inguinum dolor.*

RESOLUTIO.

Hîc Lochiorum fluxus ante omnia provocandus erat, qvod ut commodè fieret, enema præmittendum censui, cum & alvus admodum esset constipata:

℞. Herb. malv. c. toto. violariæ, arthemis. parietar. ana mj
Flor. Chamæm. mj. sambuc. mß.
Rad. althææ, lil. alb. ana ℥ß.
aristoloch. long. rotund. ana ʒiij
Sem. lin. fænugr. ana ʒij.
Incis. & conqvassata coq. ex s.q.aq. simpl. ℞. Colatur. ℥x. ol. lil. alb. aneth. ana ℥j. Electuar. lenit. ℥ß.
Spec. hier. simpl. ʒi. M. F. Enema.

Hinc incisâ saphenâ pedis, detractoqve paullò largius sanguine, cum viribus sic satis constaret puerpera, decoctum lochia provocans, calorem febrilem alterans, & putredini qvodammodo resistens singulis matutinis & vespertinis exhibui:

℞. Rad. cichor. ʒvj. Rubiæ tinct. Scorzoner. apii ana ℥ß.
Fol. Endiv. Card. bened. arthemis. dictamn. Cretic. ana mß.
Flor. borrag. bugloss. Cheiri. violar. ana [illegible] j.

Sem.

Sem. citri ℈ij.
4. frigid. maj. excort. ana ʒj
Passul. minor. ℥ij
Borrac. venet. ʒiij.
Incisa & conqvassata infund. per noctem in decocto Cicerum rubrorum q. s. manè coq. ad remanent. ℔iß.
In colatura clarificata dissolve
Syr. violar. Capill. Vener. de arthemis. ana ℥j
Spir. salis. gt. xxv.
Misc. pro septem vel octo dosibus qvibus subinde aliqvid pulveris nostri menstrua provocantis admisceatur.

Etsi vero febris magis frigida reqvireret, tutius tamen videbatur ob lochiorum retentionem, potissimam morbi caussam, temperatis agere.

Interea nihilominus frigida qvædam præsertim ad restinguendam sitim, qvæ valdè urgebat, concessa, sed talia qvæ fluxum puerperiorum non inhibent, decoctum scilicet hordei cum passulis; Jolabium ex aqva stillatitia Cichorii, borraginis, Capill. Vener. vino granatorum dulcium & similibus.

Extra imum ventrem oleo cheirino & amygdalarum dulcium per vices inunximus superimposito sacculo supra casu XVII. descripto. Maximè omnium profuit suffitus ex Colocynthide, qvo ter vel qvater repetito, cum impetu retenta prorupêre lochia, calorqve febrilis, sublato scilicet fomite, manifestè deferbuit, cessantibus sensim & reliqvis symptomatibus.

CASUS XXXV.

Pleuritis in puerpera.

Uxor Martini Lutheri in exercitu Imperatorio sub Duce Wallensteinio locum tenentis, postqvam aëri frigido se exposuisset, septimò post partum die retentis lochiis in dolorem punctorium lateris dextri incidit cum respiratione difficili, freqventi & parva, tussi & febri acutâ, pulsu duro, ineqvali & serrato.

RESOLUTIO.

Puerperiorum fluxum ab aëre externo frigido occlusis vasorum orificiis inhibitum & ad superna regurgitantem aliqvâ sui parte pleuram impetere, nullum est dubium.

Dolor pungitivus ab influxu sangvinis fervidi membranam exqvisitissimi sensus distendente, excitatur.

Respiratio freqvens est & parva, qvatenus musculi propter dolorem satis dilatari neqveunt.

Tussis ab irritatione facultatis expultricis qvam materia pulmonibus

bus communicata inducit, proficiscitur.

Febris acuta ex phlegmone in loco cordi viciniſſimo dependet.

Pulſus durus eſt & ſerratus ob tenſionem & duritiem inflammatæ membranæ.

Inæqvalis ob febrem continuam qvæ morbo conjungitur.

Præmiſſo dubii eventus prognoſtico, primò ad vaſorum à frigore externo conſtrictorum, relaxationem, humorumqve ſuperna petentium ad inferiora revocationem, Enema præſcripſi:

℞. Herb. arthemiſ. parietar. malv. althææ, mercurial. ana mß.
Flor. chamæm. mj. violar. mß.
Sem. lin. ℥ß. fænugr. ʒij
Rad. althææ, lil. alb. ana ℥ß.
Coq. ex ſ. q. aq. ſimpl.
℞. Colatur. ℔j
Elect. diacathol.
lenitiv. ana ℥ß.
Ol. violar. ℥ij.
Sal. gemm. ʒi. M. F. Enema.

Hinc ad ſanguinem vitioſo qvodam naturæ motu ad partes ſupernas fluentem, revellendum & ad uterum convertendum venam in talo pedis dextri κατ' ἴξιν incidendam ſuaſi, ſimulqve antipleuritica qvædam admixtis qvæ fluxum lochiorum promovent, exhibui.

Verùm cum nihilominus dolor lateris & ſpirandi difficultas perſeverarent, qvin & augerentur, nec lochiorum fluxus ſubſeqveretur, materiâ nimirum parti affectæ ita jam inhærente, ut ad uterum amplius revelli non poſſet, venam in brachio lateris ejusdem aperiendam conſului, ut ſanguis è loco affecto viciniſqve partibus haud cunctanter evacuaretur, id qvod adeò feliciter ceſſit, ut adhibitis poſtmodum paucis qvibusdam ſpecificis, ſuperveniente tandem & leni ventris fluxu, brevi convaleſceret ægra, alioqvin robuſta & firmi corporis.

CASUS XXXVI.

Mammarum ex lacte retento tumor.

L*OTSA GRÖBIN Conjux Viri Generoſi & Strenui Domini Ottonis à Schlabbrendorf &c. diebus circiter qvinq; poſt partum, cum ipſa non lactaret, tumore mammarum inſigni, ſed citra inflammationem afficiebatur, cui cum accederet durities & dolor, opem meam implorabat.*

RESOLUTIO.

Tumorem mammarum ex lactis retentione, duritiem ex ejusdem coagulatione, dolorem vero ex mammarum diſtenſione naſci ſtatuo; Lac itaqve retentum abſumendum & exſiccandum, coagula-

tum-

tumqve resolvendum, qvo facto spontè cessabit dolor.

Remedia qvibus hoc præstetur multa sunt & varia, nullum tamen qvantum mihi qvidem constat, æqvè præsentaneum & efficax est, ac Emplastrum qvod de spermate Ceti componitur & à Mynsichto in armamentario Medico-Chymico sectione XXXVI. sub finem describitur. Hujus namqve solius usu & hæc aliæqve plures à tumore mammarum perfectè liberatæ sunt; Insignem enim lac copiosum absumendi concretumqve solvendi vim obtinet, unde & post ablactationem commodissimè adhibetur.

CASUS XXXVII.

Mammarum ex arctiori thoracis stricturâ inflammatio.

Mullier qvædam juvencula, superba & elegans, filiolam ex primo partu lactans, alioqvin succiplena, ut gracilis videretur, thoracem strophiis arctè & vehementer constringens, inflammationem mammarum contraxit cum tumore calido, rubro, duro & dolente, sed absq; febri.

RESOLUTIO.

Ligaturas fortes & dolorificas sanguinem & humores attrahere manifestum est in revulsionibus. Hinc factum ut stricturâ arctiori sanguis copiosus ad mammas tanqvam partes fungosas confluxerit, ibidemqve incalescens inflammationem concitaverit; Remotis itaqve stricturis ad inhibendum in corpore plethorico ulteriorem sangvinis affluxum venam cubiti aperuimus; Hinc repellentia qvædam mitiora, poscam scilicet cum oleo rosaceo mixtam & linteamine exceptam mammis imposuimus, cavendo nimis frigida, ne cordi vicino noxa inferretur.

Cum altero die calor & rubor non parum aucta viderentur, Epithema paullò fortius repellens applicuimus:

℞. Aceti ℔ij. ebulliant semel atqve iterum, postea in sperge Bol. Armen. ʒij. Lithargyr. ℥j. add. aq. simpl. in qva parum aluminis coctum sit ℔j. Misc.

Interea & corpus leni pharmaco purgavimus & alterantia qvædam frigida ex Cichorio, Endiviâ, lactuca, violis, acetosa & id genus aliis, exhibuimus:

Sedatâ qvodammodo inflammatione repellentibus discutientia admiscuimus:

℞. Mucilag. sem. psyllii. sem. lini, fænugr. c. aq. ros. extract. ana ℥j

Pulv. flor. chamæm. rosar. ana ʒß.

℥ß.
Farin. hord. fabar. ana ℥j.
Acet. rosac. ℥iß.
Ol. chamæm. & rosar. ana q. s.
M. F. Cataplasma tepidè applicandum.

Tandem sola discutientia adhibuimus:

℞. Pulv. semin. lini, fænugr. rad. althææ ana ℥j
Flor. chamæm. melilot. aneth. ana ℥ß.
Coq. ex s. q. aq. simpl. ad pultis Consistentiam, postea add. Ol. chamæm. q. s. F. Cataplasma.

Sic discussâ materiâ, tumor sensim disparuit, cautiusqve deinceps superbire didicit ægra.

CASUS XXXVIII.

Erysipelas mammarum.

Conjux Dni GEORGII LAGI p. t. Lycæi Colbergensis Rectoris, constitutionis sangvineæ & biliosæ ex subito terrore incidit in horrorem totius, subseqvente calore febrili cum insigni præcordiorum angustiâ, paullò post dolorem sensit in mamma sinistra cum dolore pungitivo & colore roseo.

RESOLUTIO.

Sangvinem vitio Epatis calidiorem & tenuiorem subito terrore in venis agitatum & à natura ad superficiem ejectum Erysipelas sive rosam vulgò dictam excitasse, signa modò allata & corporis constitutio incidant. Commodùm itaqve videbatur, mox in principio ad sangvinis fervorem eventilandum, abundantiamqve in corpore plethorico minuendam, venam brachii medianam incidere & sangvinem paullò largius detrahere. Hinc cum alvus satis esset laxa, omissa purgatione ad promovendum naturæ materiam ad exteriora expellentis motum, discutiendasqve subtiliores, sangvinis ardorem excitantis partes, potiunculâ sudoriferâ per vices exhibui:

℞. Aq. flor. sambuc. ℥iij.
Pulv. Corn. Cerv. absqve △ calcin.
Terr. sigillat. ana ℈ß.
Lapid. Bezoar. ℥. vij
M. pro una dosi & sic pro seqventibus.

Intereà ad intemperiem calidam alterandam, sitimqve qvæ valdè urgebat, restinguendam præscripsi Jolabium:

℞. Aq. Cichor. Endiv. rosar. ana ℥iiij
Sambuci ℥vj.
Rob. ribium ℥ij. syr. acetos. citr. ℥iß. Misc.

Extra stuppam Cannabinam farinâ hordei & pulvere liqviritiæ consperſam applicui, in horas ob calorem

lorem mutandam, proscriptis actu frigidis, adstringentibus, & præcipuè humidis.

His methodicè adhibitis observatoq; decenti victus, qvem refrigerantem & humectantem commendavi, regimine, intra triduum disparuit tumor. Ne verò in corpore disposito repeteret malum, qvod sæpius jam factum dictitabat ægra, suasi qvotannis circa æqvinoctium vernum & autumnale corpus convenienti pharmaco purgaret, sanguinisqve abundantiam venæsectione minueret, postmodum pro corrigendâ Epatis intemperie calidâ cichoraceis, aliisqve frigidis, lactuca, acetosa, portulaca, malis citriis, cerasis, fructibus berberorum, ribium & similibus uteretur, imprimis menseMajo serum lactis caprini, in qvo flores sambuci ebullierint per dies plusculos gradatim augendo minuendoqve in modum acidularum biberet, omnesqve tum animi, tum corporis motus vehementiores devitaret.

CASUS XXXIX.

Cancer mammarum occultus.

Mater Villici mei Martini Rövenhagens, calidioris & siccioris temperamenti, anno ætatis quadragesimo nono, postqvam menses fluere desiissent, tuberculum exiguum & vix fabæ magnitudinem adæqvans in mammâ sinistra percepit sine notabili dolore & coloris in cute mutatione, tractu temporis sensim augeri & radices longius extendere, venasqvè qvasi varicosas & lividas diffundere visum est, accedente tandem & aliqvali dolore.

RESOLUTIO.

Ex sanguine & humoribus adustis, cessante ordinario mensium fluxu, ad mammas delatis tuberculum hoc cancrosum excitatum, extra dubium est, id qvod & corporis constitutio melancholica, & præcedens victus, qvalis ruri esse solet ex oleribus, lardo, cæpis, porro, carnibus fumo duratis vel in muria maceratis, & aliis pravi succi eduliis, diu continuatus, ostendit.

Consultus, suasi à topicis abstineret, nec crabronem hunc irritaret, cum salutari Hippocratis monito, qvod habet 6. Aphorism. 28. confirmante id ipsum multiplici experientiâ, constet cancros occultos non curari melius esse & curatos citius interire, non curatos verò longius vitam trahere.

Intereà tamen humorem melancholicum sæpius & per intervalla evacuandum monui, præscriptis pilulis melanogogis Qvercetani

tani cum extracto hellebori nigri exaltatis; Interdum & decoctum meum laxativum cum confectione Hamech exhibui, utqve alvus qvotidiè responderet cerevisiam laxativam additis qvibusdam specificis, qvoties opus esset pitissandam commendavi:

℞. Geranii Robertiani miij
Fumar. meliss. scabios.
Persicar. agrimon. scolopendr. ana mj
Cort. virid. interior. fraxin. ℥ij
Rad. oxylapath. acuti.
polypod. qvern.
pimpinell Enulæ
ana ʒvj
Hellebor. nigr. ℥iß.
Flor. Hyperic. mj. borrag.
sambuc. calendul.
torismar. ana p. ij
Fol. sen. s. s. ℥ijß.
Rad. Gialapp. ℥j.
Turpeth. Gummos. ʒvj.
Cinam. acutiss. ℥j.

Incisa & conqvassata includantur sacculo ex linteo albo & suspendantur in doliolo librarum XLVIII. cerevisiæ recentis, post perfectam fermentationem assumatur qvantum ad subducendam alvum sufficit.

Dum hæc fierent etiam sanguinem ex venis pedum modò dextri modò sinistri per vices eduxi, magno cum juvamento. His enim adhibitis observatoqve convenienti victus regimine vitam usqve ad septuagesimum qvintum ætatis annum sine insigni dolore & incommodo produxit.

CASUS XL.

Cancer mammæ sinistræ ulceratus.

U*Xor Domini Alexandri Lauderi Locumtenentis, constitutione corporis melancholicâ, febri qvartanâ ultra trimestre decumbens, tandem contracto in mamma sinistra tuberculo exiguo, à febri liberata est. Huic cum Chirurgus qvidam Castrensis emollientia qvadam & pus moventia applicuisset, in ulcus cancrosum & sordidum degeneravit, emanente sanie qvadam tenui & nigra, cum insigni dolore.*

RESOLUTIO.

Μίασμα febrile, ad mammam sinistram delatum tuberculum hoc produxisse vel ex eo patet, qvod febris ab eo tempore desiit, qvemadmodum fieri solet, qvando natura inqvinamentum hoc sive περίττωμα σηπεδονῶδες è venis ad labia, nares & alias non solum faciei partes, sed ut Guilielmus Fabrici[us] observavit, etiam ad brachia & ut Sennertus, ad manuum digitos pro-

propellit. Meritò autem hic censoriâ virgulâ notatur imperitia Chirurgi, qvi emollientia & pus moventia tuberculo apposuit, scire namqve debebat *cancros occultos non curare melius esse, curatos citius interire, non curatos verò longius vitam trahere*, ut supra casu præcedente ex Hippocrate monuimus. Nunc cum jacta sit alea, postliminio qvasi consultus, respondi rem periculi esse plenissimam; duo tamen superesse præsidia, unum verum, alterum palliativum:

Verum qvidem esse sectionem si nimirum Cancer artificiosè exscindatur eo qvem Arcæus lib. 2. de curand. vulneribus cap. 3. & Guilielmus Fabricius Cent. 3. observatione 87. tradit modo.

Alterum, nempe palliativum consistere in topicorum qvorundam usu, qvibus augmentum cancri inhibetur, dolorqve mitigatur, ut vita cum minori cruciatu & molestia ad tempus protrahi possit. Prius cum formidaret ægra, more sexus sui meticulosa & pusillanimis, posterius aggressi sumus, tali methodo:

Primo victum convenientem præscripsimus ex cibis boni succi & facilis coctionis, qvales sunt pulli gallinacei, carnes vitulinæ, vervecinæ, palumborum, perdicum, attagenum, turdorum, avium montanarum, pisces saxatiles, ova sorbilia, ptisana hordeacea, passulæ, amygdalæ dulces & id genus alia. Econtrà interdiximus cibis crassioribus & sanguinem melancholicum generantibus, fumo vel aëre induratis, in muriâ maceratis acribus & acidis, carne imprimis leporinâ, anserina, anatinâ, suillâ, cervinâ, leguminibus, caseo veteri & similibus.

Pro potu ordinario commendavimus Cerevisiam hordeaceam benè coctam & defecatam, cui ante fermentationem aliqvid fumariæ, melissæ, scolopendrii, borraginis &c. inditum sit.

Vinum parca manu concessimus idqve Rhenanum, proscriptis dulcibus & generosis.

Reliqva non naturalia dicta motum scilicet & qvietem, somnum & vigilias, excreta & retenta, animi pathemata &c. omnia moderata esse jussimus, in id potissimum intenti ut alvus qvotidie esset libera si non sponte, artis operâ.

Hinc singulis mensibus præcedente convenienti præparatione humorem melancholicum evacuavimus, modò pilulis tartareis melanogogis Qvercetani additis aliqvot granis Resinæ Gialappæ vel extracti Hellebori nigri ritè præparati, modò decocto nostro laxativo & Extracto foliorum senæ invicem mixtis, modò pulvere nostro solutivo & similibus.

Sanguinem etiam per vices interdum ex venâ ſplenetica cubiti ſiniſtri, interdum ex vena interna pedis, qvæ ſub talo eſt, detraximus.

Ex topicis ad ablutionem ulceris uſi ſumus aqvâ deſtillatâ Guilielmi Fabricii, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. Rad. ſcrofulariæ ℥j
Herb. Roberti mj.
arnogloſſ. ſolani
bugloſſ. borragin.
portulac. Euphraſ.
betonicæ ana mj
Ranar. aqvatil. Album ov.
conqvaſſ. no. ij
Sem. cyton. fænugr. ana ℥j
Aq. roſar Euphraſ. ana ℔j
deſtillent. in alembico plumbeo.

Poſt ablutionem impoſuimus tale linimentum:

℞. Pulv. tenuiſſ. lithargyrii
Ceruſſ. in aq. ſolan. lot. ana ℥iß.
Sachar. ℔j ʒvj
Thutiæ præparat. ℥ß.
Ol. roſac. q. s. M. in mortario plumbeo F. Unguentum.

Interdum lapidem medicamentoſum Crollii cum aqvâ ſperniolæ deſtillatæ applicuimus, ſed nihil æqvè profuit ac Emplaſtrum Saturni qvod deſcribitur in armamentario Medico-Chymico Mynſichti ſect. 36. mihi p. 513. Hujus namqve ſolius uſu, adhibito tamen & lavamento ſupra deſcripto ad plures annos vitam produxit ægra, donec tandem in caſtris ad Tribbeſæam febri malignâ populariter graſſante, interiret.



BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
von Güldenklee
CASUUM MEDICINALIUM
LIBER QVINTUS
DE
MORBIS INFANTIUM.



GENEROSÆ STIRPIS
FLOSCULO AMOENISSIMO
JOHANNI BOGISLAO,
Reverendissimi & Illustris
DOMINI
DN. OTTONIS, LIBERI BARONIS DE SCHWERIN,
Capituli Brandenburgici Præpositi, Serenissimi & Potentissimi Electoris in Consilio Sanctiore Præsidis, Marchiæ Camerarii Hæreditarii, Supremi Aulæ Gubernatoris, Uranienburgi Præfecti, Domini in Landsberg, Ollvviegshagen, Drevvitz & Zachan. &c. &c.
Filiolo suavissimo.



Arvus liber parvorum morbos exhibens parvo Patrono offertur; SIC VARA VIBIAM SEQUITUR. At parvo, quà corpus & ætatem; Magno si genus spectes & indolem.

Magnus es, parve PUER, antiquâ Majorum tuorum prænobilique prosapia; Magnus es eorundem fama & rebus domi forisque præclarè gestis; Magnus es maximi Parentis Tui Virtutibus,

Digitized by Google

bus, quarum is eſt ſplendor, ut totum Septentrionem, & quod ultra eſt, irradient; Cujus ea in PATRIAM extant merita, ut æſtimium ſuperent, digna quæ Cedro incidantur æternaque memoria poſteritati per exemptum excitanda tranſmittantur.

Magnus denique es Tua ipſius indole, cujus avita bonitas vel ex vultu & oculis, generoſæ mentis haud fallacibus indiciis, emicat; Indole, cujus ſemina fæcunditate ſua ante tempus quaſi prorumpunt fructus datura toti REIPUBLICÆ olim ſalutares.

DEUS ad majora natum magno incremento ſervet & progerminantes ex tenello pectore Virtutum floſculos gratiæ ſuæ imbribus irriget, ab uſtione aliisque adverſitatum tempeſtatibus cuſtodiat, immarceſcibili felicitatis omnigenæ ſucco vegetet & virentem florentemque in ſeros ſuſtentet annos! Colbergæ 1. Iduum Octobris Anno M. DC. LXI.

Illuſtris Generoſ. Tuæ

obſervantiſſimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

IN-

INDEX CASUUM
LIBRI QUINTI.

Digitized by Google



CASUUM

Digitized by Google

CASUUM MEDICINALIUM LIBER QUINTUS

DE MORBIS INFANTIUM.

CASUS I.

Febris ardens continua.

INfans vicini mei Domini Johannis Callsovii trium circiter mensium, ardentissimâ febri afficiebatur, cum vigiliis contumacissimis, accessere & alvi dejectiones crebræ ex flavo virescentes, cum ventris torminibus & dolore.

RESOLUTIO.

Ut causam febris indagarem lactis materni quo nutriebatur infans examen institui, linteumque albissimum eo imbutum in umbra exsiccavi, quod colore subflavo tinctum deprehendi, substantia lactis mediocris quidem, at sero tamen plus æquo diluta, gustus subamarus, odor verò nidorosus erat.

Cæterum cum & matris constitutionem paullò accuratius perpenderem, deprehendi cacochymiâ biliosa affectam, quæ ut emendaretur

Primo minorativum ex decocto nostro laxativo cum Rhabarbaro exhibui.

Hinc præparantia & alterantia præscripsi:

℞. Rad. cichorii ℥j. taraxic. acetos. ana ℥ß.
Herb. Endiv. agrim. portulac. ana mj.
Flor. borrag. bugloss. rol. ana p. j.
Sem. melon. Endiv. ana ʒii.

 Pas-

Passul. minor ℥ii.
Incisa & conquassat.coq. ex s. q. aq. hordei ℞. Colaturæ ℔iß, add.
syr.ex succ.cichor. ℥iij.
fumar. ℥ii.
acetos.simpl.℥iß Misc.

Postmodum materiam præparatam pulvere meo Cholagogo plenius evacuavi & usum seri lactis cum Cichorio alterati commendavi præscripto & convenienti victus regimine.

Intereà dum hæc fierent, infanti syrupum violarum cum aqua Cichorii & Endiviæ dilutum,per vices exhibui, spinamque dorsi unguento rosato sæpius inungendam præcepi.

Ad arcendas vigilias emulsionem seminum papaveris & quatuor frigidorum majorum cum aquâ violarum extractam, præscripsi.

Ventriculo autem ad præcavendam lactis corruptionem Emplastrum imposui:

℞. Pulv. flor.rosar.rubr.
santal.rubr. ana ʒij.
mastich. ℈iiij.
Coralior. rubr. ℈ij.
Ol. rosac. & ceræ ana q. s. M.F. Emplastr.

Ventris dolorem unguento nostro anodyno compescui & sic DEI gratia & matrem & infantem bonæ valetudini restitui.

CASUS II.
Variolæ & morbilli.

De curatione variolarum & morbillorum actum est libro octavo de Febribus Casu XXVI. & XXVIII. Item libro quarto Epistolarum Medicinalium Epist. XVI.

CASUS III.
Achores.

Filiolus Nobilissimi Domini Philippi Borcken, Hæreditarii in Falckenburg &c. &c. ulcerosis quibusdam tuberculis subflavis hinc inde per capitis superficiem diffusis, afficiebatur, è quibus saniosum quid continuo emanabat cum aliquali pruritu & dolore.

RESOLUTIO.

Tubercula hæc ulcerosa, achores sive favos vulgò dicta, ab humore seroso, salso & mordaci excitari, judico, quatenus impurior sanguis in utero materno, quo nutritur infans, collectus, accedente postmodum & lactis vitio, quo nutrix cacochymica scatebat, ad ambitum & cutem capitis à naturâ vi expultricis propellitur, ibidemque efflorescit.

Adest pruritus & dolor propter excrementi salsi & acris mordacitatem.

Consultus à Parentibus initiò svasi, naturæ negotium committerent, quæ in expulsione humoris vitio-

vitiosi à partibus internis ad exteriores nequaquam impedienda; Intereà tamen Cacochymiam nutricis emendandam, quo fine primùm minorativum ex decocto foliorum senæ &passularum exhibui; Hinc præparantia ex fumaria, oxylapatho, cichorio, borragine, polypodio &similibus præscripsi materiamque præparatam electivâ purgatione plenius eduxi ℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥iiß.
Extract. fol. sen. Rhabarb. ana ℈ß.
Pulv. Gialapp. gr. vii.
Aq. Cinam. ʒj. M. F. potiuncula.

Denique ad viscerum roborationem &humorum acrium attemperationem Electuarium ex Cichorio, fumariâ, borragine, violis, speciebus diarrhod. gelatina Cornu Cervi & similibus commendavi.

Verùm cùm nihilominus etiam post ablactationem perseveraret malum, metusque esset ne ulcera hæc in tineam degenerarent, ipsũ infantẽ syrupo nostro laxativo per vices purgavimus, singulisque diebus ad depurationẽ sanguinis guttulas aliquot tincturæ antimonii ex aq. fum. & scabios. exhibuimus.

Extra autem lotiones capitis ex decocto radicum lapathi acuti, althææ, Enulæ, foliorum chelidoniæ, scabiosæ, hyssopi, salviæ &c. instituimus, fricando subinde caput sapone nigro, post detersionem oleo amygdalarum amararum in quo tantillum lithargyrii solutum sit, inunximus, & sic puellum lepidissimum ab ulcusculis his molestissimis liberavimus.

CASUS IV.

Phtiriasis aloë curata.

Piscatoris Campensis Martini Treyen Filiolus quinque circiter annorum, per integram æstatem phtiriasi affectus, ingruente autumno, tanto pediculorum agmine infestabatur, ut non tantum sub capillitio & in cute capitis, sed & per faciem catervatim quasi reptantes insignem molestiam & pruritum excitarent, somnumq; de nocte impedirent. Tentata varia lotionum, unguentorum lituumq; remedia, sed frustra, unde ad mercurialia suasu cujusdam Barbitonsoris deventum, quæ cum periculosa esse Ecclesiæ vicinæ Pastor moneret, consilium meum implorabant Parentes; Jussi caput lixivio acri ex cineribus fraxini in quo staphis agria ebullierit, lavarent, postmodum aquâ mea aloëticâ sæpius de die inungerent, quo per novendium continuato, tetra hæc, ut Q. Serenus vocat, animalia immani strage fusa penitusq; deleta sunt. Eodem remedio & alii plures cum à turpissimo hoc malo, tum à scabie aliis-

aliisq; vitiis cutaneis feliciter liberati sunt.

Descriptio aqvæ meæ aloëticæ:

℞. Aq. absinth. ℔j. dissolv. in hac Aloës purissimæ ℥ij. Misc.

CASUS V.

Hydrocephalus.

ANno M. DC. XLI. Filia Gabrielis Jonæ Secretarii Castrensis, ætate bimestris, tumore Capitis insigni & pellucido, ejusdem undiq; coloris afficiebatur; tumor in altum incurvatus tactui cedebat, rursusq; assurgebat, compressus aquæ fluctuantis motũ repræsentabat, sine dolore.

RESOLUTIO.

Ab humore seroso extra cranium inter cutem & pericranium collecto, tumorem hunc excitari, signa modò enumerata satis ostendunt. Sensim autem & in utero materno coacervatum esse serum exinde colligo, quod mater alioquin valetudinaria & ad hydropem disposita, toto gestationis tempore potu Cerevisiæ tenuis sive secundariæ usa, multum aquosi & serosi humoris cumulavit. Nutricem itaq; sanã & boni habitus substituendam suasi, cumque infanti tenello ex medicamentis internis nihil adhiberi posset, externis agendum esse censui, imposito sequenti cataplasmate, cujus solius usu aliquandiu continuato sensim disparuit tumor:

℞. Pulv. rad. cucumer. asinin. Iridis ana ℥ß.
Sem. Cumin. ℥j Farin. fabar. ℥ij.
Mellis anthosati q. s. M. F.
Cataplasma capiti raso calidè applicandum.

CASUS VI.

Pavor in Somno.

FIliolus Dni. Ægidii von der Myler *septem circiter annorũ puer, minus quietè dormire, sæpius in somno quasi gemere & concuti videbatur, nonnunquam subitò terrefactus, in clamores erumpere. Oris halitus justo calidior & aliquando fœtens graveolensq; deprehendebatur.*

RESOLUTIO.

Pavores infantium in somno, iis potissimum accidunt, qui lac avidius sugunt & naturâ voraciores sunt, quatenus alimentum copiosꝰ à ventriculo concoqui non potest, unde corrumpitur & vapores impuros & tetros ad cerebrum mittit, qui spiritibus animalibus mixti eos turbant & phantasmata terribilia excitant. Galenus hoc fieri statuit, cum multi & vitiosi humores stomachum & præsertim ejus orificium, quod sensu exquisitissimo est præditum, gravant & quasi mordent; facilè enim ventriculꝰ ob nervorum communionem cerebrũ in consensum rapit, unde pro humoris in eo contenti qualitate aut vaporis naturâ, varia phantasᵗ atque imagination. in somno suboriũtur.

Quicquid sit, Curatio tandem eò recidit ut humores vitiosi è ventriculo tollantur, & ne amplius generentur, præcaveatur.

Prius

Digitized by Google

Prius in præsenti casu præstitimus exhibitione mellis rosati solutivi qvod humores vitiosos abstergit & blande per alvum subducit.

Posterius lactis emendatione, alimenti subtractione, & ventriculi roboratione obtinuimus:

Nutrix nimirum sit sana & cibis boni succi moderatè utatur, pravos autem devitet, ne lac malum generetur. Infans parcius lactetur nec pleno ventre cubitum deferatur; ventriculus circa orificium oleo nucis moschatæ vel balsamo Peruviano & oleo mastichino inungatur, & ante somnum tantillum confectionis de hyacyntho vel rotula una diamoschi dulcis in lacte soluta exhibeatur: verùm cum his omnibus ordine decenterqve administratis nihilominus recurrerent pavores, & nutrici & infanti pulverem Smaragdinum ex aqva florum tiliæ sub noctem assumendum præscripsi & sic puellum lepidissimum qvietiori somno feliciter restitui:

℞. Magister. Smaragd. ℈j Hyacynth. Margar. Coral. rubr. ana ʒß. sacchar. rosat. tabulat. ad pondus omnium M. F. pulvis.

CASUS XII.

Vigiliæ nimiæ.

D*N. ARNOLDI BELIZEN Capituli Colbergensis Secretarii Filia trimestris perpetuis vigiliis detinebatur, nec cunarum vel ulnarum agitatu, nec cantu nec uberum exhibitione aliove modo ad somnum componi poterat, continuo ploratu noctes diesq; insomnes transigens.*

RESOLUTIO.

Cum nullam affectionem dolorificam nec aliam vigiliarum caussam in puellâ hac deprehenderem, à lactis vitio ejusqve in ventriculo corruptione insomniam excitari pronunciabam, qvatenus vapores acres ex ventriculo ad cerebrum ascendunt, spiritus animales continuo agitant, nec eos qviescere & sopiri permittunt.

Lactis itaqve vitium emendandum, humores ex lacte corrupto geniti, evacuandi, & ciborum lactisqve corruptio præcavenda.

Qvoad primum Nutrici diætam ex cibis boni succi & facilis concoctionis præscripsimus, interdictis acribus, salsis, in muriâ maceratis, fumo duratis, valde piperatis, vino, cerevisia potentiori & multum lupulata aliisqve calidis & vaporosis.

Alterum, Clysteribus & exhibitione mellis rosati solutivi perfecimus.

Tertium ventriculi roboratione per mivam Cytoniorum & inun-

ctionem ex oleo stomachali Cratonis feliciter obtinuimus.

A soporiferis utpote ætati huic minus convenientibus, de industria abstinuimus, nisi qvod frontem & tempora qvandoqve oleo papaveris albi & nucis moschatæ, plantas autem pedum medulla cervinâ illinivimus.

CASUS VIII.

Epilepsia.

A*Nno M. DC. XLI. die XI. Februarii circa horam octavam vespertinam Filiolus Nobilissimi Dni. COSMI à SIMMEREN undecim septimanarum puer insigniter plethoricus incidit in Epilepsiam.*

RESOLUTIO.

Cum ventriculum lacte nimis repletum perciperem, compressâ infantis lingvâ pennam oleo amygdalarum illitam in fauces immisi, vomitumqve proritavi, rejecto lacte copiosissimo & corrupto, pulveris mei Epileptici scrupulum semis ex aqvâ florum tiliæ & syrupo de pæoniâ exhibui, simulqve nares & tempora ut & cervicem & syncipui balsamo florum Cheiri inunxi, vertici autem cucupham ex rasura succini albi & visci qverni, aqva Epileptica Langii conspersam, imposui. Ventriculum etiam oleo nardino inunxi & cum alvus obstructa esset, immisso suppositorio, eandem solvi.

His nihil proficientibus, tincturam Lunæ, spiritum ungulæ alcis, aliaqve antiepileptica pretiosa ex liqvoribus convenientibus per vices instillavi, sed frustra omnia. Convulsionibus enim per horas septendecim indesinenter ferè & sine ulla notabili remissione in puellum lepidissimum sævientibus, tandem fatis concessit. Caussam mali qvantum ex domesticis intellexi, dederat plenior victus, tum ex lacte qvo nutrix supra modum abundabat, copiosissime sucto, tum ex pulticulis sæpius affatimqve ingestis.

Caveant itaqve nutrices ne pleniore victu tenella infantium corpora onerent; Fieri enim non potest, qvin in morbos tandem incidant, maximè vero in convulsiones, ut olim jam observavit Aristoteles, cujus lib. 7. histor. animal. cap. 12. hæc sunt verba: *Solent pueri plurimi convulsione excipi & præcipuè corpulentiores & lacte vescentes copiosiore crassioreq; & nutricem lactentes succiplenam & corpulentam.*

CASUS IX.

Aphtæ.

I*Nfans trium circiter septimanarum nutricem lactens cholericæ constitutionis, ulcusculis subflavis in lingva, palato, gingi-*

gingivis & faucibus hinc inde afficiebatur cum insigni partium internarum oris calore & qvantum ex suctione interruptâ & debili colligere poteram, cum dolore, sed sine febri.

RESOLUTIO.

Aphtis, Alkola Arabibus, Latinis lactucimina dictis, infantem hunc laborare statuo, qvatenus ex lacte bilioso, acri & fervido partes oris internæ exulceratæ sunt.

Vitium lactis ante omnia emendandum erat, qvo fine, ordinato convenienti victus regimine nutricem pulvere meo Cholagogo purgavi, postmodum Cichoracea & alia qvæ sanguinis biliosi fervorem temperant exhibui, in qvorum censu maximè profuit serum lactis caprini cum succo Endiviæ, acetosæ, & portulacæ alteratum affatimqve horis præcipuè matutinis bibitum.

Os infantis syrupo violarum & diamoro sæpius de die inungendum præcepi, qvibus non proficientibus magis refrigerantia ex succo plantaginis, portulacę, lactucæ, acetosæ, & similibus præscripsi; verùm cum & his perfectè sanari nondum possent ulcuscula, florem lactis caprilli cum tantillo nitri purissimi adhibui & sic infantem tenerrimum à malo hoc molestissimo, DEI gratia liberavi.

CASUS X.

Dentitio difficilis.

ILlustris Viri Domini GEORGII FLEETVODII *excubiarum Præfecti Generalis Filiolus lepidissimus sub initium mensis septimi circa solstitium æstivum alvi profluvio, vigiliis & ploratu præter solitum freqventiori tenebatur, digitos subinde ori inserebat, ipsaqvè nutrix papillas fortius stringi sentiebat, gingivæ etiam justo calidiores deprehendebantur.*

RESOLUTIO.

Dentitionem ipsum ætatis tempus, qvo plerumqve erumpere solent dentes, concurrentibus & signis modò enumeratis, indicat.

Alvi profluvium humores biliosi, acres & fluxiles excitant.

Vigilias & ploratum dolor ex solutione continui gingivarum inducit.

Digiti subinde in os inseruntur propter pruritum & punctiones, qvæ in gingivis sentiuntur, ob qvam caussam & papillas fortius stringit infans.

Gingivæ calidiores sunt ob affluxum sanguinis qvem dolor vehementior concitat.

Ad facilitandam itaqve dentitionem & mitiganda symptomata

præscripsi linimentum gingivis per intervalla affricandum:

℞. Mell. virginei, butyr. insulf. ana ℥ß.
Pulv. liqvirit. rasur. dent. apr. lupi ana ℈j. M.F. Linimentum.

Ad dolorem leniendum inflammationemq; inhibendam peculiariter commendavi succum sempervivi & plantaginis, utq; densitas & crassities gingivarum magis laxaretur & emolliretur, mucilaginem seminis malvæ & althææ cum vitello ovi subactam gingivis repetitim illinendam consului.

Extra maxillis cataplasma ex floribus chamæmeli, summitatibus anethi, malva & farina hordei applicui, facta prius inunctione ex oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium, cumqve non parum blandimenti adferat gingivarum frictio etiam rarefactioni conveniens, jussi dentem lupinum sæpius morderet puer; verum cum ne sic qvidem prodirent dentes, guttam unam atqve alteram sanguinis ex incisione cristæ galli adhuc calentis, per vices affricui, qvo factum ut tandem erumperent incisorii, qvos postmodum ex aliqvo temporis intervallo & canini, tandemqve molares seqvuti sunt.

Intereà nutrici convenientem victus rationem ex cibis temperatis & ad frigiditatem declinantibus præscripsi, interdictis calidis, salsis, acribus & mordacibus, præcipuè vino & cerevisiâ potentiori, nimiumqve lupulatâ.

In mentem hoc loco mihi venit qvod refert Plinius natur. histor. lib. 7. cap. 16. Marcum Curium & Papirium Valeriamq; Romæ cum dentibus natos fuisse, id qvod & mihi observare datum est in Filia Dni. Joachimi Navinii Episcopatus Camminensis Cancellarii, qvæ in lucem edita duos incisorios dentes in maxillâ inferiore habuit, in hunc usqve diem satis vegeta & incolumis.

Sic qvod de Pyrrho Epirota traditur, unum scilicet fuisse os, dentium vice, lineis tantum in superficie subpictum distinctumqve, id commune cum Pyrrho apud nos fuit antiqvissimæ Crockoviorum familiæ, ex qva pleriqve unum continuumqve os loco dentium habuerunt, cæteroqvin etiam robustissimi, ut mihi qvidem à Nobilissimo Dno. Georgio à Crockow Arcis Leoburgensis postmodum & Rügenwaldensis Capitaneo relatum est.

CASUS XI.

Tussis & respiratio difficilis à Catharro.

R*Everendi Dni. M. JOACHIMI JASCHII Præpositi & Pastoris Ecclesiæ Colbergensis*

sis primarii, Compatris & Confessionarii mei honorandi, Filiolus octo circiter mensium, tussi vehementissimâ, difficiliq; respiratione afficiebatur, facies rubore suffusa, floridiorq; videbatur ut & fauces, qvæ vaporem calidum exhalabant adeò notabilem, ut & nutrix eandem circa papillas perciperet, aderant & sternutationes freqventes & inter respirandum stertor qvidam & sonus.

RESOLUTIO.

Catarrhum à capite ad fauces & pectus decumbentem, tussim spirandiqve difficultatem excitare ex signis modò allatis constat.

Faciei fauciumq; rubor humorem Catarrhi caussam calidum & tenuem indicant, id qvod & oris calor manifestè prodit.

Stertor autem & *Sonus* percipitur, qvatenus aër minus liberè per obstructa pulmonum bronchia transire potest.

Caussa itaqve catarrhi tollenda & humoris ad pectus affluxus impediendus.

Prius per enemata convenientia & exhibitione syrupi violarum solutivi præstitimus, adminiculante naturâ, qvæ sternutationib° freqventioribus qvasi insurgens, multum materiæ pituitosæ per nares expulit.

Alterum emulsionibus amygdalatis & seminum qvatuor frigidorum majorum, imprimis eclegmate nostro pectorali & syrupo Schröteri feliciter obtinuimus.

Extra etiam ad exsiccandam Catarrhi materiam cucupham ex floribus rosarum, thure, ligno Rhodio & rasurâ succini capiti applicuimus, sic & pedum plantas medullâ cervinâ calidè inungendas præcepimus, præmisso interdum pedilavio ex cephalicis.

Si qvando respirationis difficultas esset intensior, tantillum spermatis Ceti ex cerevisiâ calidâ exhibuimus cum evidenti allevamento, non neglecta & pectoris inunctione cum oleo cheirino & amygdalino.

Dum hæc fierent etiam nutrici pectoralia convenientia subinde exhibuimus, syrupum scilicet jujubinum, Capillorum Veneris, violarum, rotulas nostras pectorales, & qvod maximè prodesse visum est, decoctum pectorale:

℞. Fol. hyssop. Capill. Vener. scabios. veronic. ana mj
Flor. violar. bellidis, salviæ ana p. j.
Rad. fænicul. liqvir. succulent. ana ℥ß.
Passul. minor. ℥jß Ficuum No. vij

 Juju-

Jujubar. sebesten ana no. xv.
Coq. ex aq. hordei ℔iij ad remanent. ℔ijß.

CASUS XII.

Vomitus ex lacte corrupto.

Puella decimestris, Filia Nobilissimi Dn. Balthasaris von Wedel *Consiliarii Electoralis freqventi & laboriosa vomitione multum humoris ex flavo virescentis rejiciebat cum aliqvali ventriculi intumescentiâ & rejectorum fœtore.*

RESOLUTIO.

Ex lacte corrupto vomitiones excitari rejectorum color & fœtor indicant. Ad abstergendum itaq; & evacuandum qvod corruptum est, exhibuimus syrupum de Cichorio cum Rhabarbaro, à melle rosato solutivo, qvod infantibus aliàs non incommodè datur, de industria abstinuimus propter abundantiam humoris biliosi, qvem color ex flavo virescens manifestè ostendebat.

Hinc ad humoris acredinem & caliditatem temperandam, ventriculumqve laxum & debilem roborandum, per intervalla exhibuimus syrupum granatorum dulcium, Coraliorum & mivam Cytoniorum.

Extra ventriculum oleo rosarum, myrtino & cytoniorum inunximus, superimposito pane secalino tosto & adhuc calente cum aceto rosaceo & pulvere mastichis consperso.

Ad lactis vitium emendandum nutrici diætam convenientem præscripsimus, & cum calidæ biliosæq; constitutionis esset, usum seri lactis caprini cum cichorio & Endivia alterati, ad tempus commendavimus, interdictis calidis, salsis & acribus.

CASUS XIII.

Ventris tormina à flatibus.

Octodecim mensium Filiolus Viri Generosi & Strenui Domini Wedigonis Bonin Chiliarchæ & Commissarii Electoralis Generalis &c. per intervalla ventris torminibus afficiebatur cum inflatione, rugitu & murmure, augebat malum alvi constipatio, unde multum plorabat inqvietusq; nunc huc nunc illuc se jactabat, donec per erumpentes crepitus, solveretur dolor.

RESOLUTIO.

Cum ex signis modò allatis constaret ventris tormina à flatibus excitari, alvusqve obstructa esset, clysterem præscripsi:

℞. Summ.

℞. Summ. aneth. Flor. chamæm. Sambuci ana mß. fem. fænicul. ʒij

Coq. ex brodio intestinorum vituli vel agni q. s.

℞. Colatur. ℥vi. Mell. rosat. colat. ℥j. M. F. Enema.

Pro abdominis inunctione commendavi oleum septem florum Mynsichti additis aliqvot guttulis olei destillati carui, cumini & anethi.

Ab inunctione sacculum ex parietariâ, anetho, menthâ, floribus chamæmeli, seminibus fæniculi, anethi, & baccis lauri in vino coctum & expressum calidè imposui, & cum flatus & cruditates plerumqve ex lactis copia ventriculum gravante proveniant, jussi, nutrix alioqvin succiplena, parcius infantem lactaret, ipsaqve paulò tenuiore victu uteretur, nec potui nimio, ut fama erat, indulgeret, cibosqve flatulentos & pingvia ut & fructus horarios aliaqve cruda devitaret.

CASUS XIV.

Fluxus alvi.

F*iliola plurimum Reverendi & Nobilisſimi Domini* MATTHÆI von Braunschweig *Consiliarii Electoralis & Canonici Colbergensis, Compatris, Adfinis & Fratris mei desideratisſimi, undecimo ætatis menſe, torminibus ventris & alvi profluvio corripiebatur cum inflatione ventriculi & ructibus, qvod excernebatur album erat & pituitosum.*

RESOLUTIO.

Ex intemperie ventriculi frigida & humida diarrhæam hanc fieri censeo, qvatenus alimenta minus rectè concoqvuntur, unde cruditates, cibiqve non satis cocti & in pituitam versi per alvum crebris dejectionibus excernuntur.

Causam malo dedit lactis, qvo nutrix abundat, copia, ciborumq; variorum ingestio, unde ventriculi calor qvasi obrutus non potuit non debilitari.

Svasi itaqve mammas infanti rarius præberet nutrix, nec pulticulis aliisqve cibis more solito ventriculum infarciret, ipsaqve à potu & cibo nimio difficilisqve concoctionis, piscium imprimis freqventi esu sibi temperaret.

Pro absterſione humoris pituitosi in corpore tenello cumulati mel rosarum solutivum exhibui, postmodum moderatè adstringentia ex syrupo masticino & Cytoniorum cum aqva cinamomi dilutis, præscripsi, qvibus per triduum continuatis, cum nondum subsisteret alvus, paullò fortiora substitui, pulvisculum scilicet ex tormentillâ, co-

lâ, coraliis, mastiche, nuce moschatâ, terrâ sigillatâ & similibus.

Extra umbilico Theriacam cum terra sigillata subactam & alutæ inductam; Ventriculo autem sacculum ex mentha, caryophyllis, absinthio & mastiche imposui, factâ prius inunctione cum oleo nostro stomachali composito, & sic pertinax hoc ventris profluvium feliciter stitimus.

CASUS XV.

Alvi constipatio.

UXor Martini Lutheri Locumtenentis, filium lactans semestrem, nucibus castaneis adeò delectabatur, ut qvotidie libram unam atq; alteram earundem devoraret; Hinc & ipsa & infans in pertinacissimas alvi obstructiones inciderunt, ut multorum dierum circuitu vix semel idq; exiguum & crassum induratumq; ingenti & laborioso conatu excernerent, aderant & ventris tormina, & flatus, & capitis dolores.

RESOLUTIO.

Nuces castaneas, præsertim crudas insignem adstringendi vim habere & flatulentas esse, vulgo notum est, unde non mirum copiosius & qvotidiè ingestas alvi obstructiones & tormina & flatus & capitis dolores ex vaporibus ad cerebrum delatis, induxisse.

Optimum indicans videbatur à noxio hoc edulio abstinere, constipatamqve alvum per emollientia & humectantia lubricam reddere, habent enim castaneæ præter vim adstringendi & siccandi facultatem non exiguam.

Matri itaqve clysteres convenientes præscripsimus cibosqve alvum emollientes, passulas nimirum & pruna ac poma cocta & seminibus fæniculi & anisi correcta, malvas item & juscula ex radicibus althææ & butyro, commendavim⁹.

Extra pro ventris inunctione linimentum emolliens & laxans præscripsimus:

℞. Ung. clysmat. August. ℥i
Sev. hircin. pingv. anser. gallin. ana ℥ß.
Ol. amygd. dulc. violar. ana ʒiij
Ol. stillatit. chamæmel. anethi, carui ana gt. v.
Croci ℈i. M. F. Unguentum.

Infanti suppositoria & clysteres ex lacte cum melle rosato solutivo repetitim applicuimus, ventrem etiam unguento modo descripto sæpius de die inunximus, interdum & balneo sive insessu ex emollientibus & humectantibus, malva scilicet, meliloto, brancâ ursinâ, parietaria & similibus usi sumus. Ex internis

ternis decoctum brassicæ rubræ cum tantillo mellis, vel oleo amygdalarum dulcium recentissimè expressum, nonnunqvam & aliqvid cassiæ cum semine fæniculi correctæ exhibuimus & sic segniorem utriusqve alvum ad officium redegimus.

CASUS XVI.
Lumbrici.

PUella trium circiter annorum Filia Dni Richardi von Polen / *singulis ferè matutinis humorem aqveum & fœtentem nauseabunda rejiciebat, nares subinde scalpens, venter qvasi inflari ac intumescere videbatur, sæpè etiam dolere, præsertim ubi jejuna esset, facies modò rubore suffundi, mox iterum pallescere totumqve corpus præter abdomen extenuari, appetitus ciborum fermè modum excedebat, urinæ turbidæ reddebantur & albæ qvales jumentorum esse solent.*

RESOLUTIO.

Nullum ferè morborum genus infantibus magis freqvens ac familiare est, ac lumbricorum, adeò ut observatum sit etiam recens in lucem editos excrevisse vermes jam in utero ex materia feculenta genitos.

Causa non immeritò in humidam & calidam corporis constitutionem refertur, utpote qvæ ad producenda hæc animalia est aptissima; Accedit plerumqve & ἀδδηφαγία lactisqve cum aliis cibis confusio, unde raro qvempiam in tenellâ hac ætate reperias, qvi malo huic non sit obnoxius, qvod ipsum mecum ruminans & signa supra allata consideratius perpendens, puellam modo dictam vermibus laborare suspicabar, ac proinde pulvisculum contra lumbricos officinis nostris usitatum ex hydromelle repetitim & per vices lunâ decrescente exhibui, facta simul & umbilici abdominisqve inunctione ex felle taurino, aloe, myrrha, succo absinthii, theriaca & similibus.

Verùm cum his adhibitis nihil vermium excerneretur, dubitare de iis cæperunt parentes; Ego contra fortioribus qvæ ad enecandos expellendosqve lumbricos faciunt instare, sed inani conatu; tandem arcanum meum contra vermes paucorum granorum pondere ex vino Rhenano bis vel ter exhibui, unde ingens vermium agmen rejectum est, symptomatibus supra recensitis sponte postmodum desinentibus.

Descriptio pulveris contra

vermes hæc eſt.

℞. Sem. ſantonic. ℥ß. Fol. card. bened.
Flor. tanacet. Rad. filic. ana ʒj
⊕li calcinat. ℈ij. M. in mortar. marmoreo F. pulvis.

Unguentum ſic componitur.

℞. Aloes, myrrh. ana ʒij. Trochiſc. alhand. ʒj. ſucc. abſinth. inſpiſſat. ℈iiij. Theriac. Androm. ʒiij. Fellis taurin. ℥ß. ol. abſinth. & ceræ ana q. s. M. F. Unguentum.

CASUS XVII.
Hernia.

PUer qvatuor annorum, Filius Nobiliſſimi Domini Adriani Plötzen Eqvitum Magiſtri, ex divaricatione crurum rupto in dextra parte peritonæo Enterocelen contraxerat, adeò ut inteſtina prolapſa tactu percipi, ipſumq; foramen per qvod delapſa erant, digito explorari poſſet, aderat qvandoq; & ventris inflatio & dolor, præſertim à ſumto cibo.

RESOLUTIO.

Cum de cauſsâ Herniæ conſtaret, proximum erat de remedio cogitare.

Inteſtina nimirum prolapſa reponenda, repoſita ne denuo relabantur obfirmanda, ipſaqve ruptura conſolidanda.

Hæc ut commodè fierent, primò inteſtina beneficio Clyſteris ab infarctu liberavi, mox puello in dorſū reclinato, capite paulisper depreſſo, elevatisqve cruribus, inteſtina prolapſa molliter ſenſimq; repoſui, & ne iterum exciderent, emplaſtro infra deſcripto & ſubligaculis convenientibus obfirmavi.

Hinc interna qvædam ad glutinationem & conſolidationem rupturæ facientia, exhibui, decoctum ſcilicet Herniariæ ex vino rubello cum ſyrupo de ſymphyto dulcoratum, ut & Electuarium cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. Rad. conſolid. maj. ℥ß.
Fol. Herniar. perfoliatæ ſanicul. millefolii ana ʒij

In pulverem redacta c. ſyrup. de ſymphyto q. s. F. Electuarium.

Cæterùm monui ut à cibis flatulentis, craſſis, & difficilis concoctionis, fructibus horariis, vehementi corporis motu, ſaltu, curſu & vociferatione abſtineret, inprimis in ejiciendis alvi fecibus, inguina & ſcrotum manu comprimeret, in tuſſi autem & ſternutationibus crura decuſſatim implicaret, qvibus obſervatis integræ valetudini reſtitutus eſt puer lepidiſſimus.

Deſcriptio Emplaſtri contra hernias.

℞. Picis navalis ℥ß. aloës ʒij. Lythargyr-

thargyr. Colophon. galban. Ammoniac. ana ℨiß. visc. qvern. liqvid. ℨvj. Aristoloch. rotund. Myrrh. Thur. mastich. Bol. Armen. ana ℨiij. Consolid. major. ℨvj. lumbricor. terrestr. gallar. ana ℨiij. sarcocollæ ℨvj. Terebinth. & ceræ q. s. F.

Emplastrum.

CASUS XVIII.

Umbilici prominentia.

DN. GEORGII SCHWEDERI vicini mei Filius octimestris tussi vehementissimâ, qvam ferinam dicimus, affectus, in tumorem umbilici incidit, magnitudine ovum columbinum fermè adæqvantem, cum supinus decumberet, tumor recedebat ut vix percipi posset, si in pedes erigeretur vel ulnis gestaretur, iterum prominebat, maximè cum tussiret aut fleret.

RESOLUTIO.

Umbilici prominentiam à rupto per tussis vehementiam peritonæo proficisci, signa modò enumerata ostendunt. Si enim saltem laxatum foret, tumor nec intenderetur nec minueretur sed æqvalis subinde esset, nec multum prominerel.

Emollita itaqve & purgata per Clysterem ex jure carnium pingvi, cui malva & anethum incocta erant, alvo, intestina in suum locum reposui & ne dennò elaberentur, umbilico Emplastrum è cadmiâ applicui, postmodum superimposito pulvinari, fascia convenienti umbilicum constrinxi adhibitis & internis glutinantibus & consolidantibus, casu præcedente descriptis.

Intereà omnem impendi operam, ut tussis, sanationis impedimentum, sedaretur, id qvod seqventi Eclegmate, cui consolidantia qvædam admiscui, per integrum mensem continuato, feliciter obtinui:

℞. Ecclegmat nostr. pectoral. ex succis ℥iij.
Syr. de liqvir. d. jujub. Capill. Veneris ana ℥j. de symphyt. Fernel. ℥ij.
Misc. pro lambitivo.

Interdum pulverem contra tussim infantium, qvem in armamentario descripsit Mynsichtus, ex lacte nutricis exhibui, addito pulvere radicis scrofulariæ, tanqvam singulari rupturarum remedio.

Extra pectus pingvedine caponis & oleo amygdalarum dulcium, plantas autem pedum medullâ cervinâ, inunximus & sic & tussim contumacissimam & rupturam periculosissimam, DEO juvante, ex voto curavimus.

CASUS XIX.

Ani procidentia.

Filiolus Nobilissimi Domini LAURENTII von Wacholtz *fluxu ventris aliqvandiu affectus, tandem in ani prolapsum incidit, qvem etsi parentes & domestici reponerent, subinde tamen qvoties alvum exoneraret iterum excidit, unde opem meam implorabant.*

RESOLUTIO.

A nimia laxitate & humiditate musculi anum claudentis, procidentiam hanc dependere, humores ad alvum confluentes, indicant.

Fluxus itaqve sistendus, anus reponendus & ne iterum prolabatur, præcavendum.

Ad primum præmissis abstergentibus adstringentia qvædam præscripsi:

℞. Tormentill. mastich. Cort. granator. terr. sigillat. boli Armen. Corn. Cerv. usti præpar. tragacanth. ana ℈j M. F. pulvis subtiliss. ex lacte chalybeato addito pauco saccharo, qvotidiè bis vel ter assumendus.

Interdum mivam cytoniorum & syrupum mastichinum delibanda exhibui.

Alterum, nempe repositio, manuali operâ, ministrante Chirurgo præstitum.

Ad tertium fomentationes ex adstringentibus commendavi sæpè iterandas, ita qvidem ut post singulas fomentationes ano gossypium inderetur, seqventi pulvisculo conspersum:

℞. Farin. volatil. Bol. Armen. Mastich. tragacanth. ichthyocol. myrrh. balaust. ana ℈j. M. F. pulvis subtilissimus.

℞. Fol. qverc. artemis. plantagin. verbasci, tormentill. gallar. q. v. coq. ex vino rubro pro fotu.

CASUS XX.

Calculus vesicæ.

De calculo vesicæ in puero qvodam nobili actum est casu tricesimo nono libri qvarti.

CASUS XXI.

Urinæ difficultas.

Filius Domini, WILHELMI SYLVESTRI teloniorum maritimorum ad portum Colbergensem præfecti, novem circiter mensium puer, urinam difficulter & guttatim emittebat non sine dolore, ut ex fletu qvem inter mingendum subinde fundebat, conjiciebam; Urina reddebatur pauca eaq; valdè crassa lutulenta & turbida.

RE-

RESOLUTIO.

Cùm nulla calculi vel alterius affectus veſicæ ſubeſſent indicia, ab humore craſſo, ſalſo & Tartareo è qvo calculus generari ſolet, dyſuriam hanc excitari judicabam, qvatenus collum veſicæ ab eodem obſtruitur, urinæqve effluvium inhibetur vel impeditur. Ad materiam itaqve evacuandam præſcripſi enemata convenientia & mel roſatum ſolutivum per vices exhibendum; Hinc inſeſſum ex decocto althææ, parietariæ, malvæ, petroſelini, Chamæmeli, anethi, ſeminibus lini, fænugræci & ſimilibus commendavi.

A balneo partes circa veſicam linimento infra deſcripto largiter inungendas præcepi, ſuperimpoſito cataplaſmate ex ſpeciebus pro Inſeſſu ordinatis, addito oleo liliorum alborum & ſcorpionum.

Dum hæc fierent etiam diuretica qvædam infanti exhibui, pulviſculum ſcilicet ex Magiſterio oculorum cancri, ſuccino albo, ſangvine hirci &c. vehiculi loco aqvam petroſelini & ceraſorum guttulis aliqvot eſſentiæ ononidis, vel lumbricorum terreſtrium, cujus efficaciam in pellendâ urinâ ſæpè expertus ſum, impragnatam obtuli. Obiter hoc loco notandum in Practicorum libris hinc inde commendari ſpiritum ſalis & vitrioli, aliaqve acida, qvorum uſu cum lac in ventriculo certo certius coaguletur, non video qvomodo infantibus lactentibus tutò & citra periculum exhiberi poſſint, qvanta enim lac coagulatum excitet ſymptomata, nemini non notum eſt.

Putant qvidem nonnulli eo die qvo talia exhibentur, infanti mammas ſubtrahendas ſed an hoc ſatis commodè fieri poſſit, nutrices noverint, & qvis ſcit an ventriculus ab omni lacte, qvod paullò ante infans ſuxit, adeò ſit vacuus ut nihil in eo remanſerit, qvod coagulari qveat; ſi verò & ante & poſt exhibitionem acidorum ab uberibus arcendus infans, qvomodo diuturnam hanc abſtinentiam ſuſtinebit? veriſimile præterea eſt aciditatem illam tunicis ventriculi fortius imprimi, ut paucarum horarum vel unius diei termino penitus elui aut abſumi poſſit, unde tutius eſſe puto ab acidis abſtinere & iis uti qvæ citra incommodum urinas movere valent, ſed hæc, ut dixi, obiter.

Cæterùm & nutricis corpus purgavi, convenientemqve victum præſcripſi interdictis omnibus qvæ ad generationem Calculi qvocunqve modo facere poſſunt, qvibus obſervatis à moleſtiſſimo malo liberatus eſt infans in hunc usqve diem qvo hæc ſcribo ſalvus & incolumis.

CASUS XXII.

Urinæ incontinentia.

D*N. LAURENTII PERSONII Locumtenentis Filius, qvatuor circiter annorum singulis noctibus urinam in lectum emittebat, nec ullis Parentum adhortationibus aut minis adduci poterat, ut illud intermitteret, etiam ferulis ob turpe hoc vitium non semel castigatus.*

RESOLUTIO.

Si qvis morborum infantilium curatu difficilis est, certè hic est, præsertim si consuetudo in habitum degeneraverit, vel sphincter orificio vesicæ claudendo inserviens, paralysi afficiatur.

Multa qvidem à Practicis ex aprorum porcorumqve vesicis, leporum testiculis, gallorum guttu-re, Erinaceorum combustorum cineribus, piscium in ventre lucii repertorum exsiccatorumqve pulveribus, & nescio unde conqvisita laudantur remedia; sed rarò famam sustinent, promissionesqve horum Medicamentorum, ut Galenus 4. de compos. medicam. sec. locos cap. 4. loqvitur, sunt magnificæ, effectus verò aliqvando nulli, aliqvando valdè exigui: Optimum hujus morbi remedium ætas est, vel qvatenus infantes adultiores facti, verecundiæ & pudoris rationem habere discunt, & propterea ne inter dormiendum tale qvid committant, magis solliciti sunt, vel qvatenus ætatis progressu intemperies humida corrigitur, corpusqve indies siccius evadit, id qvod & in præsenti casu factum. Qvi enim nec increpationibus, nec minis & verberibus, nec exqvisitissimè comparatis remediis à molestissimo hoc affectu liberari poterat, adultior factus circa nonum ætatis annum sponte intempestivum lotii effluvium cohibere didicit, non tam verecundia pudorisqve ratione, qvam humiditatis nimiæ, qvæ musculum cervicis obsidebat, exsiccatione & absumtione, si qvos ars destituit, ætas qvandoqve juvat, qvemadmodum etiam hoc in aliis morbis & affectibus sæpè observatum est. Novi puerum, qvi usq; ad annum ætatis decimum tertium insigniter balbutiebat, nec ullis remediis ad expeditiorem loqvelam redigi poterat, postmodum adultior factus, absumta humiditate supervacaneâ lingvæ musculos nimium irrigante, rectè perfecteqve loqvi didicit, adeò ut nunc qvidem alter Fabius, Asus, Locutius dici mereatur.

Cæterum si qvæ mictionem involuntariam sanandi spes est, eam potissimum in recto continuatoq; Thermarum qvæ sulphuris alumi-

nis-

nisqve vehant mineras, usu consistere puto, præsertim si à facultatis retentricis ob intemperiem frigidam & humidam imbecillitate, dependeat. Possunt qvidem & alia intemperiem hanc corrigentia, humoresqve superfluos exsiccantia & absumentia exhiberi, qvalia à Practicis passim describuntur, sed rara in his, qvantum mihi qvidem hactenus observare licuit, est victoria.

CASUS XXIII.

Macies à Crinonibus sive Dracunculis.

Puella trium annorum, Filia Domini Olai Helleparts Excubiarum inter stationarios Colbergenses Præfecti, mediocri corporis habitu prædita, ante mensem & qvod excurrit, sensim contabescere cœpit, & licet qvoad cætera benè valere, satisq; comedere videretur, attamen parum aut nihil nutriebatur, qvin & pruritum in dorso, brachiis & cruribus percipiebat.

RESOLUTIO.

Cum in caussam hujus maciei accuratius inqvirerem, & puellam jam pridem ablactatam, nulloqve morbo affectam rectè valere, satisqve cibi assumere intelligerem, nec ulla lumbricorum in intestinis latentium adessent indicia, de vermibus cutaneis sive dracunculis cogitare cœpi, ac proinde emaciatum corpusculum in balneum aqvæ calentis collotenus demergendum, musculosasqve dorsi, brachiorum & crurum partes linimento ex farinâ triticeâ & melle illinendas, molliterqve fricandas, svasi, qvod dum fieret animadverti subtilissima qvædam vermiculorum capita cineritii coloris è cute erumpere; Hæc ut subitò, crustâ panis, novaculam enim non admittebat meticulosa, abraderentur jussi, idqve aliqvoties per triduum qvatuorve dierum intervalla, repetivi, verùm cum subinde plures ejusmodi vermiculi prorepèrent, qvotidiè deinceps balneo, inunctionibus & abrasioni insistendum duxi; At cum ne sic qvidem satis proficerem, ad sanguinem vitiosum depurandum mitiora qvædam purgantia exhibui, interjecto subinde usu tincturæ antimonii, cujus mira in vitiis cutaneis est efficacia; tandem universum corpus aqvâ meâ aloetica qvotidiè inunxi, & sic puellam lepidissimam à molestissimo pruritu, vermiculis & macie, DEI gratiâ, liberavi.

BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
von Güldenklee

CASUUM MEDICINALIUM
LIBER SEXTUS
DE
MORBIS PARTIUM EXTERNARUM.

Admodum *Reverendis*,
Magnificis, Nobilisſimis & Excellentisſimis
DOMINIS

DN. EOVVALDO A KLEIST,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Intimioris Admisſionis Conſiliario & Camerario, Regiminis per ulteriorem Pomeraniam Præſidi, Capituli Caminenſis Decano, Capitaneo in Marienflieſs, Domino in Birckenvverder, Timmenhagen, Raddovv & Zattkovv &c. &c.

DN. LAURENTIO CHRISTOPHORO A SOMNITZ, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Pomeraniæ Orientalis Cancellario & Camerario Hæreditario Terrarumque Leoburgenſium & Butovienſium Præfecto, Domino in Grumsdorff, Gönne & Drenovv &c.

DN. MATTHIÆ A CROCKOW,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Archidicaſterii Pomeraniæ Directori & Capituli Colbergenſis Præpoſito, Domino in Uſſecken.

DN. JACOBO HEIDEBRECK,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Capitaneo Coslinenſi & Caſimiriburgenſi, Domino in Crazig, Parnovv & Byzigger &c. &c.

DN. ADAMO PODEWILS,

Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo & Oeconomiæ in Pomerania Orientali Directori, Domino in Crangen.

DN. GEORGIO ANDREÆ von THUN,

Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo & Capituli Caminenſis Canonico, Domino in Schlemmin.

DN. MATTHAEO BRAUNSCHWEIG,

Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario, Status & Eccleſiæ Collegiatæ Colbergenſis Canonico &c.

Oppianus in Halieuticis.



Ete, Viri plurimum Reverendi, Magnifici, Excellentiſſimi, ob viſûs hebetudinem ſequuntur parvos piſciculos: ſic magni PRINCIPES ductum Sapientûm; Pauca aliqua unus videt, unus audit; At multos REGIS oculos, multas aures eſſe oportet. Priſco ſeculo fidorum ejuſmodi ductorum magna in Aulis fuit raritas; DARIUS præter unum ZOPYRUM habuit neminem: AGAMEMNON ſolum NESTOREM; AUGUSTUS AGRIPPAM & MOECENATEM & his ſublatis nullum, unde ſæpiùs exclamaſſe fertur: HORUM NIHIL MIHI ACCIDISSET, SI AUT AGRIPPA

Xenophon lib. 8. Pædiæ.

Seneca lib. 6. cap. 32. de beneficiis.

GRIPPA VIXISSET, AUT MOECENAS. Hodie, DEI gratia, uberior Conſultorum ſeges eſt & eo ipſo inter cæteros fortunatior Sereniſſimus ELECTOR, Dominus noſter clementiſſimus, cui non unum aliquem ZOPYRUM, non unum NESTOREM, AGRIPPAM vel MOECENATEM indulſit Supremus ille RECTOR univerſi, ſed ita multos, ut qui conſeſſum illorum ſimul intueatur, in DEORUM concilium ſeſe immisſum arbitretur, nec multos tantum, ſed & pietate, doctrinâ, judicio, eloquentia & authoritate rerumque uſu præcellentiſſimos.

Hos inter, Viri Excellentiſſimi, maximè & Vos ſuſpicit & veneratur PATRIA, belli pertinacioris calamitatibus in tantum concuſſa, ut propemodum dejecta ruinisque jam proxima eſſet, niſi Optimi PRINCIPIS fortitudine & clementia, Veſtris autem conſiliis & dexteritate ſuffulta fuiſſet.

DEUS in cujus manu poteſtas terræ & qui utiles RECTORES ſuſcitat ſuper illam, conſervet animas veſtras & omnes cogitationes cordis veſtri virtute ſuâ corroboret, operamque, quam PATRIÆ afflictisſimæ vigili perſpicacique curâ impenditis, continuâ ſuccesſuum felicitate, eoque, quem intenditis eventu, ſecundet cùm publicæ ſalutis bono, tùm veſtri etiam nominis immortali gloriâ. *Eccleſiaſt. c. 10. v. 5.* *Judith. c. X.*

Ego verò inter publica hæc etiam privata & ea præcipuè, quæ Veſtro, Viri eminentiſſimi, indultu mihi cesſêre beneficia recogitans, diu multumque de gratæ men-

 tis

tis documento mecum deliberavi, cumque excuſſô facultatum mearum penu, nihil invenirem tam effusâ in me gratiâ dignum, tandem ex ſcriniis Machaoniis aliquid depromendum duxi, Vobis, qui medicinam ejusque cultores dignè æſtimatis, fortè non ingratum. Venit hoc nomine ad Vos, Mæcenates ſuſpiciendi, exiguus iſte de partium externarum morbis liber, impolitus quidem & rudis, ſed ſalubrium doctrinâ commendabilis; Hunc ut ſinu faventiæ & protectionis ſuſcipiatis, devotè contendo, meaque ſtudia prolixiùs & eâ, quæ Virtuti veſtræ debetur, obſervantiâ, quovis tempore & loco conteſtanda, defero. Colbergæ Pridie Kalendarum Novembris Anni M. DC. LXI.

Magnificent. & Excellentiæ
Veſtræ obſequio & cultu

addictiſſimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

IN-

INDEX CASUUM
LIBRI SEXTI.

CASUS. PAGINA.

XXXI.



CASUUM

CASUUM MEDICINALIUM
LIBER SEXTUS
DE
PARTIUM EXTERNARUM MORBIS.

CASUS I.
Corpulentia nimia.

Illustris Dominus JOHANNES BANNER Serenissimæ Reginæ, Regniq; Sveciæ Campi Mareschallus Generalis &c. temperamenti sanguinei & pleniore corporis habitu præditus, post annum ætatis tricesimum septimum in eam excrevit obesitatem, ut eqvum ægrè & non sine adminiculo conscenderet, nec alias actiones promtè exercere posset cum insigni respirationis difficultate, præsertim ubi se paullò fortius moveret, aut loca acclivia peteret.

RESOLUTIO.

Corpulentia nimia, qvam Illustris Dn. Campi Mareschallus admodum sibi molestam esse conqveritur, caussam continentem habet carnem & adipem abundantem, antecedens est sanguinis boni copia ab Epate temperato, calido scilicet & humido, cibisqve boni & multi succi producta. Epar enim si benè constitutum sit & temperatum calorem habeat, magnam sanguinis boni & oleaginosi copiam generat & ita carni & adipi multo materiam suppeditat.

Adeps itaqve & caro nimia absumenda, sanguis qvi materiam præbet minuendus, & ne iterum generetur, temperata Epatis constitutio in calidam & siccam mutanda, victusq; tenuis observand⁹. Hæc ut ordine methodiceq; fierent Primo venam basilicam dextri brachii aperuimus sanguine ad uncias circiter undecim detracto.

CASUS XXII.

Urinæ incontinentia.

D*N. LAURENTII PERSONII Locumtenentis Filius, qvatuor circiter annorum singulis noctibus urinam in lectum emittebat, nec ullis Parentum adhortationibus aut minis adduci poterat, ut illud intermitteret, etiam ferulis ob turpe hoc vitium non semel castigatus.*

RESOLUTIO.

Si qvis morborum infantilium curatu difficilis est, certè hic est, præsertim si consuetudo in habitum degeneraverit, vel sphincter orificio vesicæ claudendo inserviens, paralysi afficiatur.

Multa qvidem à Practicis ex aprorum porcorumqve vesicis, leporum testiculis, gallorum gutture, Erinaceorum combustorum cineribus, piscium in ventre lucii repertorum exsiccatorumqve pulveribus, & nescio unde conqvisita laudantur remedia; sed rarò famam sustinent; promissionesqve horum Medicamentorum, ut Galenus 4. de compos. medicam. sec. locos cap. 4. loqvitur, sunt magnificæ, effectus verò aliqvando nulli, aliqvando valdè exigui: Optimum hujus morbi remedium ætas est, vel qvatenus infantes adultiores facti, verecundiæ & pudoris rationem habere discunt, & propterea ne inter dormiendum tale qvid committant, magis solliciti sunt, vel qvatenus ætatis progressu intemperies humida corrigitur, corpusqve indies siccius evadit, id qvod & in præsenti casu factum. Qvi enim nec increpationibus, nec minis & verberibus, nec exqvisitissimè comparatis remediis à molestissimo hoc affectu liberari poterat, adultior factus circa nonum ætatis annum spontè intempestivum lotii effluvium cohibere didicit, non tam verecundia pudorisqve ratione, qvam humiditatis nimiæ, qvæ musculum cervicis obsidebat, exsiccatione & absumtione, si qvos ars destituit, ætas qvandoqve juvat, qvemadmodum etiam hoc in aliis morbis & affectibus sæpè observatum est. Novi puerum, qvi usq; ad annum ætatis decimum tertium insigniter balbutiebat, nec ullis remediis ad expeditiorem loqvelam redigi poterat, postmodum adultior factus, absumta humiditate supervacaneâ lingvæ musculos nimium irrigante, rectè perfecteqve loqvi didicit, adeò ut nunc qvidem alter Fabius, Afus, Locutius dici mereatur.

Cæterum si qvæ mictionem involuntariam sanandi spes est, eam potissimum in recto continuatoq; Thermarum qvæ sulphuris alumi-

nis-

nisqve vehant mineras, usu consistere puto, præsertim si à facultatis retentricis ob intemperiem frigidam & humidam imbecillitate, dependeat. Possunt qvidem & alia intemperiem hanc corrigentia, humoresqve superfluos exsiccantia & absumentia exhiberi, qvalia à Practicis passim describuntur, sed rara in his, qvantum mihi qvidem hactenus observare licuit, est victoria.

CASUS XXIII.

Macies à Crinonibus sive Dracunculis.

Puella trium annorum, Filia Domini Olai Helleparts Excubiarum inter stationarios Colbergenses Præfecti, mediocri corporis habitu prædita, ante mensem & qvod excurrit, sensim contabescere cæpit, & licet qvoad cætera benè valere, satisq; comedere videretur, attamen parum aut nihil nutriebatur, qvin & pruritum in dorso, brachiis & cruribus percipiebat.

RESOLUTIO.

Cum in caussam hujus maciei accuratius inqvirerem, & puellam jam pridem ablactatam, nulloqve morbo affectam rectè valere, satisqve cibi assumere intelligerem, nec ulla lumbricorum in intestinis latentium adessent indicia, de vermibus cutaneis sive dracunculis cogitare cæpi, ac proinde emaciatum corpusculum in balneum aqvæ calentis collotenus demergendum, musculosasqve dorsi, brachiorum & crurum partes linimento ex farinâ triticeâ & melle illinendas, molliterqve fricandas, svasi, qvod dum fieret animadverti subtilissima qvædam vermiculorum capita cineritii coloris è cute erumpere; Hæc ut subitò, crustâ panis, novaculam enim non admittebat meticulosa, abraderentur jussi, idqve aliqvoties per triduum qvatuorve dierum intervalla, repetivi, verùm cum subinde plures ejusmodi vermiculi prorepererent, qvotidiè deinceps balneo, inunctionibus & abrasioni insistendum duxi; At cum ne sic qvidem satis proficerem, ad sanguinem vitiosum depurandum mitiora qvædam purgantia exhibui, interjecto subinde usu tincturæ antimonii, cujus mira in vitiis cutaneis est efficacia; tandem universum corpus aqvâ meâ aloetica qvotidiè inunxi, & sic puellam lepidissimam à molestissimo pruritu, vermiculis & macie, DEI gratiâ, liberavi.

BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
von Güldenklee


CASUUM MEDICINALIUM

LIBER SEXTUS

DE

MORBIS

PARTIUM EXTERNARUM.



Admodum *Reverendis*,
Magnificis, Nobilisſimis & Excellentisſimis
DOMINIS

DN. EOVVALDO A KLEIST,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Intimioris Admisſionis Conſiliario & Camerario, Regiminis per ulteriorem Pomeraniam Præſidi, Capituli Caminenſis Decàno, Capitaneo in Marienflieſs, Domino in Birckenvverder, Timmenhagen, Raddovv & Zattkovv &c. &c.

DN. LAURENTIO CHRISTOPHORO A SOMNITZ, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Pomeraniæ Orientalis Cancellario & Camerario Hæreditario Terrarumque Leoburgenſium & Butovienſium Præfecto, Domino in Grumsdorff, Gönne & Drenovv &c.

DN. MATTHIÆ A CROCKOW,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Archidicaſterii Pomeraniæ Directori & Capituli Colbergenſis Præpoſito, Domino in Uſſecken.

DN. JACOBO HEIDEBRECK,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo, Capitaneo Coslinenſi & Caſimiriburgenſi, Domino in Crazig, Parnovv & Byzigger &c. &c.

DN. ADAMO PODEWILS,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo & Oeconomiæ in Pomerania Orientali Directori, Domino in Crangen.

DN. GEORGIO ANDREÆ von THUN,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Intimo & Capituli Caminenſis Canonico, Domino in Schlemmin.

DN. MATTHAEO BRAUNSCHWEIG,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario, Status & Eccleſiæ Collegiatæ Colbergenſis Canonico &c.

Oppianus in Halieuticis.



CEte, Viri plurimùm Reverendi, Magnifici, Excellentiſſimi, ob viſûs hebetudinem ſequuntur parvos piſciculos: ſic magni PRINCIPES ductum Sapientûm; Pauca aliqua unus videt, unus audit; At multos REGIS oculos, multas aures eſſe oportet. Priſco ſeculo fidorum ejuſmodi ductorum magna in Aulis fuit raritas; DARIUS præter unum ZOPYRUM habuit neminem: AGAMEMNON ſolum NESTOREM; AUGUSTUS AGRIPPAM & MOECENATEM & his ſublatis nullum, unde ſæpiùs exclamaſſe fertur: HORUM NIHIL MIHI ACCIDISSET, SI AUT AGRIPPA

Xenophon lib. 8. Pædia.

Seneca lib. 6. cap. 32. de beneficiis.

GRIPPA VIXISSET, AUT MOECENAS. Hodie, DEI gratia, uberior Consultorum seges est & eo ipso inter cæteros fortunatior Serenissimus ELECTOR, Dominus noster clementissimus, cui non unum aliquem ZOPYRUM, non unum NESTOREM, AGRIPPAM vel MOECENATEM indulsit Supremus ille RECTOR universi, sed ita multos, ut qui consessum illorum simul intueatur, in DEORUM concilium sese immissum arbitretur, nec multos tantum, sed & pietate, doctrinâ, judicio, eloquentia & authoritate rerumque usu præcellentissimos.

Hos inter, Viri Excellentissimi, maximè & Vos suspicit & veneratur PATRIA, belli pertinacioris calamitatibus in tantum concussa, ut propemodum dejecta ruinisque jam proxima esset, nisi Optimi PRINCIPIS fortitudine & clementia, Vestris autem consiliis & dexteritate suffulta fuisset.

DEUS in cujus manu potestas terræ & qui utiles RECTORES suscitat super illam, conservet animas vestras & omnes cogitationes cordis vestri virtute suâ corroboret, operamque, quam PATRIÆ afflictissimæ vigili perspicacique curâ impenditis, continuâ successuum felicitate, eoque, quem intenditis eventu, secundet cùm publicæ salutis bono, tùm vestri etiam nominis immortali gloriâ. *Ecclesiast. c. 10. v. 5.* *Judith. c. X.*

Ego verò inter publica hæc etiam privata & ea præcipuè, quæ Vestro, Viri eminentissimi, indultu mihi cessêre beneficia recogitans, diu multumque de gratæ mentis

 tis

tis documento mecum deliberavi, cumque excussô facultatum mearum penu, nihil invenirem tam effusâ in me gratiâ dignum, tandem ex scriniis Machaoniis aliquid depromendum duxi, Vobis, qui medicinam ejusque cultores dignè æstimatis, fortè non ingratum. Venit hoc nomine ad Vos, Mæcenates suspiciendi, exiguus iste de partium externarum morbis liber, impolitus quidem & rudis, sed salubrium doctrinâ commendabilis; Hunc ut sinu faventiæ & protectionis suscipiatis, devotè contendo, meaque studia prolixiùs & eâ, quæ Virtuti vestræ debetur, observantiâ, quovis tempore & loco contestanda, defero. Colbergæ Pridie Kalendarum Novembris Anni M. DC. LXI.

Magnificent. & Excellentiæ
Vestræ obsequio & cultu

addictissimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

IN-

INDEX CASUUM LIBRI SEXTI.

CASUS. PAGINA.

XXXI.

CASUUM MEDICINALIUM LIBER SEXTUS
DE PARTIUM EXTERNARUM MORBIS.

CASUS I.
Corpulentia nimia.

Illustris Dominus JOHANNES BANNER Serenissimæ Reginæ, Regniq; Sveciæ Campi Mareschallus Generalis &c. temperamenti sanguinei & pleniore corporis habitu præditus, post annum ætatis tricesimum septimum in eam excrevit obesitatem, ut eqvum ægrè & non sine adminiculo conscenderet, nec alias actiones promtè exercere posset cum insigni respirationis difficultate, præsertim ubi se paullò fortius moveret, aut loca acclivia peteret.

RESOLUTIO.

Corpulentia nimia, qvam Illustris Dn. Campi Mareschallus admodum sibi molestam esse conqveritur, caussam continentem habet carnem & adipem abundantem, antecedens est sanguinis boni copia ab Epate temperato, calido scilicet & humido, cibisqve boni & multi succi producta. Epar enim si benè constitutum sit & temperatum calorem habeat, magnam sanguinis boni & oleaginosi copiam generat & ita carni & adipi multo materiam suppeditat.

Adeps itaqve & caro nimia absumenda, sanguis qvi materiam præbet minuendus, & ne iterum generetur, temperata Epatis constitutio in calidam & siccam mutanda, victusq; tenuis observand'. Hæc ut ordine methodiceq; fierent Primo venam basilicam dextri brachii aperuimus sanguine ad uncias circiter undecim detracto.

Hinc corpus pulvere nostro solutivo purgavimus, postmodum usum ligni sancti & sassafras, quæ utraqve insignem siccandi attenuandiqve vim habent, per integrum mensem continuandum commendavimus, ita qvidem ut singulis matutinis hausto decocto primario sudores in Laconico provocarentur, secundarium autem loco potus ordinarii assumeretur.

Intereà corporis evacuationes sanguinisqve tum per phlebotomias, tum per cucurbitulas scarificatas sæpius repetivimus, non neglectis & asperioribus totius corporis frictionibus, maximè in id intenti ut diæta observaretur tenuis, qvo fine & semel tantum de die cibum obtulimus, eumq; exiguum & pauci nutrimenti; vino autem & cerevisiâ planè interdiximus, eorundemqve loco decoctum secundarium ligni sancti & sassafras substituimus, palato si saccharo dulcoretur, non ingratum.

Hæc cum strictè diligenterqve Illustris Dn. Campi Mareschallus observaret, juxtimqve corpus seu eqvitando, seu deambulando qvotidiè exerceret, pleniorem corporis habitum sensim deposuit, promptiorqve ad qvasvis actiones obeundas est redditus.

CASUS II.

Ex pleniore corporis habitu mors repentina.

QVam periculosus sit plenior corporis habitus, docet Hippocrates lib. 1. Aphor. 3. & Galenus lib. 3. de diff. morbor. c. 9. maximè verò Avicenna septima qvarti, tract. 4. cap. 5. *Id qvod in viro Generoso & Nobili Dno. REIMARO MANTEUFFEL Hæreditario in Roman & Trinicke &c. mihi observatum est. Is ab ineunte ætate, pleniore corporis habitu præditus, in eam tandem excrevit molem, ut loco se amplius movere vix posset, ad actiones omnes inhabilis, respirationis verò difficultas tanta erat, ut si quando sedens se erigeret vel capite paullulum declivis aut supinus in lecto decumberet, suffocationem minaretur:* Monui pleniorem hanc corporis habitudinem solvendam esse, tenuiqve victu utendum, nec immorigerum initio habui, sæpè enim & phlebotomiam & cucurbitulas, purgationesqve & qvicqvid horum amplius est, qvæ ad corpulentiam minuendam faciunt, admittebat; tractu verò temporis cum hæc omnia negligе-

gligeret, paulloqve licentius viveret, apoplexiâ subito exstinctus est, morte suâ veritatem prognostici qvod loco supra allegato habet Avicenna contestatus: *Mors super ultimatis in pinguedine festinat, & propriè illos qvi impingvantur in primâ ætate; Isti enim sunt expositi apoplexiæ & paralysi, &c.*

Idem & in Bibliopego Johanne Fuxbergio observavi, qvi supra modum obesus & pinguis, adeò ut ægrè incederet, scalas verò & loca acclivia conscendere prorsus non valeret; Is meo svasu qvotannis ter qvaterve corpus purgabat, freqventerqve sanguinis copiam modò incisâ venâ, sæpius cucurbitulis scarificatis minuebat, corpus etiam qvantùm poterat, exercebat, victu tenui & parco contentus, sicqve vitam, qvanquam ob spirandi difficultatem non parum molestam, in plures annos trahebat, postqvam verò auxilia modò dicta, nescio qvo fato, per integrum annum & amplius intermisisset, auctâ indies corporis mole, tandē ex constrictione meatuū, superveniente spiritus suffocatione, repentinâ morte periit.

Communis est opinio, qvam & Avicenna loco allegato adducit, *Obesos & pingues non esse prolificos,* sic enim ille; *Et similiter isti non sunt generantes neq; producentes embryonem & sperma ipsorum est paucum ac tenue & infœcundum vel fæminarum generativum.* Exemplo tamen cum aliorum tum modò commemoratorum constat obesitatem qvandoqve prolificationi minimè obesse; Uterqve enim & masculam & fœmineam prolem post se reliqvit, in hunc usqve diem superstites.

CASUS III.
Obesitas aqvâ fontis minuta.

Serenissimi Ducis Crojani Capitaneus in Güllzow &c. Dn. ZACHARIAS SCHLIEFF obeso & pingvi corporis habitu præditus, postqvam variis corpulentiam nimiam corrigere tentasset remediis, tandem aqvas fontis propè arcem Güllzoviensem scaturientis experiri constituit, nec sine successu; Hausto enim singulis matutinis

cyatho uno atquè altero, molem corporis manifestè minui & decrescere sensit; Usum itaq; istarum aqvarum per integrum mensem continuavit, & sic gracilior & ad quasvis actiones exercendas agilior promptiorquè redditus est. Verùm cum tractu temporis corpulentia repeteret, postmodum singulis annis tempore majali aqvis hisce usus est, evidenti cum emolumento. Continent autem hæ aqvæ, qvantum in examine explorare potui, aluminis, nitri & ferri mineras.

CASUS IV.

Erysipelas.

DE *hoc videatur Epistolarum mearum medicinalium Epistola X. Libri III. & VII. ut & XI. Libr. V.*

CASUS. V.

Bubo simplex.

B*Ogislaus Ziz ky Juvenis viginti circiter annorum, temperamenti sanguineo cholerici, nullo præcedente morbo, in glandulis ingvinis sinistri tumore corripiebatur cum renitentia, rubore & dolore.*

RESOLUTIO.

Cum nulla pestilentiæ aut febris malignæ, aut luis venereæ adessent indicia, bubonem hunc simplicem & sine malignitate & contagio esse, pronunciavi, natum ex sanguine una cum humore bilioso expultricem stimulante in glandulas inguinis sinistri, effuso.

Ad sanguinem itaqve copiosum imminuendum venam pedis sinistri incidimus, ut hoc modo naturæ motus ad partem affectam non impediretur, sed potius juvaretur.

Hinc pro evacuatione humoris biliosi infusum Rhabarbari cum aqva Cichorii & ♀o ⊕lato, additis granis aliqvot pulveris nostri Cholagogi exhibuimus: Buboni autem cataplasma ex digerentibus & discutientibus applicuimus. Verùm cum resolvi non posset, & ad suppurationem tenderet, maturantia imposuimus:

℞. Fol. malv. branc. ursin. ana mj
Rad. lil. albor. althææ ana ℥ij
Sem. lini ʒvj. fœn. græc. ʒij.
Coq. ad mollitiem ex aq. simplici & trajiciantur per cribrum, add. farin. tritic. ℥ij. axung. porcin. q.s.
M. F. Cataplasma.

Confecto pure tumorem per transversum incidimus, ulcusqve imposito digestivo probè mundavimus, tandemqve beneficio Emplastri diachalcityos occlusimus.

Solent in puerili ætate sæpissimè bubones circa inguina excitari, sine no-

ne notabili dolore; Hi vel spontè vel illitu salivæ jejuni hominis aut olei scorpionum facilè resolvuntur & evanescunt.

De bubone pestilenti actum est supra libro primo sub finem in consilio meo antipestifero: De Venereo autem infra in mantissâ casu primo.

CASUS VI.

Parotis maligna.

ANNO M.DC.XXIX. quo tempore febres malignæ & petechiales populariter apud nos grassabantur, Generosus & Strenuus Dominus JOANNES LONGEWALL Equitum Magister, febri petechiali detentus, circa statum morbi de dolore pone aurem sinistram qverebatur, paullò post tumor ibidem prorupit rubicundus, cum notabili symptomatum remissione.

RESOLUTIO.

Parotidem hanc malignam esse ipsa febris indicat, criticam tempus morbi & symptomatum remissio; Hinc ex præcepto Hippocratis, qvod habet 1. Aph. 20. naturæ negotium committendum duxi: verùm cum dolorem impatienter ferret æger, tumorqve ad suppurationem tendere videretur, lenientia qvædam simulqve puris generationem promoventia applicui; Factâ suppuratione abscessum haud cunctanter, ministrante Chirurgo, aperui. Qvam gravia enim pus diu retentum, inprimis si subsit malignitas, inducat symptomata, multiplici experientiâ constat, observatumqve est etiam ex parotide simplici & citra febrim, abscessu non aperto, materiaqve diutius retentâ, mortem subseqvutam; Guilielm. Fabricius Cent. 1. obs. 39. Tandem ulcus benè abstersum mundatumqve impositis sarcoticis & glutinantibus, cicatrice convenienter obduximus.

CASUS VII.

Panaritium sive Reduvia.

ILlustris Dominus Dn. FERDINANDUS DE CAPUA &c. &c. constitutionis Melancholicæ, in extremitate digiti annularis, manus sinistræ circa unguem tumore exiguo afficiebatur, tanto cũ cruciatu, ut dies noctesquè insomnes duceret, aliqvando & in lipothymiam incideret, dolore per totum ferè brachium diffuso.

RESOLUTIO.

Paronychiam sive panaritium à sanguine adusto & atrabiliario ad extremitatem digiti à natura de-

detruso, ibidemqve inflammationem excitante productum censeo.

Dolor adeò vehemens est & atrox cum ob materiæ acrimoniam & fervorem, tum ob nervosas partes, qvæ exqvisitissimo sensu præditæ sunt, affectas.

Per totum brachium diffunditur dolor, ob nervorum consensum.

Lipothymiam doloris vehementia, spiritus dissipans, excitat.

Curationem per phlebotomiam & purgationem auspicat⁹ sum; Mox dolorem lenientia & fervorem humorum mitigantia, suppurationemqve promoventia parti affectæ applicui:

℞. Mucilag. sem. psyllii. c. aq. solan. extract. ℥ß.
Farin. sem. lin. fænugr. ana ʒiij
vitell. ovi no. 1. butyr. recent.
pingued. gallin. ana q. s. M. F.
Unguentum.

Pure genito abscessum aperui & pro detersione unguentum ex melle, terebinthinâ & farinâ hordei præscripsi, postea imposito sarcotico Chalmetæi ulcus ad sanationem produxi:

℞. Sarcocoll. Thuris, myrrhæ ana ʒj aloës ʒiij. Terebinthin. ʒv.
Mell. rosat. colat. ℥ij. M. F.
Linimentum.

Contra animi deliqvium præter externa quædam pulverem Bezoardicum ex seqventi aqvarum cordialium mixtura sæpius & per intervalla exhibui:

℞. Pulv. cordial. Dorncreilii ʒij
Bezoart. Sennert. ʒj
Magister. perlar. Coralior.
oculor. cancr.
ana ℈j
M. D. ad scatulam.

℞. Aq. nostr. Bezoard ℥iij
Cordial. frigid. ℥ij.
borrag. bugloss. scabios.
acetos. ex succ. ana ℥j
Spir. rosar. rub. Idæi, citri ana
gt. vij
Rotular. man. Christ. perlat.
ʒiij M.

CASUS VIII.
Perniones.

ANNO M. DC. XLVIII. *cum mense Decembri à Serenissima Reginâ Sveciæ MARIA ELEONORA, Sedinum vocatus essem, iterq; hyemante cælo per nives & frigora facerem, Famulus meus Joachimus* Rapesilber *in digitis pedum, qvos adversus aëris frigidi injurias non adeò benè muniverat, tumorem contraxit cum insigni pruritu & tumore.*

RESOLUTIO.

A frigore externo, qvod intensissimum hoc tempore erat, pedum digitos insigniter affectos inflammatio-

mationem contraxisse nullum est dubium. Frigus enim non solum partes debilitat & ad recipiendum habiles reddit, sed & dolorem excitat, à qvo sanguinis ad partem affectam fit attractio.

Cum verò in ejusmodi refrigerationibus non solum nuda fiat alteratio sed & substantiale qvid parti affectæ communicetur, suasi, ut ad extrahendum gelu pedes nive confricaret, posteaqve frigidæ immergeret, qvo facto gelu undiqvaqve erupit. Hinc fotum præscripsi:

℞. Fol. betonic. salviæ, origan. rutæ, rorismarin. ana miß.
Flor. chamæm. Summit. aneth. ana mj.
Bacc. laur. ℥vj. Juniperi ℥j
Coq. ex lacte dulci, applicenturqve tepidè.

A fomentatione pedes seqventi linimento inungantur.

℞. Medull. cervin. sevi hircin. pingued. anserin. ana ℥j ol. laurini ℥ij. Terebinth. ℥ß.
M. F. Unguentum.

Interea ad avertendum periculum, qvod aliqvando frigus, per arterias ac principalia membra perreptans, inferre solet, theriacam cum aqvâ Juniperi exhibui, provocatisq; sub lecto sudoribus puerum, qvalem rarò hodie reperias, pium, fidelem, industrium & taciturnum, nunc Chirurgiæ studiis deditum, bonæ valetudini restitui.

Eadem hyeme & gregarium qvendam ex præsidiariis Colbergensibus, cui extremitates digitorum utriusqve manus ex intenso frigore, inflammatæ, jamqve exulceratæ erant, solo pulvere ex avenâ ad crepaturam cocta & per setaceum trajecta, iterumqve exsiccata, curavi.

CASUS IX.

Ecchymosis ex contusione.

Filia mea *ELEONORA* ex casu in maxillam superiorem juxtà externum oculi angulum tumorem magnitudine nucis avellanæ sanguine suffusum contraxerat, me peregrè profecto à domesticis Emplastrum diachylon simplex impositum, tumorem fermè ad suppurationem produxerat; Cheirurgus superveniens periculum fistulæ, si in abscessum vergeret, minitatus, aliud discutiens & resolvens applicuit; paullò post tumor disparuit, colore cutis, qvi initio rubens erat, in lividum mutato; qvi cum ultra mensem integrum & amplius stabilis permaneret, nec in flavescentem aut viridem,

dem, ut fieri solet, declinaret, de remedio deformitatis cogitare cæpi: In mentem venit tantoperè decantata sigilli Salomonis radix, qvam unicâ etiam nocte sugillationem tollere Practicorum nonnulli afferunt; Feci periculum & vino coctam repetitim aliqvot diebus imposui, sed frustra, tentavi aliud ex aloë, melle & succo absinthii, aqvam item ex radicibus Ari à Sennerto descriptam: Verùm cum his omnibus nihil proficerem, cucurbitulam cum scarificatione adhibui, extractoqve sanguine cutem oleo talci inunxi, qvo facto color ille lividus, sensim in naturalem commutatus est.

CASUS X.

Herpes miliaris.

S*Abina Pratoria, Virgo sedecim circiter annorum, in summâ cute brachii sinistri pustulas habebat copiosissimas milio non absimiles, qvarum etsi qvædam sanescere viderentur, mox tamen aliæ erumpebant, manumq; vicinam impetebant, sensu qvasi ustionis admodum molestæ: Si qvando rumperentur, humorem paucum eumq; tenuem & flavescentem emittebant.*

RESOLUTIO.

Tumorum adeò multa & varia sunt genera ut numerus eorum in ducentos viginti sex, recensente Johanne Philippo Ingrassia de tumoribus tract. 1. cap. 1. Comm. 2. excrescat.

Unde dubium qvandoqve videtur, qvo nomine hic vel ille tumor sit indigitandus, cum & in ipsis nominibus interpretandis non parva occurrat difficultas.

Hunc eqvidem tumorem titulo Herpetis miliaris rectè insigniri vel pustulæ serpentes & milio similes, aliaqve modò allata, ostendunt signa. Nascitur hoc malum à bile excrementitiâ adeò tenui, ut habet Galenus lib. 14. M. M. cap. 17. ut non solum omnes interiores partes, qvæ ubiqve carnosæ substantiæ sunt, transeat, sed etiam cutem ipsam ad summam usqve cuticulam penetret.

Bilis itaqve tenuitas & fervor emendanda, id qvod præmissâ viarum communium eluitione, tali decocto præstitimus:

℞. Rad. acetos. buglosſ. cichor. ana ℥ß.
Fol. Entiv. acetos. lactuc. portulac. ana mß
Sem. cucumer. melon. lactuc. Cy-

Cyton. papaver. albi ana ʒij
Fol. violar. bugloss. rosar. ana mß.
Passular. minor. tamarind. ana ℥iß.
Incisa & conqvass. coq. ex s. q. seri lactis caprin. q. s.
℞. Colatur. clarificat. ℔jß. Add.
Syr. violar. Endiv. Cichor. ana ℥ij
Succi citri acidi ℥iß. Misc.

Absumtâ parte dimidiâ hujus decocti, ad bilis evacuationem præscripsi potiunculam:

℞. Rhabarb. opt. ʒiij. ♀ri ⊕lat. gr. IX.
Aq. Endiv. cichor. ana ℥ij. M. stent infusa per noctem, mane colentur.
Add. syr. de cichor. c. Rhabarb. ℥j
Spec. elect. de succ. rosar. gr. xv. M.

Hinc & alteram partem decocti exhibui, postmodumqve ad pleniorem bilis purgationem pulverem meum Cholagogum ex decocto passularum & tamarindorum obtuli.

Mox ad reliqvias tenuissimi humoris absumendas, præscripsi sudorifera minus calida, Rob scilicet sambuci cum rasura Cornu Cervi, sulphur auratum diaphoreticum & similia ex aqva scabiosæ, acetosæ &c.

Ex topicis primò Ceratum Hieronymi Fabricii ex succo tabaci &c. postmodum arcanum Valesci de Tarantâ, qvod capite proprio de curatione formicæ miliaris descripsit, applicui, & sic molestissimum hoc malum, curatu perqvam difficile, funditus deletum est.

CASUS XI.

Oedema pedum.

Nobilissimus Dominus JULIUS BüTZOW venationum apud Illustrissimam Principem Rugenwaldensem Magister, cætera sanus, pedum tumore molli & laxo laborabat, sine dolore; si quando digitis premeretur tumor, subsidebat ac foveam sive vestigium post se relinqvebat.

RESOLUTIO.

Etsi Oedema pedum alium plerumqve morbum, cachexiam nempe vel pthisin aut hydropem seqvatur, in præsenti tamen casu nihil horum deprehendi, unde in eam deveni sententiam, ex intemperato crassoq; victu, piscium potissimum freqventi esu & potatione nimia, multum pituitæ genitum tandemq; à naturâ onere hoc gravatâ, ad pedes detrusum, tumori occasionem dedisse, cum & pondere suo declivia petat & ad extrema decumbat;

Primò itaqve victus rationem meliorandam suasi, abstinendumqve

qve à cibis craſſis, viſcidis, fumo duratis, vel in muriâ maceratis, ab extis & extremis animalium, à caulibus, braſſicâ, piſis, lacte, caſeo & jurulentis, piſces etiam rarius veniant in uſum; itemqve carnes ſuillæ, anſerinæ, anatinæ, qvæqve in aqvis degunt, lactucæ, cepæ, olera non ſunt ex uſu. Cibi condiantur aromatibus, panis ſemine carvi, aniſi, fæniculi, ſitqve benè fermentatus, potus convenit parcior, cerevisia benè lupulata, vinum enulatũ, vel abſinthites, vitentur dulcia.

Alvus qvotidiè ſuum faciat officium ſi non ſponte, artis operâ. Somnus ſit brevior & nocturnus; Exercitia corporis moderata, & ante cibum, eqvitationes rariores, nec vehementes aut diuturnæ.

Præſcripto decenti victus regimine pituitam in corpore abundantem calefacientibus, incidentibus & attenuantibus præparavi, poſtmodum extracto meo phlegmagogo evacuavi; Hinc decoctum lignorum per dies qvatuordecim ſingulis matutinis exhibui, provocatis in Laconico ſudoribus, tandem corpus denuo purgavi & ad reliqvias abſumendas & diſcutiendas topica qvædam præſcripſi, Emplaſtrum ſcilicet Diaphoreticum Mynſichti & fotum qvi ſeqvitur;

℞. Herb. potentill. arthemiſ. piloſell. betonic. ſalv. roriſm.
Origan. abſinthii ana mj
Flor. chamæm. mil. Cent. min. mj
Summitat. aneth. mj.
Baccar. lauri ℥j. Juniper. ℥iiij
Salis marini ℔j

Craſſo modo inciſa coqvantur ex aceto & aqva pro fotu.

CASUS XII.

Scirrhus teſticuli dextri incipiens.

Magiſter qvidam Eqvitum temperamenti frigidi & humidi, de tumore teſticuli dextri duro & ſubalbido qverebatur, calor aderat nullus nec febris aut dolor, niſi cum premeretur, isq; exiguus.

RESOLUTIO.

Tumor iſte Scirrhoſus, qvantum ex temperamento & conſtitutione ægri & colore partis affectæ aliisqve indiciis conſtat, à pituitâ crassâ, glutinosâ & viſcidâ in teſticulo collecta, tractuqve temporis abſumtis tenuioribus humoris partibus, induratâ, productus eſt. Confirmant hoc ipſum caloris & febris abſentia. Senſus autem exiguus eſt, ob prohibitum à materia impacta & infixâ ſufficientem ſpirituum influxum.

Præmiſſo de Curationis difficultate & tarditate prognoſtico, primò

mò corpus ab infarctu humoris pituitosi, præmissis præparantibus, per phlegmagoga repetitim & per vices exhibita, liberavi, & ne malum novâ affluente materiâ augeretur & protraheretur, victum convenientem ex cibis coctu facilibus & boni nutrimenti præscripsi, damnatis omnibus qvæ crassum visciddumqve sanguinem generant.

Hinc ad causam antecedentem & materiam Scirrhi tollendam emollientia & discutientia alternis vicibus, interdum utraqve simul mixta, adhibui:

℞. Rad. althææ, lil. albor. ana ℥j
Herb. malv. cum toto mij
branc. ursin. melilot. ana mj
Flor. chamæm. mj. sambuc. mß.
Sem. lin. ℥ij. fænugr. ℥j.

Incisa & conqvassata coq. ex s. q. aq. simpl. pro fotu, posteà frustum lapidis molaris ignitum in ahenum subter sellam perforatam collocatum ponatur & aceto perfundatur, sedensq; in sellâ æger vaporem membro affecto pannis undiq; benè tectus, excipiat; A fotu cataplasma Galeni 14. Method. ex radicibus althææ contusis & cum adipe anserino subactis, applicui. Interdum aliud & fortius à Johanne Zechio Consult. med. 48. p. 56. descriptum adhibui, tandem phylotio ablatis undiqve pilis tale emplastrum imposui:

℞. Mucilag. rad. althææ, sem. fæn. græc. ana ℥iij. Ficuum ping. coct. ℥iij. Ammoniac. galban. bdellii acet. solut. ana ℥j.
Medull. crur. vitul. adip. anserin. gallin. sevi hircin. Terebinth. ana ʒvj. ol. lil. albor. & ceræ ana q. s. M. F. Emplastrum.

His per mensem integrum & amplius continuatis, tumor sensim emollitus & discussus ex toto disparuit.

CASUS XIII.

Cancer labii inferioris excisione feliciter curatus.

Nobilis *qvidam Marchicus* venationi & aucupio deditus, tempore autumnali flante Boreâ fissuram in labio inferiore contraxerat, qvam cum negligentius haberet & per totam hyemem feras insectatus aëri intempesto & frigido se exponeret, manuqve labium exulceratum subinde vellicaret, tandem cancrosum evasit; tentata varia tàm internorum qvàm externorum remedia, sed frustrà, malo indies augmentum sumente. Consuluit tandem Excellentissimum Dn. Franciscum Omichium Medicinæ in almâ Francofurtensium

Academiâ Professorem primarium, Præceptorem meum fidelissimum, eoq; nomine ætatem honorandum, Is præmisſis universalibus, purgatione nimirum humoris atrabilarii repetitim institutâ & venæsectione; ſiccantia qvædam & refrigerantia lenia, ſperniolę ſcilicet compositum pulverem benedictum Hartmanni, magiſterium teſtarum cancrorum & id genus alia adhibuit, qvibus cum nihil proficeret, excisionem ſuaſit, qvæ operâ N. Henningi Chirurgi experientisſimi adeò feliciter ceſſit, ut ne veſtigium qvidem ejus relictum ſit, qvamvis enim in medio menti & labii inferioris, ubi ſutura facta erat, linea albicans, ipſumq; os paullo arctius & qvaſi conſtrictum initio videretur, tractu tamen temporis ſpontè & per naturam hæc ita emendata ſunt, ut ægrè amplius dignoſci poſſent, nec ullum cibi potusqve recipiendi aut vocis exſpuitionisqve afferent impedimentum.

Operationem, qvantum memini (ſunt enim qvadraginta fermè anni, ex qvo peracta eſt,) ſic inſtituit Chirurgus. Primò labium inferius volſella prehendit, manuqve ſiniſtra deorſum traxit, mox forcipe acutisſima tribus inciſionibus, unâ ad latus dextrum, altera, ad ſiniſtrum, & tertiâ paulo ſupra cavum menti, factâ celerrimè amputavit: Hinc ſangvine ſufficienter effuſo & expreſſo, oras vulneris dehiſcentis, acu filum ducente artificiosè conſuit, adhibitisq; emplaſtris convenientibus intra dies qvatuordecim ægrum perfectæ ſanitati reſtituit.

De cancro mammarum occulto vide ſupra lib. 5. caſ. 37. De exulcerato caſ. 39. ejusdem libri.

CASUS XIV.

Scabies ſicca.

Generoſus & Strenuus Dominus GERHARDUS à PODEWILIS, Toparcha in Crangen &c. &c. Conſtitutionis calidæ & ſiccæ, per univerſum corpus ſcabie infectus, de cutis aſperitate & exulceratione, maximè de pruritu moleſtisſimo qverebatur, ſcalpendo nihil, præter corpuſcula qvædam furfuracea, ſeparabatur, ipſa ulcera eorumqve veſtigia ex parte livida erant, ex parte nigra.

RESO-

RESOLUTIO.

Scabiem ſiccam ſigna indicant. Cauſſa continens eſt humor aduſtus, acris, & mordax, atra nimirum bilis, qvæ cum ſanguine mixta & ad cutem protruſa, calidam & ſiccam intemperiem, pruriginem, tumorem atqve exulcerationem excitat.

Antecedens in malam victus rationem intemperiemq; epatis calidam & ſiccam referenda eſt. Freqventius enim, ut ipſe fatetur Æger, uſus eſt cibis ſalſis, fumo duratis, in muriâ maceratis, exſiccatis, aliisqve ad humoris atrabilarii generationem facientibus.

1. Primò itaq; ad victum meliorandum commendavi cibos boni ſucci & facilis concoctionis, qvales ſunt carnes vitulinæ, hædinæ, agninæ, gallinarum & pullorum, ova recentia ſorbilia, ptiſana hordeacea, piſces fluviatiles, ſaxatiles &c. ſint autem cibi omnes elixi potius qvam aſſi aut frixi: Hi enim acriorem humorem & ſicciorem aduſtumqve generant.

2. Hinc ad vitioſos humores evacuandos ſyrupum magiſtralem, qvem ipſe æger expetebat, præſcripſi:

℞. Rad. cichor. ℥j. liqvir. ſuccul. ℥ß.
Herb. fumar. mij. Endiviæ mj.
Flor. borrag. violar. bugloſſ. ana mß.
Sem. melon. Endiviæ ana ʒij
Inciſa & conqvaſſata coq. ex ſ. q. aqvæ fumar. & ſcabioſ.
℞. Colatur. ℔ij. Fol. ſen. ſ. ſ ℥j
Rad. polypod. qvern. ℥ß.
Helleb. nigr. Gialapp. ana ʒiij
Cinam. Zingib. alb. ann ℈iß.
ſtent in loco tepido per noctem, manè ebulliant & exprimantur fortisſimè. Colatur. add. ſacch. albiſſ. q. s. F. Syrupus tenuis, de qvo capiat pro una doſi ℥iij. cum aq. fumar. ℥j. M.

Ubi bis vel ter hauſerit hunc ſyrupum, aperiatur vena cubiti ſiniſtri. Qvod de ſyrupo reliqvum fuerit, altero à phlebotomiâ die & ſeqventibus doſi præſcriptâ abſumatur.

3. Poſtmodum ad intemperiem Epatis corrigendam, humorumq; acrimoniam temperandam, lac caprinum qvotidiè jejuno ventriculo cum ſucco fumariæ & Cichorii mixtum exhibui;

4. Tandem ad cutem detergendam & purgandam Topica qvædam præſcripſi:

℞. Fol. malv. fumar. ſcabioſ. agrimon. ſaponar. ana mij
Flor. Chamæmel. miij
Rad. lapath. acut. ℥iiij
liqvirit. Enul. ana ℥ij
Hordei integri, fabar. ana ℔j.
Furfur ℔ij. Inciſ. & conqvaſſata indantur ſacculo & coqvantur in

ſ. q. aq. dulcis pro inſeſſu in qvo Æger ſemihoram, vel ſi vires permittant, per horam integram moretur, poſtea cutem inungat linimento Coſmi Slotani qvod deſcribitur à Guilielmo Fabricio Cent. 5 obſerv. 43.

CASUS XV.

Scabies pruriginoſa ſcorbutica.

Sereniſſima qvædam Imperii Princeps, multis ab hinc annis affectione Hypochondriacâ & ſcorbuto afflictâ, paullò ante ſolſtitium brumale anni M. DC. XLVIII. inſignem pruritum, primò qvidem in manibus & brachiis, mox etiam circa femora percepit, erumpentibus hinc inde puſtulis parvis & lividis, levi cutis frictione ſanguinem ichoroſum fundentibus.

RESOLUTIO.

Lepram Aulicorum nonnulli ſuſpicabantur, alii malum mortuum, ignari qvod illa ſqvammas emittat, ſudoremqve fœtidum comitem habeat, aliaqve gravia ſymptomata; Hoc verò puſtulas cruſtuoſas, nigras, fœdas & ſine ſenſu ac dolore. Ego ſcabiem pruriginoſam, ſiccam, ab humore aduſto, acri, ſalſo, mordaci & malignitate ſcorbuticâ inqvinato genitam pronunciavi, qvatenus humor iſte cum ſanguine mixtus & ad cutem protruſus calidam & ſiccam intemperiem, pruritum & exulcerationem inducit.

Cauſam primitivam in victus rationem humori huic generando aptam, tum in vitium lienis & diſpoſitionem ſcorbuticam retuli, ac proinde ordinato convenienti victus regimine, præmiſſaqve viarum communium repurgatione, ad humoris vitioſi præparationem & alterationem, cùm à decoctis & ſyrupis abhorreret ægra, mixturam ex aqvis & ſuccis appropriatis præſcripſi in hunc modum:

℞. Aq. fumar. ℥vj. Cichorii, Endiviæ, aſplenii ana ℥iij
Succ. recent. expreſſ. Cochlear.
nafturt.
fumar.
Citri ana ℥iij
Cichorii ℥ij
Sacch. finiſſ. ℔ß.

Mixta digerantur in B. M. poſteà filtrentur per chartam emporeticam.

Bibat Sereniſſima hujus mixturæ ſingulis matutinis uncias tres cum jejunio trium horarum continuando indies, donec penitus abſumta fuerit;

Materiam præparatam evacuavi decocto meo laxativo:

℞. Decoct. noſtr. laxativ. ℥ij

Ex-

Digitized by Google

Extract. hellebor. nigr. ℈ß.
Spir. citri gt. v. M. F. potiuncula brevis.

Interpositâ unius diei qviete sanguinem ex venâ cubiti sinistri detraxi nigricantem & adustum, unde ad vitium lienis corrigendum, humorum acrimoniam attemperandam, malignitatemqve scorbuticam eliminandam, serum lactis caprini cum succo fumariæ, cichorii, nasturtii & cochleariæ alteratum commendavi, ita qvidem ut ad modum acidularum gradatim ascendendo & descendendo assumeretur.

Continuato in hunc modum per dies XIV. feri usu, denuò corpus pulvisculo meo solutivo purgavi, & qvoniam natura vitiosos humores è majoribus illis venis internis ad ramos subcutaneos expellere consuevit, qui inibi apertâ venâ unà cum sangvine evacuantur, iterum phlebotomiam in brachio sinistro institui.

Cæterùm cum & causæ conjunctæ partisqve laborantis habenda sit ratio, nec commoda nutritio in parte læsa fieri possit, nisi pristinam sanitatem recipiat, pro cutis emollitione, pororum apertione & impuritatum detersione insessum præscripsi;

℞. Rad. lapath acut. ℥vj. bryoniæ ℥iij
Herb. scabios. fumar. agrimon. malv. Centaur. minor. ana miij.
Flor. chamæm. miiij
Cort. rad. frangul. ℔ß.
Sulphuris ℔j. salis ℔ß.
F. decoctio ex aqva fluviatili pro insessu septimanatim bis repetendo.

Pro inunctione commendavi tale linimentum:

℞. Succ. plantag. lapath. acut. ana ℥ij
Solani ℥iß. citri ℥j.
Ceruss. ℥ij. Lithargyr. ℥ß.
Sulphur. ʒiß. ol. rosar. violar. ana ℥ijß. Butyr. saliti ℥iß.
Terebinthinæ, ceræ ana ʒvj.
M. F. Unguent. cui ad odoris ferociam corrigendam addantur ol. lign. Rhodii gt. xxv. Alipt. moschat. ℈ij. M.

Intereà ut materia illa acris & impura plenius ex habitu corporis expelleretur, potiunculam sudoriferam per vices exhibui:

℞. Aq. fumar. sambuc. ana ℥iß.
♎is aurat. diaphoret. g̃. XI.
Spir. Ebuli ʒj. Theriacal. ʒß.
M. pro una dosi & sic pro seqventib.

His aliqvandiu continuatis à turpi & molestissimâ scabie perfectè liberata est Serenissima Princeps.

CA-

CASUS XVI.
Scabies humida.

Filius Jacobi Guleken Naucleri puer XIII. annorum scabie multam saniem fundente admodumq; contumaci ultrà septenniũ laboraverat, frustra inunctionibus sulphureis, aliisq; tam internis qvam externis remediis usus.

RESOLUTIO.

Scabiem hanc à pituitâ salsâ produci, sanies humida, multa, crassa & acris indicat. Cum enim ab ineunte ætate victu nautico, crasso & salso usus sit æger, fieri non potuit, qvin multi humores viscidi, pituitosi & salsi in corpore cumularentur, qvi cum sangvine mixti & ad cutem protrusi, pruritum & exulcerationem excitant. Etsi verò malum tot annis inveteratum curatu fore difficile prævidērem, in gratiam tamen Parentis, Viri integerrimi, tentanda qvædam esse duxi, ac proinde præscripta convenienti accurataqve victus ratione

1. Primò ad viarum communium evacuationem exhibui potiunculam:

℞. Decoct. nostr. laxativ. ℥ij
Syr. de fumar. composs. ℥ß. M.

2. Hinc pro humorum vitiosorum, imprimis pituitæ salsæ, præparatione & alteratione præscripsi decoctum:

℞. Herb. agrimon. scabios. acetos. fumar. capill. Veneris ana mj
Flor. borrag. bugloss. ana p. ß.
Rad. lapathi acut. polypod. qv. ana ʒvj
Cichor. ℥iß. Liqvirit. ℥ß.
Enulæ ʒiij.
Incisa & conqvassata coq. in seri lactis caprini ℔iij. In Colatur. dissolv. syr. de fumar. ℥iij.
Cichor.
capill. Veneris ana ℥j
Spir. salis gt. xxv. M.

Bibat de hoc decocto singulis matutinis uncias tres vel qvatuor cum jejunio trium horarum, repetatqve totidem ante cœnam frugalem horis.

3. Materiam sufficienter præparatam eduxi pulvere meo solutivo & magisterio agarici.

4. Postmodum ad sanguinem corruptum magis depurandum sudores in Laconico per vices provocavi exhibito decocto sarsæparill. cum syrupo fumariæ.

5. His cum malum contumax & diuturnum nondum cederet, præparantia & purgantia denuò atq; iterum repetivi, Tincturamqve antimonii ritè præparatam per integrum mensem exhibui, manifesto & notabili cum juvamento.

6. Tandem ut à sordibus abstergeretur cutis, balnea & insessus cõveni-

venientes præſcripſi, partes vero exulceratas mané & ſero inungendas præcepi unguento meo contra ſcabiem, certiſſimo & infallibili hujus morbi remedio;

℞. Pulv. cort. laur. 🜂is citrin. ana ℥iiij. Enulæ ℥ij vitrioli alb. ℥iß.
Styr. liqvid. q. s. M. F.
Unguentum.

His, DEI gratia, à contumaciſſimâ ſcabie perfectè liberatus eſt æger.

CASUS XVII.
Pruritus muliebrium.

Fatigaverat Æmiliam Illuſtris proſapiæ fœminam aliqvot annis poſtqvam lue Venereâ à marito infecta fuiſſet, pruritus circa muliebria, tandem & in ipſis pudendi penetralibus admodum moleſtus; Hic ſub ſolſtitium brumale Anni M. DC. XLVIII. recrudeſcens per integram hyemem indignis modis Ægram exercuit, medicis aulicis inſciis, qvod verecunda nimis, malum hoc ſtudiosè occultaret, tandem ubi circa æqvinoctium vernum intolerabili cruciatu afficeretur, non potuit ſibi amplius temperare, qvin dolorem promeret, detectâ ſimul morbi cauſâ.

RESOLUTIO.

Cum de morbo ejusqve cauſa ſatis conſtaret, præmiſſis univerſalibus, pugnatum eſt contra malignitatem ex lue venereâ contractam ſpecificis & appropriatis, ſudoresqve in Laconico provocati, exhibito decocto Chinæ, ſarſæ parillæ, Ligni Guajaci, ſaſſafras &c. cum radicibus Cichorii, ligno ſantalino aliisqve frigidis temperato, qvod patiens ad caliditatem inclinaret; Externa qvoqve ad mitigandum pruritum adhibita, ſed exiguo fructu. Supervenit tandem Empiricus qvidam, is rejectis medicinis externis omnibus, ſolo topico ex aqvâ incognita, per ſe clara & ponderoſa & pulvere candido, qvi in fundo vaſis reſidebat, imprægnato, pruritus ferociam compeſcuit, & ſic qvidem Medicis præſentibus palmam præripuiſſe viſus eſt, accepto qvingentorum Imperialium ſoſtro; ſed malè admodùm fucatæ, ut eventus docuit, ſanationis locato præmio; Detenta enim in corpore morbi cauſsâ, brevi recruduit malum tantâ cum vehementiâ, ut nulla arte ſanari potuerit, ægramqve ad mortem usq; paullò poſt ſubſeqvutam, comitaretur.

Qvalis autem fuerit ille liqvor & pulvis fundum petens, nemini hucusqve innotuit. Facilè qvidem ignis examine explorari poterat, ſed hoc ipſum ſubveritus Circula-

 tor,

tor, homo alioqvin astutus & versipellis, severè interdixerat, ne cui Medicorum adstantes vel ægra communicarent sacram hanc medicinam, unde scrinio inclusam religiosius asservabant, qvam pici suum aurum; Ex mercurio tamen fuisse conjicio ratione ponderis & effectus, qvalitate enim occultâ, qva malignitati luis Venereæ adversari creditur pruritum ad tempus compescuit, causâ autem non ablatâ, recidivam subseqvi, oportuit. *Hoc scilicet est curare symptoma & morbum reddere deteriorem.*

CASUS XVIII.

Impetigo seu Lichen.

Virgo qvædam Nobilis ex Gynecæo Serenissimæ Principis Treptoviensis, primò scabritiem qvandam sive asperitatem cutis circa collum aliqvali pruritu sentiebat, tractu temporis latius serpere cœpit malum, adeò ut tandem ad jugulum usq; extenderetur.

RESOLUTIO.

Duplex impetiginis genus à Celso constituitur, unum mitius, alterum ferum: Ad prius referendam hanc lichenem esse puto, qvia per minimas pustulas cutis exasperatur, & qvamvis aliqvanto latius se diffuderit, tardius tamen hoc factũ est, cum fera impetigo celeriter ad vicina serpat, & pruritum vehementiorem habeat comitem.

Vera & continens hujus mali caussa est serosus, acris, & mordax cum crassiori & terrestri succo, qvalis est pituita salsa & bilis retorrida, mixtus humor;

Antecedens prava victus ratio, cibi nimirum salsi, acres, fumo durati vel in muria macerati, qvibus more gentis, valde delectabatur patiens.

Damnato itaqve acrium salsorumqve usu, alimenta concoctu facilia purumqve sanguinem generantia, commendavi.

Hinc reclusis primarum viarum repagulis, alterantia & præparantia ex Cichorio, Endivia, fumariâ, borragine, liqviritiâ, polypodio & similibus, in sero lactis caprini decoctis, præscripsi.

Postmodum materiam præparatam exhibita potiuncula purgante subduxi;

℞. Decoct. nostr. solutiv. ℥ijß.
Pulv. nostr. laxativ. ℈. X.
♀r. ⊕lat. ℈. iij. M. F. potiuncula.

Purgato sufficienter corpore localia qvædam partibus impetiginosis applicui:

℞. Succ. sempervivi ℥ij
Cretæ pulverisat. q. s. ut fiat Linimentum.

Hoc cum videretur mitius, aliud im-

impoſui, qvod deſcribitur à Prævotio in medicina pauperum:

℞. Saponis nigr. aceto ſolut. ℥ij
Borrac. ʒij. Coq. ad ſpiſſitudinem, deinde add. Cortic. fabar. ſubtiliſſ. pulveriſat. ℥ß.
ol. nuc. perſicor. ℥ij. ol. ♀ri per deliq. ℥j. M.F. Unguent. qvo inungatur locus manè & veſperi.

Cum nec iſtud intentioni noſtræ ſatisfaceret, tentavi experimentum Joëlis ex recremento ferri, qvo per dies qvatuordecim continuato, ſenſim diſparuit lichen, humoribus vitioſis per ſudores elicitis & exſiccatis.

CASUS XIX.

Vari.

Filia cujusdam Theologi, Amici mei ſpecialis, tuberculis qvibusdam parvis & duris in facie & naſo mirè deformabatur; Horum qvædam citò reſolvebantur, qvædam exiguo pure turgentes matureſcebant, qvo expreſſo exſiccata evaneſcebant, novis tamen ſubinde efflorcſcentibus; dolor aderat nullus, nec pruritus aut ſcalpendi deſiderium.

RESOLUTIO.

Tubercula hæc faciem deformantia, *vari* vulgò dicuntur ſeu *Jonthi*, & excitantur plerumqve à ſucco alimentari craſſo, poris cutis ſeſe inſinuante; verum cum ex ſolo craſſiore alimento producti vari ſtabiles ſint, hi verò Ichorem fundant & ſuppurati in ulcuſcula abeant, non carent nota humoris excrementitii & atrabiliarii, ſanguini admixti.

Pruritus autem & doloris expertes ſunt, qvia nihil humiditatis ſeroſæ & mordacis continent.

Curationem etſi minus neceſſariam & pro ineptiis putet Celſus, eripi tamen fœminis cura cultus ſui non poteſt, nec video ſi excrementitios humores admixtos habeat alimentarius ſuccus, qvomodò impunè negligi poſſit Curatio.

Ego ſanè precibus lectiſſimæ Virginis deeſſe nefas eſſe duxi, ac proinde ad depurandum ſanguinem humoresqve vitioſos alterandos & evacuandos tale præſcripſi apozema:

℞. Rad. cichor. ʒvj. polypod. qvern. oxylapath. aſparag. liqvir. ana ℥ß.
Herb. fumar. mj. Endiv. Chamædryos, ſcolopendr. agrimon. ſcabios. ana mß.
Flor. borrag. bugloſſ. violar. ana p. j.
Summit. lupul. mß.
Cort. rad. cappar. ℥ß.

 Inciſ.

Incis. & conqvass. coq. ex. s. q. seri lactis caprini ad remanent. ℔iijß.

℞. Colatur. ℔iß. Infund.
Fol. sen. s. s. ℥vj
Rad. Helleb. nigr. Gialapp. ana ʒiij
☿ri ⊖lat. ℈j.
Cinam. acutiss. ℈ij. Zingib. alb. ʒß.

stent benè cooperta in loco calido per noctem, manè ebulliant, exprimantur fortissimè & colentur, add.

Syr. de fumar. composit. ℥iij.
cichor. c. Rhabarb. ℥j. M.

Reliqvis duab⁹ libris decocti add.
Syr. de fumar. simpl. ℥iij
Cichor. ʒij.
Endiv. ℥j. Misc.

De Apozemate hoc bipartito utatur alternatim & modo illud qvod ex solis alterantibus constat, modò id qvod cum purgantibus mixtum est, assumat, ita tamen ut plures dies præparationi qvam purgationi tribuantur.

Evacuatis vitiosis humoribus & purificato sanguine topica qvædam varos emollientia & exstirpātia, cutimqve explanantia, qvalia passim à Practicis describuntur, applicui, sed irrito conatu, visum tandem est oleum Vitrioli cum melle rosato mixtum experiri, qvo per dies circiter novem illiti vari, ex toto deleti sunt.

CASUS XX.

Gutta rosacea.

Ioachimus Prætorius Theologiæ Studiosus, faciei rubore, cupro non absimili afficiebatur, cum tuberculis rosei coloris, malas & nasum mirè deformantibus adeò ut ipsa facies inæqvalis & horrida evaderet, qvin & nasus incrementum sumere & augeri videretur.

RESOLUTIO.

Affectus hic gutta rosacea vel rosa dicitur, à colore rosæ vel æri cyprio polito simili, oriturqve à sanguine crasso & fervido vitio Epatis genito & ad faciem delato, qvi cum ad crassitiem ibidem hæreat, primò ruborem, post etiam pustulas producit.

Epatis autem intemperies vel à vitio naturæ aut diætæ proficiscitur & iis plerumqve obtingit qvi poculis & ebrietati freqventius indulgent.

In præsenti casu intemperies naturæ potius qvam intemperantiæ videtur adscribenda, cum per totam ætatem sobrie vixerit patiens, nec alimentis calefaciendi vi præditis aut vino generoso vel aromatibus aliisqve calidis usus fuerit.

Etsi verò intemperies hæc curatu perqvam sit difficilis, tentandam

tamen

tamen duxi, urgentius instante ægro, qvi rubedinem hanc pustulosam, sibi admodum damnosam & impedimento esse, qvo minus promoveri posset, qverebatur, qvatenus pro homine bibulo & helluone haberetur. Curationem itaqve sic institui:

1. Cum sanguini crasso & fervido plerumqve biliosus humor admixtus sit, cholagogum exhibui.

℞. Rhabarb. El. gross. mod. incis. & conqvass. ʒiij ♀ri ⊕lat gr. vij.
Aq. Endiv. cichor. calendul. ana ℥j
stent in infusione per noctem, manè colentur, Add. syr. de Cichor. cum Rhab. ℥j. spec. elect. de succ. rosar. gr. xv. M.
F. potiuncula brevis.

2. Hinc ad sanguinem abundantem evacuandum fervidumqve refrigerandum, venam basilicam dextri brachii aperui, mox & cucurbitulas cum scarificatione scapulis applicui, sæpius deinceps repetendas.

3. Postmodum ad fervorem sanguinis & Epatis ulterius temperandum, ejusqve obstructiones reserandas, serum lactis caprini cum succo depurato Cichorii, Endiviæ & acetosæ alteratum commendavi, ita qvidem ut instar acidularum, qvotidie gradatim ascendendo, postea qve descendendo per integrum mensem continuaretur.

Intereà ne ventriculus diuturno seri usu offenderetur, aqvam nostram stomachalem horis vespertinis paullò ante decubitum delibandam obtuli, nonnunqvam & tantillum vini Rhenani tenuis cum micâ panis in prandio sumendam concessi.

4. Dum hæc fierent localia etiam qvædam convenientia præscripsi:

℞. Succ. plantagin. solani, citri, moror. oxy'apath. ana ℔j
Seri lact. caprin. ℔ij. Albumin. ovor. no. xv. Camphor. ʒij.
Mixta destillentur in vasis vitreis, postea add. Litharg. ℥ij. alumin. ℥j. Ceruss. albiss. ℥j. Mixta bulliant ad tertiæ partis consumtionem. Colatur. add. succ. limon. ℥iiij. F. Mixtura qvâ facies sub ingressum lecti inungatur, manè verò abstergatur Emulsione ex nucleis Persicorum & semine cucurbitæ cum aqvis convenientibus extractâ.

His non juvantibus aliud efficacius commendavi:

℞. Flor. ♀ris c. aloe & myrrh. sublimat. ʒiij
⊕li albi, thuris ana ʒj
alumin. ust. camph. ana ʒß.
Lithargyr. ʒij.
Aq. flor. fabar. q. s. M. F.
Linimentum.

Verùm cum & hoc, ut malum est contumax, non proficeret, sangui-

fugis faciei applicitis sanguinem vitiosum per vices extraxi, posteaqve saccharum Saturni cum succo sempervivi & plantaginis miscui, singulis vespertinis illinendum, qvo diligenter continuato, sensim & tubercula & rubedo disparuerunt, breviqve post ad ministerium *Ecclesiæ Hamburgensis* vocatus est patiens, ubi in hunc usqve diem ab omni recidivâ immunis, etiam qvoad cætera sanus degit & incolumis: Eodem remedio & Serenissimum qvendam Imperii Principem à turpi hoc malo, DEI gratiâ liberavi.

CASUS XXI.

Ex guttâ rosaceâ nasus mirum in modum auctus.

Civis qvidam Stargardiensis, Joachimus Granow, guttâ rosaceâ ab ineunte ætate affectus tandem tuberculis grandioribus per totam faciem diffusis mirè deformabatur, maximè verò in naso, qvi in tantum augebatur, ut in labia propendens, capiendo cibo, & sermoni & respirationi non leve afferret impedimentum; Adhibita varia remediorum genera, sed perperam & sine successu, unde mali hujus molestissimi pertæsus, Chirurgum induxit, ut omnem excrescentiam, qvantum fieri posset, amputaret, qvo facto ad tempus qvidem, profuso scilicet vitioso sanguine, remisit malum, paullò post tamen eâ vehementiâ recruduit, ut grandius ac unqvam anteà augmentum sumeret nasus, nunc qvidem Pompiliano *illi non multum absimilis, de qvo elegans Mureti extat Epigramma:*

Pompilio est nasus cubitos tres longus & unum
Latus, & hunc murus cingit uterq; triplex.
Adsunt & turres Bacchus qvas condidit ipse
Et minio tinctas usqne rubere dedit.
Huic etiam naso vis admiranda tributa est,
Nam calices siccos illius umbra facit.
Immò etiam longè distans si senserit usqvam,
Ut magnes ferrum sic trahit ille merum.
Nuper enim in mensâ sitiens, potare paratus
Pompilius clausas adstitit ante fores,
Mira canam, sed vera, merum mihi forte paratum

Attra-

Attraxit naso protinus ille suo.

Habuit idem Granovius & Fratrem eo morbo detentum, tuberosaq; facie & naso, qvanqvam paullò minore, conspicuum; Audio & Parentibus familiare fuisse hoc malum: Si sic, assensum merebitur Platerus, qvi caussis excrescentiarum qvarundam etiam semen & facultatem formatricem in utero addit & qvandoque à Parentibus in liberos propagari statuit.

Qvi viret in foliis venit à radicibus humor;
Sic Patrum in natos abeunt cum semine morbi.

CASUS XXII.

Struma in collo caustico curata.

Filia mea GERTRUDIS SOPHIA Septimo ætatis anno de tumore qvodam in dextrâ colli parte suborto & paulatim crescente, querebatur, dolor aderat nullus, nec rubor aut alia coloris in cute mutatio, ipse tumor rotundus & ad tactum deprehendebatur mobilis.

RESOLUTIO.

Ex humore crasso & lento qvalis est pituita & melancholia, interdum ex utroqve invicem mixto, strumas produci communis qvidem est opinio; verum cum hi humores putredini & corruptioni non minus obnoxii sint, qvàm alii qvi ex humoribus excrementitiis oriuntur, nec tamen in pus mutentur & diuturni sint, dubium videri potest an ex sola pituitâ vel melancholiâ oriantur hi tumores, id qvod jam pridem animadvertit Platerus, qvi iccirco succum nutrientem crassiorem substituit. Cum enim glandulæ, crassiore succo nutriantur, qvàm aliæ carnes, verisimile est, si qvantitate excedat, varios tumores exinde generari. Naturaliter siqvidem succi illius non plus in corpore generari debet, qvam ut partibus illis nutriendis sufficiat, si verò plus ejus generetur, talium humorum causa est. Rectè tamen monet Sennertus interdum & aliqvid humoris pituitosi vel melancholici glandularum alimento admisceri, qvod etiam in præsenti casu factum ex victu præcedente & ætate puerili, qvæ secundum Hippocratem humores pituitosos facilè cumulat, conjicio.

Cognitâ morbi causâ, curationem per se qvidem difficilem, in pueris tamen faciliorem qvam in adultis, aggressus, primò qvidem ordinato convenienti victus

mine ad evacuandos vitiosos humores, præsertim pituitosos, in corpore constitutionis humidæ & frigidæ abundantes, præscripsi hydromel laxativum, duarum vel trium unciarum pondere per vices assumendum:

℞. Agaric. trochiscat. ℥iij.
Turpeth. gummos.
Mechoacan. alb. ana ʒij
Fol. sen. s. s. ℥ß.
Flor. salv. hyssop. betonic. ana p. j.
Sem. anis. fænicul. ana ʒj.
Zingib. alb. ℈ij.

Grosso modo incis. & conqvass. affund. Hydromell. Lithvanic. ℔ißstent in loco tepido per Hor. xxiv. posteà factâ expressione forti, colentur.

Purgato sufficienter corpore ad materiam tumoris absumendam & exsiccandam decoctum radicis Chinæ & sarmenti Indici, additis radicibus scrophulariæ, qvæ peculiari vi strumis & scrophulis mederi dicitur, exhibui;

Interdum & pulverem Villanovani contra strumas, cujus usu, omnes infra vigesimum qvintum ætatis annum infallibiliter curari scribit, admiscui.

3. Ex topicis initiò ad materiam tumoris insensibiliter discutiendā & absumendam emollientia, incidentia & discutientia, additis qvæ strumis peculiariter adversantur applicui:

℞. Rad. scrophular. althææ, bryon. lil. albor. ana ℥ß.
Herb. malv. c. toto.
Flor. chamæmel. ana miß.
Sem. lini, fænugr. ana ʒiij

Coq. ex aq. simplici ad mollitiem & trajiciantur per setaceum, add.
Farin. lupinor. ℥j. lolii ℥ß.
Unguent. dialth. ℥ij. Croci ʒiß
Ol. amygd. dulc. q. s. M. F. Cataplasma.

Cum hoc non proficeret, aliud fortius imposui:

℞. Galban. acet. solut. ℥j. Picis naval. ℥ß. Sal. ammoniac. ʒj
Pulv. Rad. scrophul. ʒij.
Emplastr. diachyl. c. gummat. ℥ß.
M. F. Magdaleon.

Verùm nec his resolvi aut discuti potuit pertinax tumor, unde ad maturantia & suppurantia deveni, qvorum usu etiam delusus corrosivis & putrefacientibus agendum censui: Sectio namqve ob arterias & nervos qvibus adhærebat struma, minus tuta videbatur.

Optaram hic mihi Regis Galliæ manum, cum & hæc qvæ per corrosiva fit, periculi nō sit expers operatio, unde & diu suspensum me tenuit anceps eventus. Crescente tamen indies malo, miramqve deformitatem pariente, vicit tandem dubiæ contentionem mentis Cels°, satis

satis tutum esse remedium pronuncians, qvod unicum est.

Divino itaqve invocato Numine apposui tantillum lapidis caustici, cujus hæc est compositio:

℞. Calcis vivæ ℥iß. Minii ℥ß saponis fullonum q. s. Coq. ad duritiem lapidis.

Vix tribus qvatuorve horis adhæserat medicamentum, cum nigrescere & corrumpi jam inciperet glandula, idqve sine notabili dolore. Continuato itaq; ejus usu, paucis diebus tota fermè corrupta & absumpta videbatur, unde demptâ crustâ ad reliqvias penitus tollendas unguentum Agrippæ applicui, tandemqve ulcus debito modo consolidavi, & sic Filiam dilectissimam optimeqve moratam à turpi & molestissimo tumore, perfectè liberavi, qvam ut porrò divina servet clementia, paterno animo precor!

CASUS XXIII.

Struma in brachio & axillà dextrà excisione eruta.

Servus villici cujusdam in pago Zernin, duabus strumis, unà in brachio dextro, alterâ in axilla ejusdem lateris affectus, cum multa variaq; tàm ex internorum qvam externorum censu, frustrâ tentasset remedia, tandem à Lithotomo Gedanensi Joachimo Kleinn sectionem petiit: Is metuens ne infirmi emaciatiq; corporis æger, in ipsâ operatione succumberet, eidem ut intercessem instanter rogabat, qvod cum & Parentes afflictissimi humiliter efflagitarent, opem denegare inhumanum ratus, accessi instructus iis omnibus, qvæ in præcipiti casu prodesse poterant; Detecto corpore, Lithotomus animo hærebat, utram ex his strumis prius aggrederetur, an simul & semel ambas exscinderet; Suasi grandiorem qvæ in axillâ erat, primò, postmodum si viribus constaret Æger, & alteram in brachio paullò minorem secaret, sin minus in aliud tempus differret. Paruit dicto & cutem in axilla per transversum incidit, mox nudatam strumam ab adjacentibus partibus, digitis separare & extrahere conatus est, sed frustra, ob causam mox dicendam; Qvare arreptâ novaculâ, cum viribus adhuc satis constaret æger, vulnus cousq; ampliavit ut integram manum inserere posset; verum cum ne sic qvidem strumam extrahere posset,

Digitized by Google

ſet, ipſe in lipothymiam incidit artifex, cujus refectioni dum incumberem, Ecce Conjux ejusdem ſupra modum animoſa, ſtrumam utraq; manu prehendit, feliciterq; unâ operâ & illam qvæ in axilla & alteram in brachio extraxit; Cohærebant enim ſibi invicem peculiari ligamento adeo firmiter, ut una absq; alterâ evelli neutiqvam poſſet: Suppreſſo ſangvine, cujus ingens erat profluvium, curatio reliqva ut in aliis vulneribus peracta eſt. Pendebat autem utraq; ſtruma libras ſedecim cum dimidia, qvæ in brachio erat, libras ſeptem, altera in axilla libras novem cum dimidiâ.

Ablatis hisce ſtrumis, æger qvi antea ad extremam maciem redactus, vix oſſibus hærebat, ſenſim incrementum ſumere, immò impingveſcere cæpit, ut nunc qvidem Gaſtrodi Friſchliniano parum cedat, unde apparet, qvantum nutrimenti reliqvo corpori detraxerint ſtrumæ.

CASUS XXIV.

Ganglion in fronte.

E*Tſi ganglia in iis potiſſimum partibus fiant, qvæ moventur ſecundum articulos, nempe in manibus & pedibus, iisq; in locis ubi tendinum, ligamentorum, nervorumq; eſt concurſus; Quandoq; tamen etiam in capite, fronte & cubito ſuborta fuiſſe Aëtius ſcribit, id qvod & mihi obſervare contigit in Viro qvodam Conſulari Domino Heermanno Fredero Avunculo meo; Is ex ictu ganglion contraxerat ovi columbini ferè magnitudinem excedens; adhibita initio fuerunt emollientia & diſcutientia, mox cum hæc non proficerent, etiam ſuppurantia; Verùm cum nec his cederet malum, ſectionemq; non admitteret patiens, naturæ negotium committendum erat, cujus beneficio factum ut tractu temporis non ſolum amplius non augeretur incrementumq; ſumeret tumor, ſed & paululum minueretur & in magnitudinem nucis avellanæ decreſceret, eoq; in ſtatu per totam vitam permaneret, nullo alio adhibito remedio, niſi qvod ſalivâ propriâ tumorem qvotidiè jejunus inungeret.*

CASUS XXV.

Verrucæ in manibus.

Pediu-

Digitized by Google

Pedisseqva Fœmina cujusdam Illustris, verrucis, qvarum ultra centum in utraq; manu numerabat, mirè deformabatur, alioquin corporis non invenusti, hæ cum & molestiam qvandam in nendo aliisq; laboribus domesticis afferrent, opem meam implorabat.

RESOLUTIO.

Verrucas ex materiâ crassâ melancholica & pituitosa produci communis est opinio: mihi verisimilior videtur Plateri sententia, qvi ex succo cuti & cuticulæ alendæ destinato easdem gigni statuit, qvatenus portio illius succi in porum cutis unum pluresve irrumpens, radicibusqve adnascens, excrescensq; portiunculam exiguam porum adimplentem, duram ac callosam generat, qvæ si extra porum effertur verrucam pensilem, si in eo permanet, sessilem facit; Occasionem malo præbet dilatatio & amplitudo pori in qvem succus iste se ingerit, in manibus plerumqve injuriæ externæ.

Remedia verrucarum multa à Practicis hinc inde commendantur; Ex vegetabilibus Chalmetæus scrofulariam, Fallopius folia salicis aut succum eorum, Dioscorides pisa & ciceres, Platerus Heliotropium, Hartmannus aqvam supranatantem truncis qvercuum bipenne detruncatorum: Alii Cichorium verrucarium, lac tithymali, radices Dracunculi, iridis, ari, cyclaminis, chelidonii, folia Sabinæ, rutæ, millefolii, nasturtii, aqvam è sarmentis vitium, succum porri, cæparum, verbasci, portulacæ, mali punici, semen nigellæ, sqvillam & nescio qvæ non commendant.

Ex animalibus caput anguillæ, lacertæ, sanguinem menstruum, stercus caprinum, ovinum, canis, fel tauri, lucii, pinguedinem ardeæ, talpæ &c. laudant.

Ex fossilibus deniqve & mineralibus, alumen, nitrum, calcem vivam, vitriolum, arsenicum, æruginem æris & sexcenta alia deprædicant.

Verùm pauca ex his famam sustinent, mihi longo usu compertum est Emplastrum ex Galbano & sale Ammoniaco, qvod sic componitur:

℞. Galban. acet. sqvillit. solut. ℥j salis ammoniac. ʒj. picis navalis ℥ß. Empl. diachyl. magn. ʒiij. M. F. Magdaleon.

Hoc emplastro & verrucas & clavos in multis curavi, si remissius agit, dosin salis ammoniaci augeo.

In præsenti autem casu, manibus minus commodè aptari poterat, nisi totæ implicarentur, qvod cum operationibus necessariis impedimento futurum erat, linimentum

præſcripſi, qvo ſingulæ verrucæ manè & veſperi inungerentur:

℞. Rad. dracunc. ari, cyclaminis, Iridis ana ʒiij
Fol. ſabin. ℥ß. ſem. heliotropii ʒij. ſal. ammoniac. ʒj. oxym. ſqvillit. q. s. M. F. Unguent.

Exaruere qvidem & deciderunt nonnullæ, ſed paullò poſt aliqvæ denuò excreverunt, nonnullibi & novæ eruperunt, qvare fortiori runcina exſtirpandas duxi:

℞. Mell. roſar. ℥ij
Spir. 🜕li ʒiij. M. pro Liniment.

Qvo cum verrucæ aliqvandiu illitæ fuiſſent, ſenſim nigreſcere, corrugari, tandemqve penitus excidere viſæ ſunt.

Abiguntur interdum & ſolo contactu verrucæ, ſi internodia ſtraminis ſecalini vel alterius frumenti ſingulis verrucis fortiter imprimantur, poſtmodum defodiantur in terram ſub tecti alicujus ſtillicidio, putreſcentibus internodiis, ſenſim contabeſcunt & verrucæ, tandemqve emoriuntur & diſparent, id qvod in multis expertus ſum, fidem tamen qvandoqve fallente remedio, ut in pediſſeqva cujus ſupra memini & in aliis qvanqvam perpaucis, obſervavi.

CASUS XXVI.

Ulcus Rheumaticum.

Pictor qvidam cacochymicæ conſtitutionis, ulcere cruris ſiniſtri ultra biennium affectus, de inſigni partis affectæ tumore & dolore qverebatur, excrementorum tanta profluebat copia, ut faſcias & tibialia qvandoq; penetraret.

RESOLUTIO.

Ulcera Rheumatica difficulter vel minus tutò curari, niſi affluens vitioſus humor è corpore & viſceribus expurgetur exſiccetúrq; ratione conſtat & experientiâ: Affluxus enim humorum ulcus ſubinde humidum reddit & ſanationem impedit, & licet qvandoqve perſanetur tale ulcus, brevi tamen iterum recrudeſcit, vel ſi hoc non fiat, in viſcera & partes principales regurgitat vitioſus humor, ægroqve certiſſimam pernitiem, aliqvando interitum affert, qvemadmodum in ſenibus potiſſimum obſervatur, qvibus ubi fluens ulcus diuturnum ſuâ ſponte conſolidatur, paullò poſt exitium parit.

His probè conſideratis ægrum ante omnia à cacochymia liberandum eſſe duxi, ac proinde præmiſſis præparantibus, corpus repetitim & per vices purgavi: Hinc ad reliqvias per ſudores abſumendas & exſiccandas decoctum Chinæ & Sarmenti Indici ad temp⁹ exhibui,

non

non neglectis qvæ viscerum intemperiem corrigerent, eaqve roborarent.

Exhaustâ vitiosorum humorum sentinâ, inhibitoqve affluxu, ulcus, ministrante Chirurgo aqva plantaginis in qvâ flores balaustiorum & rosarum ebullierant, probè deterſi, hinc medio ulceris pulvisculum exſiccantem è lithargyrio, tutiâ, bolo Armeno & ſaccharo Saturni inſperſi, impoſitoqve emplaſtro Gualtheri, ulceribus fluentibus accommodatisſimô, cicatricem induxi. Ex eo ultra triennium nihil tale qvid paſſus, optimè habuit, donec tandem, ubi per totam fermè æſtatem pingendis in Hortolino meo laqvearibus & tabulatis occuparetur, nec laborem hunc aliter qvàm ſtando perficere posſet, decumbentibus ſenſim ad pedes vitioſis humoribus, denuò erupit ulcus.

Repetitis itaqve purgantibus & diaphoreticis ſupra memoratis, impoſitoqve emplaſtro infrà deſcripto, brevi iterum ſanatum eſt ulcus.

Svaſi ad præcavendam recidivam corpus ſæpè purgaretur & fonticulus in parte contraria excitaretur, ut humor ad crus defluens alio loco commodiùs evacuaretur; verùm cùm à fonticulo, tanqvam remedio periculoſo, ut opinabatur, & moleſto abhorreret æger, eventui eundem commiſi:

℞. Ung. diapomphol. ℥j. de liqvirit. ℥ß. Emplaſtr. diachalcyt. gryſei ana ℥j. Gummi Elemi ℥ß. Sacch. Saturni ʒij. M. in mortario plumbeo F. Magdaleon.

Cæterùm ulcera cum humorum affluxu præſertim inveterata & diuturna minus tuto ſanari, ſupra innui, memor qvam male hoc cum aliis, tum Sereniſſimæ Principi Schöningenſi ceſſerit, qvæ occluſo ulcere, qvod à multis annis in pede fluxerat, in atrociſſimos capitis dolores, ſcotomiam, vertigines, deniq; in mentis alienationem, aliaq; graviſſima ſymptomata incidit, à qvibus nullâ arte liberari potuit. Viderit hîc Empiricus ille Caminenſis, cujus ſuaſu enormis iſte error commiſſus eſt, qvid olim in die judicii reſponſurus ſit, qvanqvam & hic in terris

----- raro antecedentem ſceleſtum
Deſtituit pede pœna claudo.

De cæcitate ex intempeſtivâ ulceris Rhevmatici occluſione ſubortâ dictum eſt ſupra l. 2. Caſu 26.

CASUS XXVII.

Ulcus ſordidum, putre, & corroſivum.

Uxor *Julii Hartens Civis Colbergenſis, facie pallida & ſubtumida paullò ſupra talum pedis ſi-*

dis sinistri, ulcere diuturno, & sordes copiosas, crassas & mucosas fundente afficiebatur, caro flaccida erat & mollis, qvandoq; etiam nimis excrescebat, fœtoremq; gravem & qvasi cadaverosum exspirabat, aderat & pruritus & dolor, ipsumq; ulcus de die in diem majus reddebatur.

RESOLUTIO.

Ulcus sordidum, excrementa crassa & mucosa copiosè profluentia arguunt, putridum fœtor, corrosivum & serpens pruritus & dolor.

Caussa proxima sunt humores vitiosi, acres, & maligni ex toto corpore cacochymico ad partem affectam confluentes.

Cacochymia itaqve erat emendanda, id qvod victus melioratione, freqventi purgatione, viscerumqve alteratione & corroboratione præstitimus, præclare inter alia profuit decoctum radicis Chinæ & Sarmenti Indici per integrum mensem interjecto subinde purgantium usu, continuatum.

Ex topicis primo ad sordes abluendas lixivium præscripsi:

℞. Ciner. caulium. cort. fabar. sarment. vitis ana ℥iij.
Aq. pluviæ q. s. F. Lixivium, qvo ulcus crebrò eluatur.

Hinc pro ulteriori detersione linimentum commendavi:

℞. Succi apii, plantag. absinth. agrimon. Centaur. min. ana ℥ß.
Mell. rosat. ℥ij. Terebinth. lot. c. aq. plantag. ℥iij.
Coq. lento igne ad succorum evaporationem add. pulv. aristoloch. longæ, farin. orobi ana ℥ß. Myrrh. ʒiij. spir. vin. q. s. M. F. Liniment.

Intereà cum caro excrescens subinde luxuriaret, putredinemqve conciperet, absumendam exstirpandamqve duximus, asperso qvidem inter initia pulvisculo aluminis usti, verùm cum mitiùs ageret, aqvam viridem Plateri linamentis carptis exceptam imposuimus; doloremqve si qvando vehementius urgeret, anodynis convenientibus mitigavimus.

Tandem cum humorum affluxus sensim remitteret, ulcusqve sufficienter detersum mundatumq; esset, carnem generantia, simulqve conglutinantia & cicatricem inducentia applicuimus, & sic Dei gratiâ, ægram non tantum ab ulcere sed & Cacochymia liberavimus.

CASUS XXVIII.

Ulcus fistulosum ani.

D*N. PETRUS* Carsonn von Bluhmenfeldt / *diarrhæâ diuturnâ & postmodum tenesmo affectus, tuberculum in ano con-*

contraxerat, qvod tractu temporis exulceratum, tandem in fistulã degeneraverit, penetrantem usq; ad intestinum rectum & sphincterem; Hinc feces alvi debito modo retineri non poterant, sed præter voluntatem excernebantur; Materia effluens modò purulenta erat & viscida, modò tenuis & loturæ carnium, qvalis in fluxu epatico ejicitur, modò muriæ non absimilis, valdè acris & fœtida.

RESOLUTIO.

Cum penetrantes fistulæ omnes difficillimæ vel potiùs nullius sint curationis, adeò ut Albucasis fistularum qvæ ad vesicam, vel ad intestinum rectum, vel ad ossa antharum vel caudæ penetrant, curationem nihil aliud esse scribat, qvam laborem infirmorum & fatuitatem stultorum Medicorum, curâ palliativâ solummodò, in gratiam ægri, utendum erat.

Hippocrates qvidem libro de fistulis duos tradit easdem curandi modos, unum qvi fit per medicamenta, succum scilicet Tithymali & florem æris usti, alterum qvi incisione expeditur. Verùm cum uterqve periculosus sit, qvatenus medicamentis acribus intestinum rectum, incisione autem sphincter facilè lædi potest, malui naturæ potius negotium committere, & id tantum agere, ut munda subinde servaretur fistula, nec sanies in ea retenta partes vicinas corrumperet, qvo fine Sieff Algarab, qvod describit Valescus lib. 2. cap. 4. de fistula lachrymali, singulis diebus bis vel ter per syringam injiciendum commendavi, & si qvando orificium fistulæ redderetur angustius, turundâ ex radice gentianæ dilatandum præcepi. Interea cum alvi excrementa læso scilicet sphinctere, debito modo retineri non possent, & per fistulam exirent, canalem eburneum gossypio obductum intestino recto, ministrante Chirurgo, indidi, cujus beneficio fæces alvi obturato scilicet orificio canalis inferiore, eousqve retinerentur, donec exempto tubo iis recluderetur exitus.

Dolorem, qvi sæpè vehementer instabat, anodynis delenivi, qvæ cum aliqvando exspectationi minus satisfacerent, Chirurgus me absente ad narcotica devenit & pilulas ex laudano opiato exhibuit, undè optimè qvievit æger, dolore ad tempus qvasi sublato; recrudescente iterum petiit pilulas, nihil magis toto morbi decursu sibi profuisse asserens, ac has; Concessi denuò atqve iterum: verùm cum postea singulis vespertinis easdem expeteret, de noxa ex freqventi earundẽ usu, metuendâ monui. Abstinuit

tinnit aliqvandiu, mox acrius urgente dolore repetiit,&hoc,me inscio,singulis fermè diebus, absqve ullô valetudinis incommodo.

Cæterùm etsi penetrantes fistulæ,ut modò dictum,plerumqve sint insanabiles, precibus tamen & lachrymis ægri motus etiam interna qvædam tentanda duxi,memor oraculi Averrois,qvi monstra qvandoqve in morbis fieri docet. Exhibui itaqve præmissis Universalibus qvædam particulariter contra fistulas ani facientia, syrupum nimirum, qvem in dispensatorio suo describit Renodæus,ut & essentiam Radicum Chinæ, sarsæ parillæ, lignorum Guajaci, santalini, sassafras, specificum Tagaultii & id genus alia; Neve aliqvid deesset etiam topica applicui, balsamum nempe Prævotii,qvem in medicinâ pauperum ad ani fistulas commendat:

℞.Geranii ℥ij Rad. Irid. Florent. ℨiij. Ellebor. nigr. præp. ℨij. Gran. tritic. mj.

Contundantur ruditer & infundantur per diem in vini austeri ℔j. deinde add.ol.hyperic.myrtin.ana ℥iij bulliant lento igne ad consumtionem humiditatis factâ expressione & colaturâ add. bitumin. myrrh. ana ℨiß. stent ad lentum calorem, donec perfectè liqventur, deniqve add. Resin. laurin. abietin. Balsam. occident. ana ℥j. M. F. Balsamus turundis vel gossypio qvo canalis obvolvitur excipiendus.

His integro biennio & qvod excurrit, diligenter continuatis, tantum profecimus, ut corruptio intestini recti ulterius non progrederetur, partesqve vicinæ à corrosione & putredine præservarentur.

Porro qvid futurum sit,dies docebit.Ego, si qvid præsagire licet, similem morbo eventum auguror, qvalem alia ulcera interna plerumqve habere solent, lentam scilicet ex calore hectico & consumtione totius, mortem.

CASUS XXIX.

Ambustio faciei, manuum & abdominis.

Filiolus molitoris cujusdam qvinq; circiter annorum puer, in ignem culinarium pronus incidens, subuculâ, qva solâ amictus erat, flammam concipiente,toto corpore, maximè verò in abdomine, manibus, & facie adeò ambustus erat, ut ipsa cutis & in qvibusdam partibus etiam subjecta caro adusta videretur; dolor aderat immanis & hinc vigiliæ perpetuæ cum extrema virium imbecillitate.

RESOLUTIO.

Ambustionem hanc curatu qvidem

dem fore difficilem prædixi, qvatenus profunda pluresqve partes ambustæ imprimis abdomen, cujus musculi ob varios motus variè extenduntur & contrahuntur, nihilominus tamen tentandam, idqve non frigidis, ut vulgi est opinio, sed calidis qvæ peculiarem empyrevma evocandi vim habent. Qvemadmodum enim partium refrigeratarum frigus, optimè frigidis, nive scilicet, aut aqvâ frigidâ, extrahitur, sic empyrevma non nisi calidis evocatur, ratione similitudinis. Præscripsi hoc nomine decantatum illud ambustionis remedium, qvod ex olei olivarum parte unâ & album. ovorum partibus duabus componitur, nec inefficax, præsertim in facie deprehendi; Verùm in abdomine, ubi profundior & cutem penetrans erat ambustio, exspectationi nostræ parùm satisfacere videbatur, qvapropter incisis pustulis loco affecto non solum ea qvæ empyrevma extrahunt, sed & cutim exiccatam emolliunt, imposui:

℞. Alburnor. in profluente recenter captor. ℔j. frigantur in sartagine cum butyri majalis s. q. pinguedo fundatur superaq. frigidissimam, coagulata separetur, hinc add. Unguent. basilic. ℥j.
Ol. lil. albor. rosar. amygdal. dulc. ana ℥ß. vitell. ovor. n. ij. Croci ℈j. M. F. Unguentum.

Manibus idem unguentum applicuimus, interpositis digitorum spatiis, ne fortè coalescerent, linamentis siccis: Tandem separatis escharis ulcera mundavimus, & sarcotica cicatricesqve inducentia applicuimus, qvæ ne turpes & rugosæ præsertim in facie fierent, devitatis valdè siccantibus, emollientia subinde adhibuimus, qvalia recipit seqvens linimentum:

℞. Pingued. Capon. hominis, piscis tithymali ana ʒiij. ol. myrrh. ʒß. lil. albor. ovor. ana ℥ß. Succi lumbricor. ʒv. M. F. Linimentum.

Intereà dum hæc fierent, etiam virium imbecillitati prospeximus, exhibendo sæpius cochlear unum atqve alterum mixturæ cordialis.

℞. Aq. cordial. frigid. ℥iij.
flor borrag. bugloss. ana ℥j
Cinam absqve vin. destill. ℥ij
Carbuncul. ʒj
Conf. Alkerm. ʒij.
Spir. rosar. rub. Idæi ana gt. xv.
Rotul. man. Christ. perl. ʒij. M.

Ad arcendas vigilias & conciliandum somnum doloremqve qvi admodum urgebat sopiendum, per intervalla dedi pulvisculum meum anodynum ex syrupo flor. Rhæados & aqvâ hypnoticâ.

℞. Pulv. mei anodyni ℈j
Laudan. opiat. g̃. i.
M. in mortario marmoreo F. pulv.

CASUS XXX.

Gangræna pollicis manus sinistræ lethalis.

Filia JOSUÆ HESSI Ecclesiæ Megagestinensis Pastoris ex inflammatione pollicis manus sinistræ gangrænam contraxerat, qvam cum negligentius haberet in sphacelum degeneravit; Accersitus Chirurgus qvidam Castrensis Paullus Polt digitum uno vehementiq; ictu paullò infrà articulum amputavit, utq; sanguinis profluvium sisteretur, ferro candenti adussit: Hinc dolores acutissimi, vigilia perpetua, animi deliqvia, convulsiones aliaq; suborta symptomata, qvæ etsi adhibitis idoneis remediis qvandoq; mitigarentur, subinde tamen recruduerunt, donec tandem è vitâ decederet ægra.

RESOLUTIO.

Inflammationes partium insolentes, qvandoqve in gangrænam abire & sphacelum, vulgo notum est, qvatenus à copiâ sanguinis & humorum calor nativus partis affectæ suffocatur: Qvâ viâ autem qvibusqve remediis præcaveri possit, ne in gangrænam degeneret inflammatio, apud Autores passim obvium est.

Curationem verò qvantum attinet & in specie qvidem sphaceli, nullâ alia ratione perfici ea potest qvàm amputatione, siqvidem qvod planè jam corruptum est, vitam amplius recuperare non potest, ac propterea

Ense rescindendum est ne pars sincera trahatur.

Qvibus autem modis& instrumentis hoc fieri debeat, alii aliter sentiunt: Qvidam carnem mortuam propè sanam multis sectionibus rectis & obliqvis scarificant, idqve satis profundè usqve ad os, postea vulneribus pulverem ex arsenico & sublimato inspergunt, ut pars mortua à sanâ separetur. Alii cauterio qvod corruptum est, adurunt, usqve dum dolor percipitur in parte: Alii sectione amputant corrupta, idqve vel novaculâ, vel serrâ, aut modiolo vel securi.

Verum qvàm noxia sit arsenici sublimatiqve vulneribus scarificatis inspersio, docet Paræus; Qvam perniciosa cauterisatio demonstrat Fallopius; qvàm periculosa per modiolum aut securim amputatio, exemplis evincit Fabricius, qvibus merito accensetur hoc nostrum, in qvo triplex error commissus videtur.

Primus qvidem in eo qvod pollicem infrà articulum resecuit Chirurgus, cum rectius & sine minori periculo & dolore in ipso articulo fiat

fiat amputatio: Nervi enim & tendines incisi sursum contrahuntur, carne conteguntur neqve ulla seqvitur convulsio.

Alter verò, qvod ictu adeò vehementi & per modiolum pollicem amputavit, id qvod novaculâ melius expediri poterat. Fieri enim non potest qvin percussionis violentiâ nervi & tendines contundantur, rumpantur, ossaqve conterantur & immanissimi cruciatus, inflammationes, tumores, convulsiones, aliaqve prava symptomata excitentur, ut in tractatu suo de Gangræna & sphacelo cap. XVII. annotavit Guilielmus Fabricius.

Tertius deniqve in sistendo per ferrum candens sanguine, siqvidē ut Paræus monet, ustiones non tantùm summum dolorem inferunt, sed & partibus nervosis prava accidentia inducunt, multumqve sanæ carnis absumunt, unde ossa denudantur, & caro ac cicatrix summâ cum difficultate vel plane non obducitur.

Qvæ cum observare ex usu sit, in gratiam Tyronum hoc loco inserenda duxi, ut cautius de corio humano ludere discant, & sicubi ferro aut igni agendum est, diligenti cum præmeditatione & circumspectè hoc faciant. Arduæ enim & difficiles sunt hæ operationes, & qvandoqve etiam peritorum eludunt conatus, adeoqve temerè non tentandæ, nisi ubi nullum aliud est præsidium, tunc enim satis tutum est, ut Celsus loqvitur, qvod unicum est, modò exqvisite sit comparatum.

CASUS XXXI.

Gangræna brachii & sphacelus ex ulcere pedis intempestivè occluso.

Vir qvidam Consularis ulcere Rheumatico pedis sinistri per multos annos affectus, tandem consolidato ulcere, in vehementissimos Capitis dolores incidit, qvibus cum per integram hyemem conflictatus, circa æqvinoctium vernum Anni M. DC. LII. subito vehementiq; dolore brachii ejusdem lateris prehensus est, cum insigni ardore & inflammatione, qvæ cū à Chirurgo ejus loci initiò negligentius haberetur, in gangrænam & paullò pòst in sphacelum desiit; amputato brachio, æger qvadriennio post apoplexiâ forti exstinctus est.

RESOLUTIO.

Qvam periculosa sit ulcerum fluentium, maximè inveteratorum occlusio, supra lib. 2. Casu 26. & lib. 6. Casu 24. dictum est, ubi enim natura longo tempore assuevit hu-

mores noxios ad partes ignobiliores detrudere & per ulcus apertum subinde evacuare, fieri non potest, qvin præclusâ viâ in partes principales regurgitent, ægroqve certissimam pernitiem, aliqvando interitum adferant, nisi tempestivè sufficienterqve evacuentur & exsiccentur, qvod cum in præsenti casu neglectum sit, mirum non est qvod à multis annis per ulcus pedis effluens humor, exitu denegato, ad cerebrum delatus, capitis dolores, postmodum cum impetu in brachium decumbens, gangrænam & sphacelum excitaverit. Humores enim pravos à naturâ in membrum aliqvod detrusos subitò id mortificare posse multiplici experientiâ constat & supra lib. 5. Casu VIII. demonstratum est. Accessit & culpa Chirurgi, qvi initiò malum hoc planè neglexit, nihilqve applicandum sed pannis calidis solummodò fricandum, tegendumqve suasit, unde proculdubio attractis per frictiones & calorem humoribus, exasperatum est, qvanqvam & in eo peccatum qvod postmodum suasu Balneatoris vehementer repellentia, refrigerantia & adstringentia, ut succus sempervivi, acetum vini & id genus alia imposita, qvibus pori constipati calorqve nativus suffocatus est, ut in Responsis nostris prolixius docuimus.

CASUS XXXII.

Gangræna scroti.

NObilissimus D. Petrus von Hohenhausen / *Cognatus meus ex dysenteriâ in Hydropem ascitem incidit, cui cum scrotum supra modum intumesceret, apertionem ursit. Ego dubii eventus auxilium, qvod paucis benè, multis malè cesserat animo volvens, tandem ex arbitrio Celsi, melius esse anceps qvam nullum remedium, ratus, ministrante lithotomo, scrotum uno vulnere, eoq; satis amplo aperui, & primo qvidem die serosi humoris libras circiter duas per cannam argenteam vulneri impositam, partitis vicibus, eduxi; secundo tres, tertio qvatuor, qvarto supervenit gangræna; suasi scrotum illicò sectionibus multis undiq; scarificetur & postmodum decocto seqventi probè ablueretur;*

℞. Rad. vincetoxic. Ireos, aristoloch. rotund. ana ℥ß.
Scordii, absinth. flor. sambuc. lupinor. ana mß.
Aceti vini & lixivii fortiss. ana ℔ij
Coq. ad tertias. In colatur. dissolv.
Theriac. Andromach. ℥ß.
Aloes, myrrh. ana ʒiij.
Mell. rosat. colat. ℥j.

Spir.

Spir. vin. opt. ℥iij. M.

Factâ ablutione *Unguentum Ægyptiacum & supra id Cataplasma ex scordio, absinthio, lolio, junipero, myrrhâ, aloe, farinâ lupinorum aliisq; putredini resistentibus, applicuimus, simulquè convenientem victus rationem præscripsimus, corpus per intervalla hydragogis convenientibus blandè purgavimus, nihilqvè eorum qva ad viscerum roborationem facerent, intermisimus. Scrotum sphacelatum partim naturæ beneficio sponte decidit, partim novacula resectum est, ut testiculi nudi conspicerentur, qvi tamen medicamentis resiccantibus & incarnantibus, carne ex inguinibus succrescente qvasi novo involucro obducti sunt.*

Intereà natura multum humoris serosi per hanc viam deposuit, ut brevi tempore totum abdomen detumesceret, nec exigua reconvalescentiæ spes affulgeret, ægro jam ad consueta munia redeunte.

Verum major erat viscerum labes, ut in cadaveris apertione deprehendimus, qvam ut superari posset, unde cumulato iterum sero & superveniente alvi profluvio, æger Fatis concesit, cum paullò ante, multa cruenta ἄνω καὶ κάτω rejecisset.

Memoria Viri optimi & integerrimi sit in benedictione!

CASUS XXXIII.

Gangræna faciei, palpebrarum & utriusqve oculi.

Vir qvidam Nobilis & de Patriâ optimè meritus, Erysipelate faciei affectus, postqvam ad restinguendum ardorem, aqvâ frigidissimâ totam faciem repetitim perfuderat, gangrænam primò in genis, postmodum etiam in palpebris ipsisqvè oculis contraxit; adhibita varia & exqvisitè comparata remedia, Medicis & Chirurgis dies noctesqvè excubantibus, sed frustra, malo indies augescente, donec sphacelatis faciei & palpebrarum musculis, totaq; oculorum substantiâ, miserè, piè tamen & constanti in DEUM fiduciâ, interiret æger.

Discant ex hoc Tyrones, qvàm periculosum sit humores, qvos natura à partibus interioribus ad exteriores propulit, rursum

ad interiora repellere, naturamqve rectè agentem in munere suo impedire, imprimis verò in Erysipelate, ubi materia qvam natura expellit, per refrigerantia & repercutientia plerumqve in ipsa parte affecta concluditur, unde putredo & suppuratio, non rarò gangræna & membri νέκρωσις oritur, ut docet Hippocrates 7. Aphoris. 2. in rustico qvodam observavit Guilielmus Fabricius Centur. 1. observat. 82.

CASUS XXXIV.

Maculæ Epaticæ.

De his vide librum tertium *Epistolarum mearum medicinalium Epistol. 23.*

CASUS XXXV.

Canities.

Aullicus qvidam triginta circiter annorum, cum immaturius canesceret, & ob id in contrahendo cum virgine prænobili & formosâ matrimonio, repulsam metueret, consilium meum implorabat.

RESOLUTIO.

Qvemadmodum canities naturalis ex sanguine, qvi pilos alit, minus florido & temperato nascitur, sic & eam, qvæ præmaturè & ante legitimum tempus obrepit, ex vitioso pilorum nutrimento produci verisimile est, qvod ipsum cum etiam in præsenti casu ex cacochymiâ aliisqve signis deprehenderem, corpus repetitim evacuavi, & qvæ viscera caloremqve nativum roborarent, exhibui, deniqve ad vitiosam cerebri dispositionem, qvæ plerumqve subesse solet emendandam, particulares capitis evacuationes per sternutatoria & errhina institui, simulqve Cephalica appropriata ex rore marino, betonica, myrobalanis, nuce Indicâ, semine Ammeos, caryophyllis &c. sub formâ Electuarii præscripsi, non neglectis & topicis à Galeno, Mercuriali & aliis passim annotatis: verùm cum his omnibus nihil proficerem, balsamum meum ex succino usto, cujus hæc est descriptio, commendavi:

℞. Succin. ust. & in pollinem subtiliss. redacti ℥ij.
Ambr. grys. mosch. Zibeth. ana ℈ß.
Ol. stillat. lign. Rhod. lavend. salv. majoran. rutæ ana gt. XI. Caryophyll. gt. xv.
Ol. nuc. moschat. per express. fact. q. s. ad incorporandum
M. F. Balsamus.

Ab-

Absumit nimias Cerebri humiditates & inde nascentes catarrhos, caput roborat & pilos nigredine tingit, egregium canitiei remedium; sed palliativum solummodò & sæpè repetendum præsertim à balneo & sudoribus.

CASUS XXXVI.

Vulnus capitis utramqve laminam penetrans cum magnâ parte cranii effractâ.

ANNO M. DC. XXIII. Mense Januario Nobilissimus DN. GEORGIUS à LICHTFUSS; Amicus meus specialis, Francofurti ad Viadrum literis operam navans in, conflictu nocturno duplex inter suturam coronalem & lambdiformem gladio acuto per transversum & geminatis ictibus inflicto, vulnus accepit, qvo magna pars cranii effracta est, adeò ut ingenti rictu calvaria dehisceret, illæsis tamen membranis. Æger biliosa vomebat cum sanguinis è naribus, auribus, & palato effluxu, aderat & sensus motusq; abolitio, oculorum obcæcatio, obmutescentia & somnus qvasi profundus.

RESOLUTIO.

Pertusâ calvariâ vomitiones biliosas aliaqve modo enumerata symptomata supervenire Hippocrates 6. Aphor. 50. & Celsus lib. 8. cap. 4. scriptum reliqverunt; ventriculus enim ob nervos sextæ conjugationis in consensum trahitur, ejusqve facultas expultrix irritatur ut primum ea qvæ in ipso continentur, deinde bilis qvæ ad motum aptissima est, rejiciatur, & cum venæ & arteriæ ad cerebrum tendentes violenter rumpuntur sanguis ex iis per os, nares & aures effluit.

Sensus autem & motus abolitio, oculorumqve obcœcatio ut & somnus qvasi profundus & obmutescentia ex spirituum animalium turbatione & influxu denegato proveniunt. His probè consideratis, Medici præsentes. Excellentiss. Dn. Gotofredus Weidnerus & Franciscus Omichius, Præceptores tunc temporis mei Honorandi, periculum vulneris, qvo non solum os fractum sed & magnâ parte effractum, membranæqve valdè denudatæ adstantibus & præcipuè Nobilissimo Dn. Heinrico Strobandio Contubernali & Consanguineo ut & Excellentissimo Dn. Davidi Origano Hospiti, prolixè demonstrarunt, prognosticoqve muniti, præmissâ ob metuendum sanguinis tenuioris affluxum, phlebotomiâ, Chirurgis qvorum duo adhi-

adhibebantur præceperunt, ut vulnere, qvod per se adeò amplum erat, ut sanguis & sanies satis commodè evacuari posset, probè deterso, duræ membranæ mel rosaceum syndoni illitum crebrò imponerent. vulnus verò seqventi digestivo implerent.

℞. Resin. puriss. Gumm. Elemi ana
ʒvj.
Thur. oliban. ʒiij. Croci
℈j.
Terebinth. c. aq. salv. lot.
℥ij.
Vitell. ovor. no. ij. ol. rosar. q. s.
M. F. Unguentum.

Ipsum caput derasis pilis, undiqvaqve oleo rosato inunctum, vulneriqve emplastrum de betonica superinductum.

Sedato dolore & inflammatione, melli rosaceo qvod duræ meningi imponendum erat, gutta una atqve altera aqvæ vitæ admixta est. Vulneri autem mundificativum Guilielmi Fabricii, qvod sic componitur, applicatum:

℞. Pulv. Rad. Caryophyllat. angel.
aristoloch. rotund. Irid.
Florent. ana ʒj
Extract. salviæ, betonic.
ana ℈ij
Gumm. Elemi dissol. in ol. ros.
℈ij
M. c. melle rosaceo & tantillo aqvæ vitæ, F. Ungventum.

Tandem seqvens emplastrum usqve ad finem sanationis impositum:

℞. pulv. rosar. rubr. myrtillor.
matrisylv. thur. mastich.
consolid. major. betonic.
aristoloch. rotund. ana
ʒij
Gumm. Elemi in ol. rosar
solut. ℥j.
Emplastr. de betonic. ℥iij
Ol. rosar. & cer. ana q. s.
M. F. Emplastr.

Intereà dum hæc fierent alvus subinde relaxata est, modò Clysteribus, modò catharcticis mitioribus, Rhabarbaro, agarico, Sena, Cassia & similibus, plurimum namqve in vulneribus capitis qvibuscunq; utilitatis habent purgantia ritè comparata.

Cæterùm exhibita etiam qvæ humores biliosos, qvibus æger abundabat, alterarent, & vaporum acrium & calidorum ad caput adscensum inhiberent, simulqve caput robotarent. Egregiè inter alia profuit Jolabium:

℞. Aq. Endiv. cichorii, rosar.
Cerasor. nigr. flor. tiliæ ana
℥iij
Syr. Corallin. de pæon. ana
℥ij
granator. dulc. ℥iij
Spir. ⊕li q. s. ad gratum saporem. M.

His aliqvandiu continuatis observato-

vatoque decenti victus regimine, æger ferruminatis per callum cranii ossibus, sanitati quidem restitutus videbatur; verùm cùm sub caniculam subsequentis æstatis concitatiore motu paululum incalesceret, in Epilepsiam incidit, quæ & postmodum toto vitæ decursu per intervalla modò breviora modò longiora repetiit, paroxysmis quidem levioribus, sed ob luxationem humeri sinistri admodum molestis: Laxatis enim seu debilitatis per fustium ictus, quos in eodem conflictu à Clodonibus (quo nomine excubitores Civitatis vapulant) perpessus erat, ligamentis etiam ex levissima convulsione, sede sua brachium excidit, quod percussione illâ violentâ etiam ossium supercilia fracta erant, in quo casu articulus facili de causâ elabitur.

CASUS XXXVII.

Vulnus cranii cum utriusque membranæ & cerebri læsione.

Eodem tempore cum deligationi vulneris, cujus in præcedenti casu memini, interessem, Chirurgus recensuit se domi suæ habere villicum quendam, cui caput bipenni adeò vulneratum ut magna pars cranii effracta, læsisq; membranis portiuncula cerebri propenderet, nihilominus se benè sperare nec de vulneris sanatione quicquam dubitare.

RESOLUTIO.

Quanquam vulnera cerebri non semper esse lethalia, & quandoque etiam ablatâ cerebri particulâ, ægros convaluisse non ignorarem, malui tamen audita & lecta etiam oculis usurpare, & rem se ita habere deprehendi: Cranium namque effractâ particulâ duorum circiter digitorum transversorum latitudine, paulloque majori longitudine, ingenti hiatu patescebat, cerebrum etiam dissectis membranis ad ovi columbini magnitudinem propendebat, omniaque mortem minari videbantur, accedente imprimis lipothymia frequenti & convulsionibus Epilepticis aliisq; symptomatibus; nihilominus intra quadraginta dies convaluit æger, notabili documento in capitis vulneribus interdum quasi miracula fieri ut Celsus docet, eosque qui planè desperati videbantur, præter spem convalescere, adeoque vulneratos sine auxilio nunquam relinquendos nec deserendos esse.

Remedia quibus æger curatus est, hæc fuêre:

Primò ad sedandam hæmorrhagiam, quæ insignis erat, adhibitus pulvis

pulvis ſtegnoticus Guttmanni; Hinc ad inhibendum ſangvinis affluxum vena Cephalica brachii dextri aperta; ad vulnus autem curandum eadem quæ in præcedenti caſu applicata, ſimulque interna quædam, ſpecifica nimirum antiepileptica & cordialia, potionesque vulnerariæ Cephalicæ, quarum uſum admodum ſalutarem deprehendimus, exhibita.

CASUS XXXVIII.

Ex vulnere cordis mors repentina.

JOannes Haſſelroth Weſtphalus Legum Studioſus, Francofurti ad Viadrum extra portam Gubenenſem cum Sileſio quodam Nobili duello decertans, vulnus in medio thorace paullò ſupra ſternon accepit, ſubitoq; concidens, illico mortuus eſt. Apertâ explorandi vulneris gratia, pectoris cavitate, magnum profundumq; & in cordis usq; ſinum ſiniſtrum penetrans vulnus deprehendimus, unde effuſo ſanguine arterioſo & diſſipatis ſpiritibus vitalibus, vulneratum neceſſariò & quidem ſubitò mori oportuit. Etſi enim vulnerato corde, quosdam aliquandiu ſupervixiſſe hiſtoriæ teſtentur, vulnera tamen illa levia tantum & in carne ſaltem cordis fuerunt, nec ad ventriculos usq; præſertim ſiniſtrum, veram ſpiritus vitalis ſedem, penetrarunt, ſed in ſiniſtro ſubſtiterunt, quale vulnus etiam fuit illud, cujus hiſtoria in Bibliotheca Academiæ Gröningenſis tabulæ penſili inſcripta legitur.

CASUS XXXIX.

Vulnus pulmonum divinitus ſanatum.

COſmus LOCKER Jurium Candidatus Witteberga gladio acuto in dextro thoracis latere circa coſtam quartam in pectoris cavitatem & pulmones adacto, graviter vulneratus, à Chirurgis ejus loci pro derelicto habitus, tandem Clariſſimo Sennerto in conſilium vocato, adhibitisq; convenientibus remediis, eò usq; convaluit, ut Parentum juſſu Colbergam, urbem natalem, repetere poſſet, ubi & meam opem imploravit.

RESOLUTIO.

Præſcripſi initio topica quædam abſtergentia, poſtmodum adſtringentia & glutinantia in cavitatem pectoris modò ſub formâ pulveris

ris per cannulam immittenda, modò specie liquoris per syringam infundenda.

Internè etiam & per os potiones vulnerarias additis pectoralibus & pulmoni peculiariter dicatis, exhibui; sed frustrà omnia, vulnere pus fœtidissimum subinde fundente, totoque corpore sensim contabescente: Intereà peste, quæ tum temporis immane quantum grassabatur, corripitur æger, cui cum alexipharmaca quædam & Bezoardica repetitim assumenda dedissem, provocatis per vices sudoribus, bubo sub axilla lateris affecti erupit, quo aperto materia quædam fætidissima & varii coloris effluxit, cum notabili allevatione, unde ulcus aliquandiu apertum servandum duxi, ut quicquid veneni in corpore esset, per hanc viam evacuaretur. Ex eo puris è vulnere effluxus sensim remittere cœpit, adeò quidem ut vulnus paullò post sponte coalesceret, ægerque sanitati restitueretur.

CASUS XL.

Vulnus femoris sclopeto inflictum lethale.

NObilissimus Dominus OTTO von Schulenburg / Dymacharum inter stationarios Colbergenses Magister in oppugnatione fortalitii extra portam lapideam ab obsessoribus Suecicis noviter exstructi globo plumbeo per femur sinistrum trajectus, de ingenti dolore & punctione partis vulneratæ, cujus color in nigrum & lividum vergebat, conquerebatur, accedebat & virium languor, & cordis angustia, interdum & lipothymia totiusq; corporis modò ardor, modò frigus & obstupescentia, aliaq; prava symptomata.

RESOLUTIO.

Globum quo trajectus est æger, venenatum fuisse symptomata pro ratione vulneris, longè graviora satis ostendunt, imprimis virium subita dejectio & cordis anxietas, quatenus venenum facultati vitali & cordi maximè infestum est.

Ut itaque globus, vulneri adhuc inhærens, manus operâ haud cunctanter extraheretur, Chirurgo injunxi, postmodum ne venenum porrò interiora peteret, cordisque regiam infestaret, factâ paullo supra vulnus ligaturâ, ad extrahendum venenum cucurbitulas scarificatas & Emplastrum Guidonis ad vulnera venenata tantoperè commendatum, applicui, addito scordio, scorzonera, & tantillo Confectionis Orvietanæ.

Interea ut cor adversus venenum muniretur & ad exteriora propelleretur, alexipharmaca quædam Bezoardica universalia, cum de specie veneni non satis constaret exhibui.

Extra etiam cordis regioni & arteriis oleum magni Ducis Hetruriæ, quod ex Italia novissimè attuleram inunxi, nihilque eorum quæ huc facere videbantur intermisi: verùm tanta erat veneni vis & malitia, ut nullo modo infringi posset, quin virum alioquin robustissimum tertio ab accepto vulnere die, supervenientibus sudoribus frigidis & syncope, è medio tolleret.



BAL-

BALDASSARIS TIMÆI
Von Guldenklee
CASUUM MEDICINALIUM
LIBER SEPTIMUS
DE
MORBIS VENENATIS ET MALIGNIS.





Plurimum Reverendis
Generosissimis & Strenuis
DOMINIS

DN. GEORGIO A BONIN,
Serenissimi Electoris Brandenburgici, ut & Celsissimi Ducis Croiæ & Areschotri &c. consiliario Intimo, Arcis Bublicensis Præfecto, Ecclesiæ Colbergensis Decano, Domino in Bonin, Woventin, Karzin &c.

DN. FRANCISCO A PAHLEM,
Serenissi. Elector. Brandenburg. Consiliario Intimo, Capitaneo Colbacensi & Reverend. Capituli Caminensis Vice-Domino, Domino in Klebovv &c:

DN. HEINRICO DE GUNTERSBERG, Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliario Aulico, Domino in Buslar & Reichenbach &c.

DN. CONRADO JULIO FLEMING,
Serenissi. Electoris Brandenburg. Consiliario Aulico, Domino in Merzdorff. &c. &c.

DN. HENNINGO BORKEN,
Serenissimi Elect. Brandenburg. Consiliario Aulico, Domino in VVoitzel, Regenvvalde & Sultzevvitz &c.

DN.

DN. ERNESTO A CROCKOVV,
Sereniss. Elector. Brandenburg. Consiliario Aulico, Ordinis S. Johannis Equiti, Domino in VVusse-cken &c.

Dominis meis

Summe devenerandis

S.

DE fine Viri Politici sic statuit Cicero: *Ut Gubernatori Navis Cursus secundus; Medico salus; Imperatori Victoria: Sic moderatori Reipublicæ Civium vitam esse propositam, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.*

Eundem finem & Vobis, Viri plurimum Reverendi, Generosissimi & Strenui, qui PATRIÆ Fata fortunasque in vestris quasi manibus versatis, esse propositum, nemo est, qui non videat & palpet.

Evidens & perspecta est vestra in Consiliis de REPUBLICA dandis prudentia, in negotiis seu PRINCIPIS seu publicæ Salutis nomine curandis fides & industria, in administrandâ justitiâ æquitas, in controversiis litibusque forensibus seu cognoscendis seu dirimendis vel transigendis dexteritas, in tutandis afflictorum rebus pronitas & constantia, in præmiorum Bonis conferendorum munificentia, in pœnarum Malis irrogandarum gravitas, denique in omnium tranquil-

litate

litate ſtabilienda ſtudium & quicquid harum Virtutum, quæ ad REMPUBLICAM ſuffulciendam, conſervandam augendamque quocunque modo facere poſſunt, amplius eſt.

Decem Veneranda Antiquitas ſanorum conſiliorum recenſet peſtes: Adulationem, προσωποληψίαν, faſtum & deſpicientiam humiliorum, φιλαυτίαν, iram, vindictæ cupiditatem, avaritiam, ſævitiem & denique mollitiem immodicam.

Ab his omnibus Generoſitates Veſtras tantum eſſe alienas, tantum remotas, quantum.

—— —— procul à cubili
Gaditano Sol oriens Eois
ſe exerit undis,

nemo non novit, qui Vos novit; & poſſem integritatis veſtræ non multa ſolùm, ſed & præclara adducere ſpecimina, niſi perfectiſſima eſſent tam ſingulis, quàm univerſis. DARIUS aliquando Pomum Punicum in manu tenens dixiſſe fertur, ſe non optare majorem theſaurum ullum, quàm ut haberet tot ZOPYROS, quot grana eſſent illius pomi, innuens nihil PRINCIPI vel REIPUBLICÆ ſalutarius eſſe multis fidisque & ſapientibus Conſiliariis: Non opus habet hoc voto Sereniſſimus ELECTOR, non PATRIA, dum Vos habet fide & prudentia ZOPYRO haud inferiores, numero autem granis pomi illius fermè ſuperiores.

DEUS, cujus virtute eſtis, quod eſtis & optimo PRINCIPI & afflictiſſimæ PATRIÆ immò & mihi

 meis-

Digitized by Google

meisque Vos ſervet, ſalvosque & felices, vel ex veſtro voto, diutiſſimè tueatur.

Cæterùm ne in verbis terminentur elogia, liceat mihi reali libamento Nobiliſſimi Nominis Veſtri ſplendorem devenerari, ſcripto ſcilicet hoc publico, quod devotâ nuncupatione Vobis offero, non cenſu æſtimandum, qui nullus, ſed affectu, quem obſequio & fide paratiſſimum conſtantemque polliceor, reciprocæ propenſionis & benevolentiæ, ubertim hactenus conteſtatæ, ſecuriſſimus. Valete. Colbergæ Nonis Octobr. Anni M. DC. LXI.

Nobilisſimar. Strenuitatum
Veſtrarum

obſervantisſimus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

IN-

Digitized by Google

INDEX CASUUM
LIBRI SEPTIMI.

CASUUM MEDICINALIUM LIBER SEPTIMUS

DE MORBIS QUIBUSDAM VENENATIS ET MALIGNIS.

CASUS I.

Lues venerea ex impuro coitu.

Vir quidam Illustris postquam libidini Fœminæ cujusdam Nobilis vino æstuans & incautus paruisset, membrorum omnium totiusque corporis lassitudinem & gravitatem sentire sibi visus est absquè febri, accessère dolores vagi, modò caput, modò musculorum genus artusquè affligentes, maximè sub vesperam & primam noctem, auxit molestiam gonorrhæa erodens & bubo dextri inguinis non minus ac faucium exulceratio, tandem & pustulæ crustuosæ circa pubem & coxas erupere, ipsam quoquè faciem, præcipuè quà frons est & mentum, mirè deturpantes.

RESOLUTIO.

Etsi luis venereæ seu morbi Neapolitani, quem alii Gallicum vocant, contagium variis modis disseminetur, frequentissimè tamen per coitum contrahitur, quatenus virulentia ejus à partibus genitalibus nudis, mollibus & laxis, motu-

que

que & concursu spirituum incalescentibus ab alterius infecti partibus genitalibus facillimè communicatur, & fœmina quidem à viro infecto vel per membrum virile infectum & ulceratum, vel per semen corruptum vel utroque modo; Vir autem à fœminâ infectâ per vapores malignos ex utero incalescente elevatos & virili membro communicatos, inficitur, id quod & Viro Illustri accidisse signorum supra enumeratorum syndrome evidenter ostendit.

Detectâ mali causâ, proximum erat malignitatem illam & virulentiam ex impuro coitu contractam, per appropriata & contra hunc morbum peculiariter facientia exstirpare: Quod cum commodè fieri non posset nisi præmissâ sanguinis vitiosorumque humorum benè præparatorum evacuatione, primò ad eluendas viarum communium sordes, decocti mei laxativi uncias tres exhibui; Hinc incisa brachii dextri basilicâ corpus à sanguinis copiosi non minus ac vitiosi onere aliquantulum liberavi:

Mox humorum præparationem aggressus, apozema bis quotidie tribus scilicet ante prandium & cœnam frugalem horis assumendum, præscripsi;

℞. Rad. sars. parill. ℥ij. Scorzon. ʒvj
cichor. polypod. quern.
Rad. lapath. acut. fœnicul. ana ℥ß.
Fol. scordii, fumar. scabios.
Card. bened. ana mj.
Flor. betonic. rorismar. salv.
borrag. bugloss. calend.
ana mß.
Sem. citri, anisi, fœnicul. ana ʒij.
Incisa & conquassata coq. ex. s. q. aq. simplic.

℞. Colatur. ℔iij. syr. de fumar. ℥iij
ex succ. card. bened.
de Cichor. ana ℥iß.
oxymell. squil. ℥ij

Mixta clarificentur cum album. ov. & filtrentur per chart. emporet.

Materiam præparatam electivè purgavi pulvere meo solutivo pondere ʒß. gr. v. ex cerevisia calida exhibito:

A purgatione quietem naturæ bidui spacio concessi. Exinde malignitati & virulentiæ, quæ jam universum corpus invaserat expugnandæ, totus incubui, exhibendo quotidie decoctum sudoriferum, cujus hæc est compositio:

℞. Lign. Guajac. rasi ℥iiij. Cort. ejusd. ℥iß. Sars. parill. ℥ij.
Sassafr. ℥j. Rad. liquir. ʒvj.
Incis. & conquass. infundantur per Hor. 24. in aq. puriss. ℔vj. coq. ad tertiæ part. consumtionem & colentur.

De hoc decocto singulis matutinis ebibat uncias quinque, utq; medica-

dicamentum eò facilius in actum deducatur, paullulum superdormiat, postmodum elapso circiter unius horæ spacio in Laconicum lapidibus vel scoriis ferri ignitis calefactum descendat, & initio quidem per horam saltem dimidiam sudet, deinceps verò paulatim ad integram, tandem ad longius spacium ascendat: Deterso sudore in lectum se componat, ubi plerumq; sudores sponte suâ de novo erumpunt, qui iterum probè detergendi, cavendo ne corpus ab afflatu aëris frigidi offendatur. Continuato per dies septem decocti sudoriferi usu, octavo evacuans ex radice Gialappæ, quæ præter purgandi vim, peculiari virtute huic morbo adversari creditur, præscripsi. Nono quievit: Decimo & sequentibus iterum sudores in Laconico provocati usque ad decimum nonum, nec manè tantum sed & vesperi tribus circiter ante cœnam horis decoctum lignorum exhibitum, quod initio de industriâ prætermisimus, donec natura sensim eidem adsvesceret, siquidem compertum est ex nimiâ ejus copiâ febres, cruditates, diarrhæas, cachexiam ipsumq; hydropem quandoq; suborta fuisse.

Finito iterum per sudores novendio, purgationem ex radice Gialappæ additis specificis repetivimus, interpositaque diei unius quiete denuò diebus septem continuis ægrum in Laconicum, assumto quotidiè sudorifero, deduximus, tandemque ne si forte quid crassioris materiæ denuò collectum esset, in corpore relinqueretur, lene catharticum quale est decoctum nostrum laxativum exhibuimus & sic colophonem curationi feliciter & ex voto imposuimus.

Intereà dum hæc fierent diætam morbo convenientem sic præscripsimus.

Aërem, qui eo tempore humidior erat & frigidus, lucentis igne Camini, accenso junipero, aliisque lignis correximus; Interdum & thymiamata ex Benzoe, storace calamita, ligno aloës, ladano, gallia moschata aliisque svaveolentibus adolevimus.

Victum commendavimus simplicem & boni succi ex carnibus vitulinis, hædinis, vervecinis, caponum, gallinarum, Capreolorum sylvestrium, perdicum & avium montanarum. Pisces rarius veniant in usum & non nisi saxatiles. Cœnam frugalem esse jussimus, ex ovo sorbili vel amygdalis dulcibus & uvis passis majoribus, quæ non solum succum laudabilem & boni nutrimenti præbent, sed & humorum vitiosorum malignitatem corrigunt.

Panem benè fermentatum, anisi, fœniculi & coriandri semina palato gratum & juvandæ coctioni discutien-

tiendisque flatibus aptum, reddidêre.

Potum ordinarium ex remanentiis decocti sudoriferi additis passulis, Cinamomo & saccharo confecimus, siti restingvendæ & morbo convenientissimum, quandoque tamen & vini Neccarini vel Rhenani aliquid concessum.

Alvum, si quando segnior esset, balano vel Enemate sollicitavimus, reliquas etiam excretiones in officio detinuimus, proscriptis quæ in libidinem despumant & Venerem.

Somnum & animi affectus moderata esse jussimus, devitato utriusque excessu, morbo huic nocentissimo. Cæterum & symptomata urgentiora delenivimus;

Dolores quidem auctâ sarsæparillæ, quæ anodyna in hoc morbo esse creditur, quantitate, impositoque partibus dolentibus Cerato Vigonis, quod de ranis componitur.

Gonorrhæa purgato corpore & provocatis usu decocti sudoribus sponte desiit.

Bubo autem cum nec attrahentibus etiam fortioribus extrahi, nec maturantibus ad suppurationem deduci posset, tandem disparuit.

Faucium exulcerationi profuit gargarismus ex plantagine, rosis, scabiosa, myrto & corticibus granatorum, additis subinde specificis sarsa parilla & corticibus Gvajaci.

Ad pustulas præscripsi tale linimentum:

℞. ☿ij præcipit ℥ß.
Ung. ros. Mes. c. aq. ros. dilig. lot. ℥vj. Ceræ alb. ℥ij.
M. F. Ungventum.

His auxiliis Illustris Dominus bonæ valetudini plenè restitutus est.

CASUS II.
Morbus Neapolitanus litu sanatus.

Foemina quædam Nobilis & honesta, cum à marito Equitum Magistro, fututore famosissimo lue venerea sive morbo Neapolitano infecta, decocto lignorum aliisque remediis à Chirurgo Castrensi præscriptis, perperam usa esset, tandem meam opem implorabat.

RESOLUTIO.

Cum curationem minus methodicè institutam intelligerem, svasi denuo, præmisis præmittendis decoctum lignorum ritè decenterque præparatum provocatis ad dies triginta sudoribus, repeteret, id quod & omni curâ & diligentia factum.

Verùm eas malum radices egerat, ut runcinâ hac exstirpari non posset, aliam itaque quærendam duxi, Mercurialia nimirum intus extusque adhibenda.

Internè quidem Mercurium dulcem

cem cum conserva fumariæ additis granis aliqvot Resinæ Gialappæ per vices exhibui: Extra verò litum qvi seqvitur:

℞. ☿ij saliva exstinct. ℥iij
Ungvent. de pomis ℥iiij
Terebinthin. puriss. ℥i
Pulv. myrrh. ireos, thur. mastich. ana ʒi.
Storac. calam. ʒiij.
Ol. stillat. lign. Gvajac. ℥i
laurin. q. s. M. F. Ungvent.

Ab inunctione bis vel ter iteratâ, alvi profluvium supervenit, qvod etsi subprimere nefas ducerem, metu tamen erosionis intestinorum Clysterem ex lacte chalybeato applicandum præscripsi.

Cessante fluxu inunctiones repetii usque ad salivationem, quâ multum fœtidæ virulentæq; materiæ, citra notabilem oris faucium que læsionem rejectum est.

Inunctione peractâ, artubus & nervis exinde debilitatis, novum qvasi robur afflare studui, fomentationibus ex stæchade Arabicâ, roremarino, salvia, chamæpyth. calamintha, origano & similibus in vino coctis; & cum tanta Mercurii sit malitia ut diutissimè in corpore delitescat, tandēq; in periculosa erūpat symptomata, eundē è corpore eliminandū duxi, provocatis in Laconico sudoribus, exhibitoqve vellere aureo Weidneri & aliis ex auro paratis remediorū formulis. Ea enim auro cum hydrargyro est cognatio, ut illud avidè ad se rapiat & qvasi imbibat, cum qvo postea per alvum facilè excernitur.

CASUS III.

Morbus Gallicus cerevisiâ medicatâ curatus.

Mercator qvidam per Poloniam iter faciens, in lecto Cauponis de lue venereâ suspecti, inscius decumbens, eundem morbum contraxerat. Is cum ob desponsatam sibi virginem honestissimam, non auderet ordinariæ curationi & Laconico se committere; remedium petiit qvo absq; custodia & clanculum qvasi restitui posset.

RESOLUTIO.

Cum malum adhuc recens esset, purgato corpore, cerevisiâ ex alexipharmacis qvibusdam & appropriatis medicatâ, rem tentandam esse duxi, ac proinde nodulū tonnæ dimidiæ cerevisiæ recentis immergendum & probè fermentandum, præscripsi:

℞. Rasur. lign. sanct. ℔ij
Cort. lign. sanct. ℔ß.
Rad. chin. ℥vj. sarf. parill. ℥viij. sassafras ℥vj
Cinamom. acutiss. ℥ij.
Sem. anis. fœnicul. ana ℥j
Cort. citr. ℥ij.

Grosso modo incis. & conqvassata indantur sacculo oblongo ex syndone alb.

Peractâ fermentatione loco potus ordinarii bibit hanc cerevisiam palato non ingratam, per menses duos & amplius, interjectis tamen per intervalla purgantibus & assumto singulis matutinis & vespertinis Electuario:

℞. Pulv. lign. sanct. ℥iiij. Cortic. lign. sanct. ℥iß. sarf. parill. ℥ij. Chinæ ℥j.
Conserv. rad. cichor. ℔ß. rosar. rubr. ℥iiij. flor. salv. rorismar. ana ℥j
Condit. myrobalan emblic. No. V. radic. scorzoner. ℥iij. Cortic. citr. ℥ijß.
Spec. diatr sant. diarrh. Abb. ana ʒiij.
M. c. syrupo de corticibus citr. q. s. F. Electuarium.

Tam paucis & levibus remediis bonæ valetudini restitutus est Vir optimus, qvæ ipsa deinceps etiam in aliis expertus sum, pari successu, sed morbo, in primâ, quod dicitur herbâ, suffocato, inveterati enim asperior & laboriosior est curatio.

Plura de morbo Gallico videantur in Epistolis meis medicinalibus lib. V. Epist. XX. & seqventibus.

CASUS IV.

Cicuta.

Daniel Gruel Oenopola Colbergensis, cum in prandio carnes bubulas radicibus cicutæ loco petroselini per ignorantiam conditas, comedisset, illico in cordis angustiam, spirandi difficultatem, oculorum scotomiam & singultum incidit; ventriculi vitio hæc evenire ratus, haustum unum atq; alterum vini absinthites assumsit; & melius qvodammodo habere visus est, paullò post repetentibus modò dictis symptomatibus, accedente insuper & strangulationis metu, viriumq; exsolutione, opem meam implorabat.

RESOLUTIO.

Cum ex relatione ægri & adstantium intelligerem, nullum antea morbum præcessisse, sed à sumtis in prandio petroselinî, ut putabant, radicibus, facilè conjiciebam Cicutam fuisse, cum ex similitudine quam cum petroselino habet, tum ex effectu & symptomatibus huic veneno propriis, ac proinde præmisso vomitorio Theriacam ex vino generoso exhibui, provocatis sub lecto sudoribus, refectisq; per cordialia & Bezoardica viribus; nocte subseqvente paululum qvievit: Manè de insigni respirationis difficultate & strangulatu qverebatur, dedi pulveris alexipharmaci infrà descripti drachmas duas ex vino potenti, iterumq; sudationes imperavi; verum cum ne sic qvidē sym-

symptomata remitterent, Opiatam meam Bezoardicam exhibui, cujus usum, ut in aliis venenis, sic in hoc efficacissimum deprehendi. Etsi enim morbus in tertium usq; mensem, cordis præcipuè angustia & spirandi difficultate per intervalla molestus, protraheretur, tandem tamen per sudores effusissimos, feliciter solutus est, ægro in multos annos superstite.

℞. Dictamni, scordii, contra-jervæ Gentian. sem. Dauc. Urticæ Cardamom. Fol. laur. rutæ, Comar. absinth. ana ʒj M. F. pulvis.

CASUS V.

Fungus venenatus.

Cum Anno M. DC. XXXII. Wolgastum ad exeqvias Serenissimi & Potentissimi Regis Sveciæ Gustavi Magni gloriosissimæ memoriæ in comitatu DN. ERICI JANSONII ULFFSPARREN, Admiralis &c. proficisceret, amanuensis meus in sylva Insulæ Usedomensis aliqvot fungos & russulos collegerat, qvibus in cæna me inscio copiosius ingestis sub primam noctem intestinorum doloribus, ventriculi inflatione & singultu correptus est; accessit spirandi difficultas & strangulationis metus, cum horrore & sudoribus frigidis, adeò ut de vitâ periclitaretur.

RESOLUTIO.

Cognitâ causâ, qvam fungorum seu suâ naturâ venenatorum, seu serpentum, bufonum, aliorumve animalium venenatorum halitu infectorum, comestionem esse ex symptomatibus & relatione ægri, colligebam, vomitivum, cum aliud non esset ad manus, ex stercore gallinæ cùm aqvâ mulsâ tepida exhibui; Rejectâ materiâ qvadam fœtida & varii coloris Theriacam Andromachi in oxymelite solutam præbui; Hinc cum ventris tormina vehementer instarent, Enema præscripsi:

℞. Rad. aristoloch. utriusq;, altheæ ana ℥ß.
Fol. scord. rutæ, Calaminth. Origan. Hyssop. malv. c. toto ana mß.
Summit. anethi p. ij.
Sem. rut. ʒij. Incis. & conqvassat. coq. ex s. q. aq. simpl.
℞. Colatur. ℥x. Mell. rosat. solutiv. ℥i
Electuar. hier. c. agaric. ℥ß.
Ol. rutac. ℥i.ß. M. F. Enema.

Excluso Clystere denuò Theriacam ex oxymelle propinavi, & cum de ventriculi inflatione admodum conqvereretur, species diacymini ex vino generoso dedi: Tandem corpus agarico purgavi,

repetitâ etiam per vices Theriacæ exhibitione.

Cæterùm ut qvotidiè aliqvid mellis, qvod peculiare & specificum fungorum venenatorum antidotum esse creditur, assumeret, injunxi, & sic ægrum à nocentissimo veneno, DEI gratiâ, liberavi.

CASUS VI.

Elleborus.

ELleborum hominibus venenum esse & propterea è numero medicamentorum planè relegandum, Author lib 1. de plantis cap. 3. scriptum reliquit, & Mesue ob præfocationem qvam inducit, eundem rejicit: Averroes verò propter violentam purgationem venenis accenset, nec dissentire ab his videtur Galenus 6. Epid Comment. 5. text. 35. Benivenius de abdit. morbor. & sanit causis cap. 51. Et Ponzettus de venenis lib. 2. cap. 32.

Contrà alii Elleborum magnis laudibus extollunt, ejusq; usum in omnibus affectibus Melancholicis, Maniâ, Insania, passione hypochondriacâ, Elephantiasi, Herpete, Cancro, Qvartanâ, Epilepsia, Apoplexia, scabie aliisq; morbis mirè commendant.

Alii media viâ incedunt, & venena esse duplicia statuunt, alia simpliciter talia, qvæ nec sanis nec ægris prosunt, sed omnibus & semper nocent; alia qvæ interdum qvidem nocent, & hominem interimunt, aliqvando tamen & secundum artem adhibita, in usum medicum venire possunt, atq; in posteriori classe collocandum esse Elleborum censent.

Alii deniqve inter Elleborum album & nigrum distingvunt, illumq; ut noxium rejiciunt, hunc in multis morbis salutarem asserunt. Verùm experientiâ constat, etiam nigrum nisi rectè præparetur noxium esse, aliqvando planè exitialem. Memini Chirurgum qvendam Castrensem Eqvitum magistro qvartanâ decumbenti, Extractum Ellebori nigri manè exhibuisse, & sub vesperam ejusdem diei ex hypercatharsi & convulsionibus extinctum fuisse. Et paucos ante annos Dn. Andreas Cnöffelius, ob curationem podagræ, qvam jactitabat, celebris, Civi cuidam Dantiscano extractum Ellebori in formâ potiunculæ dederat, qvi intra septem horarum spacium, mortuus est, ut ipse Cnöffelius fatetur in Epistolâ ad Pharmacopæum Gedanensem, cujus hæc sunt verba:

Großgünstiger Herr Placotome, Zeigerem dieses meinem vertrauten lieben Freunde / habe ich ein laxierendes Säfftlein geordnet ex extracto Ellebori nigri; Nun weiß der Herr wie es mir neulich in Dantzig ergangen / da N. N. kurtz nach eingenommenen Extract sein Leben geendiget;

Als

Als habe ich an den Herrn dieses Recept, welchem ich seiner mir bewusten Dexteritát nach / traue / remittiret, hoffende daß sein Extractum cum spiritu vini extrahiret sey / welches sicher ist / wie ich auch darumb bitte / daß es aus demselben gemacht werde / die Compositiones mit andern menstruis, sind mir alle suspect.

℞. Syrup. ex Succ. violar. ℥j
Aq. fumar. ℥i ß. Cinam. ℥ß.
Extract. Ellebor. nigr. styriac. veri ℈j
♀ri ⊕lat. gr. vj. M. F. Potiuncula.

CASUS VII.

Euphorbium.

Filia Consulis N. N. Virgo elegans & venusta viduo seni & decrepito invita & citra consensum, à Parentibus desponsata, odio adversus Procum tam acerbo vehementiq; flagrabat, ut mortem oppetere vellet, qvam eidem nubere, ac proinde Euphorbii pollinem, ex cujus usu fœminam qvandam non ita pridem mortuam audiverat, assumsit, paullò post doloribus ventris atrocissimis correpta, plus vicies intra horæ qvadrantem alvum deposuit cum freqventissimis vomitionibus, singultu, ardore ventriculi & faucium, sitiqve inexstingvibili, supervenere tandem & sudores frigidi & animi deliqvia, ut in præsentaneo vitæ periculo versari videretur.

RESOLUTIO.

Accersitus, caussamq; morbi & symptomatum sciscitatus, illicò ad obtundendam euphorbii acrimoniam jus carnium pingve, qvod opportunè tunc ad manus erat, exhibui; Mox Clysterem ex abstergentibus, refrigerantibus & dolorem lenientibus in hunc modum præscripsi:

℞. Rad. altheæ ʒvj
Herb. malv. c. toto. violar.
lactuc. plantag. Endiv. ana mj.
Flor. chamæm. verbasc. ana mß.
Sem. 4. frigid. major. ana ʒij
psyllii ʒiij.
Incisa & conqvassata coq. ex s. q. aq. hordei ℞. Colatur. ℔j
ol. violar. ℥ij
rosar. ℥i
M. F. Enema.

Rejecto Clystere denuo jus carnium pingve præbui, qvod cum vomitu statim redderet, theriacam cum terrâ Sigillata & pulvere Smaragdi ex aqvis cordialib9 frigidis, propinavi, utqve intestinorum tormina & erosiones de qvibus admodum qverebatur, lenirentur, Clysterem ex lacte dulci & tantillo sacchari rosacei, applicui. Ad restingven-

Digitized by Google

stingvendam sitim, qvæ ægram vehementer urgebat, Emulsionem ex 4. seminibus frigidis majoribus cum aqvâ Endiviæ, plantaginis & violarum factam, additis speciebus diatragacanthi frigidi, commendavi.

Faucium ardorem & erosionem mucilago seminis psyllii & cytoniorum cum aqvâ plantaginis extracta, compescuit.

Pro speciali antidoto sem. citri ex vino Enulato cum aqvâ cichorii diluto, exhibui; Cibis autem qvos ex cremore ptisanæ, lacte dulci, oryza, amylo, panico & similibus esse jussi, tantillum pulveris specifici, cujus hæc est descriptio, adspersi:

℞. Cryſtall præpar. Smaragd præp. Terr. sigillat. ſtrigenſ. ana ℈ij
Sacch. rosat. tabulat. ad pondus omnium. M. F. Pulvis.

His aliqvandiu continuatis, revaluit ægra, didicitqve *melius esse nubere, qvam uri*; verè enim & magis forsan ab Euphorbio urebatur, -- -- dubio qvam Thais amore.

CASUS VIII.

Juglans arbor.

Puella qvadam nobilis, sedecim circiter annorum, cacochymia & menstruorum retentione affecta, mense Julio sub arbore juglande recubans, à meridie usq; ad vesperam somno profundo ibidem dormiverat, expergefacta de vehementi capitis dolore & vertigine qverebatur, sub noctem in Epilepsiam, à qva nunqvam anteà tentata fuerat, incidit, cum convulsionibus qvidem levioribus, at sæpè recurrentibus. Parentes, cum nihil aliud ad manus esset, svasu Pastoris ejus loci succum rutæ recentis ex aqva florum tiliæ, exhibuerunt, unde melius qvodammodo habere visa est, capitis tamen dolore instanter perseverante, cui cum die seqventi denuò Epilepsia superveniret, opem meam implorabant.

RESOLUTIO.

Etsi noxium sit sub umbrâ Juglandis arboris somnum capere, ut à Marcello Donato histor. Medic. mirabil. lib. 1. cap. 2. & Grevino lib. 2. de venenis cap. 22. observatum est. Puto tamen & corporum dispositionem non parum huc facere. Videmus enim eos, qvi inculpatæ sunt valetudinis, impunè sub hac arbore, seu vigilantes seu dormientes qvandoq; morari, nec leve documentum affert puellæ istius pertinax & antidotis neutiqvam cedens affectio. Etsi enim & Cephalica & Antiepileptica & antidota specialia capitisq; lotiones,

Digitized by Google

nes,quæ in hoc casu à Practicis cõmendantur,omni studio&cura adhiberem,attamen neqve à Capitis doloribus, nec Epilepticis insultibus liberari potuit, donec cacochymia penitus sublata esset, mensesqve rectè ordinateq; fluerent. Initio namq; specifica & appropriata qvædam exhibui, pulvisculum scilicet & seqventem aqvarum spirituumqve mixturam;

℞. Magister. lunæ, lapid. carpion.
Ungul. alcis,
Cranii hominis suspensi,
Margaritar.
Coralior. ana ʒß.
Castorei ʒi. M. F. pulvis
subtilissimus.

℞. Aq. cerebri hominis sani & violenta morte perempti ℥ij.
ex typhis cervor. Epilept.
Lang. ana ℥iß.
Primul. veris,tiliæ, rutæ,
Cerasor. nigr. ana ℥i.
Spirit. flor. tiliæ, lil. convall.
Sangv. human. Billich.
ana ʒj.
M. exactissimè.

Hinc lotiones capitis ex cephalicis specificis,roremarino,stæchade Arabica, primula veris, betonica, hyssopo,lavendulâ, majoranâ, salviâ, pæonia & similibus in lixivio ex cineribus baccarũ Juniperi coctis,institui, ita qvidem ut loco saponis,caput inter lavandum agarico crudo fricaretur,qvem in omnibus Epilepsiæ speciebus utilissimè adhiberi experientiâ didici. Verùm cum nihilominus capitis dolores,qvandoq; & convulsiones Epilepticæ repeterent, corpus per vices purgavi, simulq; menses,qvi ultra semestre substiterant, provocantia,certo tempore & modo assumenda præscripsi, & sic ægram, DEO secundante, bonæ valetudini restitui.

CASUS IX.

Lixivium ex crystallis nitri.

ANNO *M. DC. XXXIX. Mense Novembri vidua Dn. LAURENTII TREDERI Pharmacopæi qvondam Colbergensis solertissimi, de intemperie ventriculi frigida & dejecto appetitu apud me conqvesta, consilium tulit, ut manè & vesperi de spiritu vini stomachali Adriani à Mynsicht cochlear unum atq; alterum delibaret : Expositum fortè erat fenestra lixivium ex crystallis nitri, colore spiritus stomachali simile, qvod cum per errorem hausisset, mox vehementi horrore correpta, frigidum sudare, convelli, animiq; deliqvium pati visa est. Accersitus oleum amygdalarum dulcium recens ex cerevisia tepida affatim* exhi-

exhibui, vomuit plus decies, convaluit.

CASUS X.
Plumbum.

PETRUS MUES *Figulus Colbergensis, facie subtumidus & lividi coloris, quoties in fictilibus incrustandis occupabatur, in vehementissimos intestinorum dolores incidit cum præcordiorum angustia & respirandi difficultate; accedebat & membrorum tremor, totiusq; corporis, maximè verò articulorum debilitas.*

RESOLUTIO.

Consultus de ægritudine, respôdi caussam, in pollinem plumbi usti qvo ad incrustanda fictilia utebatur Figulus, referendam esse, cum facilè fieri possit, ut ex continuatâ pulveris subtilissimi, dum fictilibus inspergitur, agitatione, atomi qvædam interiora petant, & vi suâ malignâ cordi & præcipuè nervis mêbranosisq; partibus inimicâ, prædicta symptomata excitêt, id qvod in aliis etiam Figulis hujus loci observavi, qui ipsi fatentur in Germaniâ superiori & alibi, ubi pulvere plumbi non sicco sed liqvore convenientе subacto & humectato incrustantur fictilia, nihil horum accidere, figulosqve à symptomatibus modò enumeratis prorsus immunes esse, impeti autem solummodò eos, qvi in locis maritimis propter argillæ salsedinem sicco pulvere utuntur. Etsi enim plumbum crudum & integrum intra corpus sumtum nihil incommodi aut damni inferat, ustum tamen & in pollinem redactum gravissima symptomata inducit, ut annotavit Dioscorides lib. 5. c. 55. & Fernelius de lue venerea cap. 7.

Ut itaq; qvicqvid istius pulveris seu ventriculo, seu intestinorum tunicis adhæresceret, protinus excerneretur, vomitivũ ex aqvâ mulsâ tepidè & affatim assumenda exhibui, mox & Clysterem abstergentem, doloresq; lenientem præscripsi: Hinc ad acrimoniam si qvæ relicta esset temperandam, lac calidum cum melle rosaceo repetitim pitissandum obtuli: Ex Bezoardicis autem & appropriatis semen Cytoniorum tritum cum hydromelite Lithvanico usurpandũ commendavi, & sic Figulum qvidem optimum nescio an & Virum bonæ valetudini restitui. Ut verò à recidivâ imposterum immunis esset, svasi inter incrustandum vel hydromel vel lac caprinum aut alterius animalis, melle rosato dulcoratum pitissaret, qvo pulvis iste subinde abstergeretur & acrimonia ejusdem attemperetur. Paruit libens, nec sine successu, rarò admodum & non nisi leviter recrudescen-

Digitized by Google

descentibus suprâ descriptis symptomatibus.

CASUS XI.
Arsenicum.

CHRISTOPHORUS HAMMERMEISTER Pharmacopœus Colbergensis in præparatione Arsenici fixi occupatus, cum à vaporibus & fumis venenatis non satis sibi cavisset, in lipothymiam incidit; exhibitis aqvis qvibusdam cordialibus cum ad se rediret, de insigni præcordiorum angustiâ, spirandi difficultate, siti inexstingvibili, lingvæ, faucium & gulæ ariditate qverebatur, corpus hinc inde jactitabat, pedes imprimis, qvorum dolore vehementer tenebatur; aderant & vigiliæ perpetuæ, aliaq; symptomata, qvin & lipothymiæ freqventer repetebant.

RESOLUTIO.

Arsenicum non solùm in substantiâ & ore sumtum sed & spiritus ejusdem & vapores naribus haustos, summè noxios & plerumq; exitiales esse, nullum est dubium. Qvemadmodum enim, ut Qvercetanus in arte medicâ cap. 7. scribit, Arsenicales spiritus, qvos instar nubis spissæ ac nigræ in ejus sublimatione ascendere videmus, metallũ etiam candidissimum & purissimũ, suo contactu vel simplici vel in formâ fumi, nigredine summâ obducunt; sic qvoqve congenitos nobis spiritus, etiam temperatissimos per solum odoratus organon recepti, contaminare mirificeq; alterare possunt. Sic Operinus de Paracelso qveritur, qvod iratus aliqvando jusserit, ut nares alembico propius admoveret, odoremqve medicamenti exploraret, qvo facto, sulphure arsenicali exhalante, spiritum vitalem fermè sibi subpressum fuisse: Et pictor ille, cujus meminit Sennertus lib. 6. Medic. Practic. part. 6. cap. 9. apertâ capsulâ Realgare repletâ, diuqve conclusâ, in lipothymiam incidit & exqvisitissimis alexipharmacis vix liberari potuit.

Idem & in Pharmacopœo suprà nominato mihi observare contigit, quem fumo arsenicali intoxicatum toto trimestri exhibitis optimis qvibusqve & præstantissimis veneni hujus antidotis vix ac ne vix ab internecione vindicare potui. Qvàm primùm enim mali hujus mihi innotuit calamitas, nihil prius habui, quam ut præsentaneâ operâ periclitanti succurrerem:

Dedi namq; primò universalem illam & multis annorum seculis probatissimam venenorum antidotum Theriacam; Exhibui postmodum & famosam illam Orvietani confectionem; Obtuli sæpius Lapidem Bezoar orientalem & genui-

genuinum, alexiterium item Regale Angeli Salæ, Bezoardicum solare Mynsichti & qvæ sunt hujus census alia.

Ex specificis autem hujus veneni antidotis præter crystallum fossilem nihil præscripsi, cum reliqua à Practicis passim commendata, ut oleum amygdalarum dulcium, Emulsiones pinearum, lac bubulum, cremor ptisanæ, jura pingvia &c. Arsenico in substãtiâ & per os sumto magis conveniant, qvatenus viscididate & lubricitate suâ viscera à vi Arsenici erodente muniunt. Nihil autem ex totâ antidotorum penu æq; profuit ac Unicornu, qvod à Rege Persiæ Principi Holsatiæ missum, mihiq; à Celsitudinis suæ Archiatro Dn. Johanne Christophoro Oeslero communicatum, evidenti cum juvamento exhibui; Neq; enim à lipothymiis, qvas inter initia patiebatur & freqventissimas & gravissimas ullo alio remedio promtius expeditiusq; liberari potuit, ac hoc Unicornu, qvod ego qvidẽ pro thesauro pretiosissimo habeo, magisq; ac Pici suum aurũ, custodio. Qvoties enim eo utebatur, tantꝰ emanabat sudor, ut penè totum corpus solvi videretur cum notabili εὐφορίᾳ, sudoribus namq; optimè expugnatur venenata malignitas, unde & postmodum natura spontè fudores copiosissimos movit, adeò ut per integrum mensem & qvod excurrit, singulis noctibus maximè verò sub diluculum iisdem qvasi difflueret & sic tandem, DEI gratiâ, revalesceret, qvoad cætera qvidem sanus, at cruribus etiam nunc qvo hæc scribo, qvasi resolutis ut vix incedere possit, id qvod & aliis ex hoc veneno evenisse refert Conciliator tractatu de venenis & Forestus lib. 30. observat. 8. & lib. 28. Observatione 28. in Scholiis.

CASUS XII.

Spiritus vitrioli.

Generosus Dominus GEORGIUS à ZIZEWITZ Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius intimus & Capitaneus Stolpensis &c. Ventriculi imbecillitate & anorexiâ per integram hyemem affectus, tandem Sedini Dominum Christophorum Oeslerum Medicum ejus loci consuluit, is purgato corpore spiritum vitrioli aliqvot guttarum numero ex cerevisiâ calidâ aut jure carnium per vices assumendum, commendavit; ex qvo cum nihil juvamenti percipe.et, errorem in dosi nimis exiguâ committi persvasus, integrã drachmam istius spiritus hausit, paullò post vehementem in faucibus & lingvâ, postmodum & in-

in ventriculo & intestinis ardorem & rosionem sensit, qvibus cum & ventris tormina viriumqve langvor accederent, opem meam imploravit.

RESOLUTIO.

Cum in præcipiti casu, qvo ob periculum erosionis minimè cunctãdum erat, nihil aliud ad manus haberem, butyrum ex cerevisiâ calidâ largius bibendum exhibui. Hinc Clysterem ex lacte recenti cum melle rosato præscripsi, qvo rejecto ad acrimoniam & erosionem ulterius inhibendam epicerastica ex semine Cytoniorum, althæâ, & gummi tragacanthâ cum aqva rosarum & portulacæ extracta, & melle violato dulcorata, sæpius delibanda, commendavi, repetitis etiam Clysteribus lacteis, qvos admodum salutares deprehendi.

In victu maximè profuit ptisana hordeacea, juscula ex radicibus althææ cum vitello ovi recentis subacta, amylum, oryza cum lacte cocta, & qvicqvid eduliorum lentoris & visciditatis particeps, acrimoniam istius spiritus obtundere valuit.

Potum ordinarium mivâ Cytoniorum miscuimus, interdicto vino austero & acribus.

His aliqvandiu continuatis, revalescere qvidem visus est æger, sed nutante subinde per varia symptomata valetudine, donec tandem apoplexiâ interiret Vir magnæ authoritatis & judicii, privilegiorumqve & libertatis Patriæ tenacissimus.

CASUS XIII.

Calx viva.

F*Oemina qvædam Nobilis picâ sive malaciâ laborans, argillam, lutum, cretam, aliaq; absurda & cruda sine noxâ ingerebat, tandem calcis vivæ appetitu accensa, magnam ejus partem satis avidè, frustra reclamantibus domesticis, devoravit; Ex hoc in ventris & intestinorum tormina & rosiones, faucium dolores, respirandi difficultatem, tussim, aliaq; symptomata incidit, cum perpetuâ oris & lingvæ siccitate & siti inexplebili.*

RESOLUTIO.

Vocatus, aqvam tepidam cum multo butyro exhibui, immissoqve in fauces plumaceolo, vomitum provocavi, qvo cum multum calcis aliorumqve vitiosorum humorum varii coloris rejectum esset, ad obtundendam acrimoniam præcavẽdamq; partium internarum erosionem, lenientia qvædam & lubricantia ex lacte pingvi, jusculis radicum althææ cum multo butyro, mucilaginibus psyllii, malvæ, lini & similibus per intervalla & sæpius

assumenda præscripsi; Clysteres etiam modò ex decocto hordei, oleo violarum & cassiâ, modò ex lacte, malvâ, altheâ, semine psyllii, saccharo rosato & id genus aliis, bis vel ter de die injiciendos, qvousq; ventris cruciatus desinerent, commendavi.

Ex antidotis præter terram Lemniam emulsionibus seminum qvatuor frigidorum mixtam nihil exhibui, in id potissimùm intentus, ut acrimonia calcis, qvâ maximè nocere poterat, obtunderetur, qvo fine & in cibo lenientia qvædam, ut ptisanam hordeaceam, jura carnium pingvia, oryzam cum lacte coctam, pultes ex amylo & alia hujus farinæ edulia, pulvere tragacanthi subinde consperṡa, exhibui, & sic fœminam lepidissimam ab immani cruciatu & præsentissimo vitæ periculo, DEI gratiâ, liberavi.

CASUS XIV.

Lac coagulatum.

Puella tredecim circiter annorum, constitutione corporis cholerica, postqvam in convivio varia ferculorum genera delibasset, saltuq; & choreis supra modum incaluisset, domum reversa urceum, in qvo lac asservabatur, arripuit, avidiusq; semel atq; iterum, donec sitim restingveret, bibit; paullò post in gravissimos ventriculi dolores, spirandi difficultatem & suffocationis periculum incidit, superveniente & animi deliqvio. Parentes inopinato casu vehementer consternati, subito me accersunt, opemq; petunt.

RESOLUTIO.

Re intellectâ, ut lac in ventriculo coägulatum dissolveretur, simulq; per vomitum rejiceretur, oxymel simplex cum aqva fœniculi exhibui tepidè; verùm cum remissius ageret medicamentum nec exspectationi satisfaceret, decoctum Foresti, cujus expedita est compositio, propinavi:

℞. Flor. chamæm. mj
Sem. anis. fœnicul. ana ℥i
Coq. ex s. q. aq. simpl.
℞. Colatur. ℥iiij. Aceti & sacchar. parum M.F. potiuncula, qvam ubi hausisset

ingentem ciborum lactisqve concreti & jam in caseum coacti copiam freqventi vomitu rejecit, sibiqve opinione adstantium, (qvi araneum vel aliud venenum cum lacte haustum suspicabantur) celerius restituta est.

CASUS XV.

Sangvis taurinus.

Urbanus Zwigler salium Coctor, sitibundus, urceum sangvine taurino, qvo in Salinis Col-

Colbergensibus ad depurandum clarificandumqve salem utuntur, impletum inter fumantes caminos prehendens, loco cerevisiæ bonum istius sangvinis haustum bibit: Ex hoc dolorem in ventriculo & nauseam, mox & spirandi degluttiendiqve difficultatem sensit, accedente & animi deliquio.

RESOLUTIO.

Consultus, ad grumos sangvinis concretos dissolvendos, ungventum rubrum potabile ex aqvâ Cerefolii & oxymelite sqvillitico exhibui; Hinc vomitum decocto anethi & oleo sesamini provocavi, qvo magna sangvinis fœtidissimi copia rejecta est cum evidenti symptomatum remissione; Intereà tamen de ventris infimi dolore qverebatur æger, unde ad intestina aliqvid epoti sangvinis descendisse, conjiciebam, ac proinde Clysterem ex cerevisia hordeaceâ & ungvento rubro potabili, præscripsi, cujus beneficio multum sangvinis nigri & concreti tribus qvatuorve dejectionibus excretum est, ægerq; sumptâ deinceps terrâ sigillatâ & aliis qvæ contra malignitatem peculiariter faciunt, brevi convaluit. Etsi enim sangvis taurinus suâ naturâ venenatus non sit, retentus tamen in ventriculo coagulatur & pravam naturam induit, malignitatemqve acqvirit, id qvod & aliorum animalium sangvini cum taurino commune est, ut mirer cur solus sangvis taurinus pro venenato habeatur, cum sangvis cujuscunq; animalis non venenati in ventriculo coagulatus, eadem symptomata inducat.

De anserum sangvine, qvem in nuptiis Domini Joachimi Scheunemanni, Pastoris Garrinensis, Pincerna sub crepusculum pro cerevisiâ cantharis poculisqve per incuriam seu temulentiam infuderat, convivisqve apposuerat, memini me ipsum bibisse eademqve symptomata perpessum qvalia taurinus sangvis excitare solet, id qvod etiam in porcorum, oviumqve sangvine hausto observavi, ut nullum sit dubium, sangvinem horum animalium non per se & suâ naturâ esse venenatum, sed ratione tantùm qvadam adventitiâ, qvatenus in ventriculo coagulatur & malignitatem contrahit. Et si suâ naturâ venenatus esset sangvis, qvomodò carnib⁹ qvæ ex sangvine generantur, impunè vesceremur, qvod tamen totâ die fieri, notum est.

CASUS XVI.

Rubetæ venenum.

Circumforaneus qvidam natione Gallus pulverem Be-

Digitized by Google

zoardicum gryseum contra omnis generis venena publicè divendens, ut fidem medicamento faceret, varia venenorum genera assumebat, idqve sine noxa alicujus notâ, siqvidem ut vociferabatur, pulvere illo Bezoardico se præmunivisset; Hauserat inter alia venenum ex bufone vivo recenter expressum, qvod cum malè ferret, oculorumqve scotomiam, vertigines, aliaqve symptomata persentisceret, subito è pegmate descendens in hospitium ægro gradu contendit, missâ ad me schedulâ, cujus hæc erant verba: Qvæso per DEUM immortalem mittat mihi subitò, subitò aliqvod vomitivum, aliàs morior.

RESOLUTIO.

Qvanqvam indignus videretur Agyrta, nefariis & tam periculosis artibus, turpi lucro inhians, cui perpetratæ temeritatis subpeditaretur remedium, ob præsentissimum tamen in qvo versabatur vitæ periculum, misi Aqvam benedictam Rulandi, qvæ opportunè tunc ad manus erat; vomuit plus septies rejecta & per alvum materiâ qvadam fœtida variiqve coloris: Hinc tribus diebus continuis theriacam Andromachi cum vino calente exhibui, utqve balneo assumtis alexipharmacis per intervalla uteretur, sudoresqve evocaret, totumqve corpus aqvâ calida ablueret, svasi, qvo facto brevi convaluit, colore tamen faciei anteà florido in virescentem qvasi & pallidum mutato. Sanitati restitutus, oblato mihi sostro, dolum spontè aperuit, fassus se domi oleum olivarum affatim bibere, postmodum in scenam prodire & venenum sumere, hinc sine morâ diversorium petere, immissoq; in fauces digito venenum oleo supernatans evomere, tandemqve pulverem suum Bezoardicum vel Theriacam usurpare, & sic qvidem vitæ periculum declinare, nihilominus magnam virium jacturam exinde persentiscere, adeò ut secum constituerit ab hoc acqvirendi modo imposterum desinere, qvod ut faceret homo aliàs ingenuus & juvenis, fideliter monui: Sed talia conantem vicit habendi scelerata cupido, cujus amore Pragæ Bohemorum, ut mihi relatum est, denuò hoc venenum hausit, & cum illud removere neutiqvam posset, paulò post exstinctus est.

CASUS XVII.

Ictus vespæ.

Conjux mea JUDITH KUNDENREICHIA mense Julio Anno M. DC. XLVIII. Sedinum iter faciens, vespæ ictu in-

meta-

metacarpio sinistra manus læsa, dolore adeò vehementi afficiebatur, ut noctes aliqvot insomnes duceret, accessit & brachii totius tumor & rubor cum pustulis parvis & mordicantibus. In Hortolinum meum reversa, svasu Hortulani muscum terrestrem parti affectæ undiqvaq; imposuit, ex qvo dolor in tantum remisit, ut sub vesperam in somnum delapsa, totâ nocte satis quietè dormiret, tumorq; manus & brachii prorsus evanesceret, subitâ qvidem & initio gratâ, at periculosâ mutatione. Materiâ enim illâ venenatâ, impositione musci, qvi frigidus est & adstringens ad interiora repulsâ, in pleuritidem ejusdem lateris & febrim malignam incidit cum insigni præcordiorum angustiâ, respiratione difficili, vigiliis, siti inexplebili aliisq; symptomatibus gravissimis, à qvibus tamen, DEI gratiâ, exhibitis Bezoardicis & antipleuriticis specificis brevi liberata est.

Qvam periculosi autem sint vesparum ictus, præsertim si serpentibus aut fungis venenatis victitarint, prolixè describit Plinius lib. 11. cap. 23.

CASUS XVIII.

Morsus serpentis.

Villicus qvidam Trammensis in fœnisicio à serpente circa talum pedis sinistri demorsus, per Ecclesiæ vicinæ Pastorem opem meam implorabat.

RESOLUTIO.

Cum repellentia qvædam ex cannabe, musco terrestri &c. imposuissent domestici, jussi subitò removerentur & pes affectus paullò suprà morsum fasciis arctissimè constringeretur, ne venenum interiora peteret; Hinc ad extrahendum cum sangvine venenum cucurbitulas parti læsæ cum profundis copiosisqve incisionibus applicandas, commendavi: Plagâ spiritu vini in qvo Theriaca dissoluta erat, probè detersâ & ablutâ, impositum est emplastrum Apostolicum, morsibus venenatis accommodatissimum. Intereà dum hæc fierent, simul alexipharmaca qvædam, theriacam nempe & pulverem specificum ex vino calido, singulis diebus exhibui, provocatis subinde in lecto sudoribus:

℞. Rad. Gentian. ℥ß. Contraierv.
scorzoner ana ʒij.
scordii veri ʒiij. Rutæ ʒij
Piper. nigr. ℈iiij. Croci ℈j.
M. F. pulvis.

Somnq

Digitized by Google

Somno inter initia ne venenum unà cum calore & spiritibus à partibus exterioribus ad interiora reperet, interdixi.

In cibis allium, in potu fragariam commendavi, & sic divinâ favente gratiâ, ægrum bonæ valetudini restitui. Plura de morsu serpentis videantur in Epistolis meis Medicinalibus lib. V. Epistola XVI.

CASUS XIX.

Hirudines deglutitæ.

Puer quinq; circiter annorum in pago Bogentin ad ripam præterfluentis rivuli cum aliis sibi coætaneis, lapillos, qvibus luderent, legit, captasq; manu hirudines sive sangvisugas, svasu alterius pueri, qui easdem dulcissimas esse persvasit, vivas deglutivit, domum reversus multum sangvinis per os excrevit, de dolore ventriculi & intestinorum qverulus; Parentes misso ad me nuncio, consilium petunt.

RESOLUTIO.

Ut hirudines ventriculo & intestinis adhærescentes, quam fieri posset celerrimè deciderent, muriam cum aloë tepidè bibendam præscripsi; Hinc ut rejicerentur vomitivum ex decocto anethi & oxymelite simplici, commendavi. Ad sistendum verò sanguinem, pulverem stegnoticum Guttmanni ex aqvâ plantaginis & prunellæ exhibendum ordinavi; Tandem ut & malignitati resisteretur, theriacam cum pulvere seminis nasturtii mixtam ex vino generoso assumendam transmisi.

Verùm hæc omnia mors prævertit; superveniente enim Epilepsiâ & convulsionibus vehementissimis paulò antè reditum nuncii, Fatis concessit æger.

CASUS XX.

Cantharides devoratæ.

Uxor Domini Petri Larsonii prioris matrimonii, nescio qvo fine aut consilio vesicatorium ex cantharidibus & fermento, qvod odontalgiâ gravissimâ laboranti pone aures applicandum, aliqvando præparaverat Cheirurgus, sub horam somni clanculum devoraverat; paullò post in lipothymiam incidit, qvã maritus & adstantes mulierculæ pro uteri strangulatu habebant.

RESOLUTIO.

Accersitus, ipse de alio morbo suspicari non potui, cum scirem passionibus hystericis esse obnoxiam: Exhibui itaqve essentiam meam uteri-

uterinam cum aqvâ hystericaMynsichti; Naribus etiam fœtida qvædam ex castoreo & fumo verrucarum, qvæ tibiis eqvorum adnascuntur, pudendis autem svaveolentia ex Zibetho & galliâ moschata adhibenda, præscripsi, non neglectis ligaturis & frictionibus cõvenientibus. Ex hoc paululum dormivit, manè cum ægrotantem denuò inviserem, os & labia undiqve exulcerata, urinas autem turbidas & cruentas conspexi; Caussam sciscitans, ex relatione socrus, qvam perpetratæ temeritatis fecerat cõsciam, intellexi, vesicatorium ex cantharidibus devoratum, & hinc insignem ardorem in faucibus & partibus urinæ dicatis, cum stranguriâ cruentâ, & lumborum dolore subseqvutum, qvibus & vertigines & lipothymiæ accesserunt.

Mutato itaqve consilio, ad ejiciendum è corpore vesicatorium, vomitivum ex aqvâ tepidâ & oleo violarum exhibui; Mox & clysterem ex althæa, malvâ, parietariâ, semine lini, fænugræci, oleo liliorum alborum & cassia præscripsi: Hinc ad acrimoniam & malignitatem cantharidum obtundendam Emulsionem obtuli, cujus hæc est Compositio:

℞. Sem. 4. frigid. maj. excort. ana ʒij. papav. alb. ʒvj.
Amygd. dulc. non rancid. ℥iß.
Pineat. recent. ʒvj.
Aq. portulac. lactuc. ana ℥iiij.
violar. ℥iij.
M.F. Emulsio, cui add. Trochisc.
Alkekeng. ʒij. Sachar. rosat.
tabulat. ʒiij. Misc.

Eodem fine & lambitivum sæpiusculè delibandum præscripsi:

℞. Sem. psyll. Cytonior.
malv. ana ʒiij
Tragacanth. puriss. ℥ß.
Aq. plantag. q. s. Extrahatur mucilago, cui trochisc. Alkekeng. ʒiij. & syr. violar. q. s. ad gratum saporem, addantur.

In cibo commendavi cremorem ptisanæ, oryzam cum lacte coctam, juscula pingvia, carnes porcinas, hædinas, aliorumqve animalium pingvium, lac imprimis caprinum & pultes ex amylo cum lacte coctas.

Ad labiorum, lingvæ & faucium exulcerationem profuit mucilago seminis cytonior. & gummi Tragacanthæ cum aqva plantaginis extracta: Lumborum autem & imi ventris aliarumqve partium dolorem litus ex Ungvento populeo & rosaceo, addito tantillo oxycrati, compescuit.

CASUS XXI.

Ex Cantharidibus extra applicatis strangurria cruenta.

Cantharides etiã extra applicatas, vesicæ nocere & sangvi-

nis mictionem qvandoqve excitare Paschalius Meth. medend. cap. 41. & Langius lib. 1. Epistola 47. scriptum reliqverunt. Contrà Sennertus nunqvam tale qvid se observasse affirmat, etiamsi sexcenties vesicatorii loco iis usus fuerit; Et rem qvidem se ita habere, toties qvoties seu nuchæ seu pone aures, seu brachiis vel cruribus apponerem ipse hactenus expertus sum; Novissimè tamen aliud in Viro qvodam Nobili observavi; Is paralysi palpebrarum affectus celeberrimos Germaniæ Medicos, tandem & Italos qvosdam & Gallos, & inter hos Excellentissimum Dn. LAZARUM RIVERIUM Medicinæ in almâ Monspeliensium Professorem celeberrimum &c. me interprete consuluit; Hic inter alia qvæ in Epistolis meis Medicinalibus lib. 1. Epistolâ 1. videri possunt, vesicatorium ex cantharidibus cum gummatibus, qvod habet in praxi sua lib. 1. cap. 1. toti capiti deraso instar cucuphæ applicandum commendavit, qvo paullò ante meridiem imposito, sub vesperam stranguriâ cruentâ correptus est æger, tanto cum partium urinæ dicatarum dolore, ut mediâ nocte me accerseret, opemqve imploraret: Exhibui Emulsionem casu præcedente descriptam ut & lambitivum, Clysterem ex lacte & id genus alia, qvorum usu à molestissimo hoc symptomate brevi iterum liberatus est.

CASUS XXII.

Morsus canis rabidi.

Etsi venenum canis rabidi longè sit nocentissimum, si tamen mox inter initia, anteqvam invalescit & cerebrum invadit, convenientia remedia adhibeantur, non ita difficulter curatur, præsertim si hydrophobia nondum accesserit, id qvod in multis aliis, tum in Hortulano meo expertus sum. Is cum à cane rabido in surâ pedis sinistri demorsus esset, me svasore subitò & qvasi eo ipso momento, linteis mundis & qvidem siccis actuqve calidis vulnus probè abstersit; Noxium enim est aqvâ præsertim frigidâ, abluere: Mox ad extractionem veneni pullum gallinaceum per medium dissectum & adhuc calentem vulneri imposuit; Hinc vocato ex urbe Chirurgo cucurbitulæ cum scarificationibus profundis & freqventibus appositæ sunt. Dum hæc fierent etiam interna qvædam antidota, primo Theriacam, postmodum pulverem Palmarii, cujus hæc est descriptio, exhibui:

℞. Fol. rutæ, verbenæ,
Salviæ, plantagin.
Polypod. Menth.
absinth. vulgar.

arthe-

arthemisiæ,
Melissophyll.
beton. Hyper.
Centaur. min. ana ℥iij
M. F. pulvis.

Sumsit singulis matutinis drachmam unam semis ex vino calido, interdum ex cerevisiâ, provocatis sub lecto sudoribus, simulqve & extra eundem pulverem in vino calido solutum linteis duplicatis exceptum, imposuit, superinducto primum emplastro Apostolico, postmodum Citrino. Consolidationem autem vulneris de industria ad qvadragesimum usq; diem impedivimus, ne qvid fortè veneni in corpore relinqveretur: Compertum enim est etiam post plures menses, imò annos veneni hujus malitiam recruduisse & hydrophobiam aliaqve periculosa symptomata, qvæ nullâ arte sanari potuerunt, excitasse.

CASUS XXIII.

Venenum canis rabidi esu lactis vaccini communicatum.

NOn tantum morsu sed & aliis modis venenum canis rabidi corpori humano communicari ex observationum scriptoribus notum est: *Per odorem ex cane rabido* attractum nonnulles in hydrophobiam incidisse Cælius Aurelianus lib. I. de sign. & caussis morbor. acutor. cap. 7. scriptum reliqvit. *Per halitum & osculum canis rabidi* qvendam infectum & mortuum esse Cardanus refert lib. 2. Contradict. 9. tractat. 5.

Per salivam canis rabidi Johannem Coqvetanum rabiem contraxisse narrat Johannes Matthæus de Gradibus Consilio 82.

Per carnes coctas & comestas, qvosdam rabie correptos periisse recenset Fernelius lib. 2. de abdit. cap. 14.

Ex lacte vaccæ à Cane rabido demorsæ rusticum qvendam ejusqve uxorem, liberos & alios rabie infectos ipse memini; Maritus & filiorum natu maximus auxiliis in præcedenti casu descriptis, servati sunt; Mater cum reliqvis duobus filiis & totidem filiabus periit, postmodum ex intervallo trium qvatuorve mensium etiam ancilla & vicina cum qvatuor liberis, qvi lacte istius vaccæ usi erant, omnes in furorem acti miserè interierunt, horrendo at notabili exemplo.

CASUS XXIV.

Morbi ex incantatione.

ETsi reperiantur non pauci, qvi morbos ab incantatione & veneficio dari negant, qvorum antesignanus est Wierus, ideò sagarum Patronus dictus, qvi libro 5. de præstigiis dæmonum cap. 14.

Digitized by Google

defendere conatur, sagas non invehere eos morbos, qvorum se fatentur effectrices esse; Affirmantium tamen rationes & argumenta aliud evincunt, & Wiero satis responsum est cum ab aliis tum à Cl. Sennerto lib. 5. Med. practic. part. 9. cap. 5. & seqventibus. Testantur id ipsum & historiæ à Nicolao Remigio in dæmonolatria sagarum; Sprengero in malleo maleficarum, Bodino in Dæmonom. Martino del Rio in disqvis. magic. Langio lib. 1. Epistol. 38. Alexandro Benedicto lib. 7. Pract. cap. 25. Antonio Benivenio de abdit. Sanation. & morbor. caussis cap. 8. Cornelio Gemmâ lib. 2. de divin. natur. Characterism. cap. 24. Foresto lib. 18. Observ. 16. Codronchio lib. 2. de morb. venenatis cap. 3. Zacuto Lusitano de Praxi Medicâ mirabil. lib. 5. observat. 134. & aliis hinc inde annotatæ, ex qvibus abundè constat, sagarum lamiarumqve operâ qvamplurimos variis modis læsos esse. Eludit qvidem omnis historiæ hujus fidem Wierus & inter fabulas referendam esse putat: sed verisimile non est, tot tantosq; Viros figmenta & fabulas literarum monumentis tradidisse, & attestantur hoc ipsum acta publica in judiciis passim consignata, qvæ in dubium vocare temeritatis est.

Possem vel ipse certitudinem hujus rei exemplis qvamplurimis hactenus à me observatis demonstrare, sed ne actum agere videar, pauca tantum promam:

ANNO M. DC. XXV. Vir qvidam doctus & Jurium Licentiatus ex peregrinatione qvam in Gallias & Hollandiam susceperat, domum redux in febrim qvartanam incidit cum insigni tumore & punctionibus sinistri hypochôdrii, adhibita varia & exqvisitè comparata remedia, sed irrito conatu, febri in tertium usqve annum cum symptomatibus gravissimis & captum ferè superantibus, invalescente, adeò ut pro derelicto haberetur Æger. Intereà vetula qvædam lini fila divendens, in conclave ubi decumbebat Patiens, admissa sponte & curiosius in morbum inqvirebat, contrectatisqve hypochondriis remedium pollicebatur, qvod etsi initio recusaret æger, ratus cum Chrysostomo satius esse homini Christiano mortem obire qvam vitam ligaturis vel incantamentis redimere, victus tamen precibus Parentum & desiderio reconvalescentiæ admisit,

misit, præsertim ubi Medicinam ex remediis naturalibus, herbis scilicet, radicibus & floribus constare juratò qvasi assereret mulier; Erat enim decoctum longum & valdè amarum, enulam propemodum & gentianam redolens; Jussit vetula singulis matutinis & vespertinis bonum haustum istius potionis calidè assumeret, qvod ubi bis vel ter factum esset, freqventi vomitu, primò ingentem vitiosorum humorum copiam, postmodum sangvinem nigrum & concretum, postremò materiam qvandam gypseam & cum hac lapillos qvindecim varii coloris, acus item musco involutas & inter has cultelli scriptorii fragmentum cum portiuncula manubrii eburnei rejecit, tumore hypochondrii sinistri manifeste qvasi evanescente, punctionibusqve ex toto cessantibus, qvin & febri penitus sublatâ, adeò ut qvi ad extremam maciem redactus, vix ossibus hærebat, brevi temporis decursu pristino vigori & corpulentiæ, qvâ anteà præditus erat, restitueretur.

ANNO M. DC. XXXIV. domesticis meis litigium intercesserat cum anu qvadam de veneficio suspecta, paullò post Filia mea GERTRUDIS SOPHIA, septem circiter annorum, horrendis insomniis correpta, modò aqvis submergi, modò per auras volitare, modò incubo premi, maxime verò ab araneo raræ magnitudinis etiam vigilans infestari videbatur, adeò ut noctu sæpius exclamaret, se jamjam perituram, nisi subitò ab araneo impendente liberaretur; accensum iccirco sæpius lumen, perqvisita & mutata lectisternia, excussi omnes anguli, at nihil hujusmodi conspectum repertumve est, illa nihilominus immane qvantum angi, totoq; corpore contremiscere, frigidum sudare, pedibus manibusqve convelli, araneumq; perpetuò sibi insidiari, vociferabatur & hoc singulis noctibus, qvas integro semestri & amplius insomnes ducebat, donec tandem venefica, criminis convicta, rogo mandaretur. Ex eo melius qvidem habere visa est, sed luxata, contortaqve per veneficium articulorum compagine, nec manibus firmiter apprehendere, nec pedi-

bus libere incedere valet, cætera tamen in hunc usqve diem DEI præpotentis auxilio, salva & incolumis. Ille porrò eandem senectutis meæ solatium, servet & ab omnibus Dæmonis & mancipiorum ejus insidiis clementer protegat.

ANNO M. DC. LIII. Filia Nobilissimi DN. JOHANNIS HENRICI von Horn / Hæreditarii in Schönbeck/&c. in dolores acutissimos infimi ventris incidit, cum totius abdominis inflatione & distensione, ut rumpi metueret, aderant & murmura rugitusqve intestinorum, cibi fastidium & nausea, ructus freqventes, respiratio difficilis, palpitatio cordis aliaqve gravissima symptomata, qvæ cum ex alvi constipatione non parum augeri viderentur, Enema ex emollientibus, laxantibus, & flatus discutientibus præscripsi; At vix injectum, vehementi cum impetu iterum prorupit, nihil præter σκύβαλα qvædam vehens, qvorum durities ut remollesceret, flatuumqve mire tumultuantium impetus coërceretur, inuncto per carminativa & emollientia ventre, exhibitoqve jure radicum althææ cum vitello ovi recentis subacto, denuò Clysterem repetii, excrevit iterum dura qvædam & qvasi conglomerata, idqve enixiori conatu, doloribus immane qvantum sævientibus.

Repetii inunctiones, adhibitis simul internis, dolorem lenientibus, sed frustrà, unde ad cathartica deveniendum erat, inter qvæ maximè convenire visum est, decoctum meum laxativum, nec intentionē destituit effectus, plus novies laxatâ alvo, qvo multum atræ fecis excretum est, notabili juvamento.

Verùm opinione celerius recruduit dolor; Accessit me inscio qvidam Empiricus, pilulasq; tres, qvas ex laudano opiato fuisse effectus arguebat, sub vesperam exhibuit; Qvievit ægra per integram noctem & usq; ad diei seqventis crepusculum, ut æterno veterno oppressam autumarent adstantes; verùm adhibitis acidis ad se redit, qvanqvam in somnum subinde propensa, ut lethargū minitari videretur; dedi qvæ periculum averterent, nec sine successu: Intereà tamen exasperatus intestinorum dolor vires adeò

adeò dejecit, ut cordialibus & Bezoardicis metu malignitatis agendum esset.

Refectis qvodammodo viribus ægra de perpetua nausea & vomendi desiderio qverula emeticum instanter petebat; Exhibui sal vitrioli, mitiora ob virium langvorem tentanda ratus; verùm his nihil proficientibus ad fortiora adscendi & infusum vitri antimonii ex vino Hispanico exhibui; Vomuit plus vicies, rejectis varii coloris humoribus iisq; fœtidissimis, postmodum & aliis rebus absurdis & veneficium redolentibus, qvas Parentis potius, qvam meis verbis hic describere visum est, sic enim ille,

Præmissis præmittendis.

MEinem Hochgeehrten Herrn lasse ich unverhalten seyn / daß nach gebrauchtem letztem Vomitiv meine Tochter anfänglich groß Reissen im Leibe empfunden / worzu auch eine Ohnmacht geschlagen / wovon sie aber dennoch durch GOttes Hülffe und Brauch des Heroischen Wassers / welches ihr der Herr neulich überschicket / bald wiederumb befreyet worden: Nach diesem hat sich ein starckes Brechen / welches fast eine Stunde lang gewehret / erhoben / wodurch sie allerley wunderliche und fast übernatürliche Dinge ausgeworffen / als erstlich eine schwartze Kohl eines Lübischen Schillings groß / hernach eine halbe Nußschale / so inwendig kohlschwartz / hernach die andere Helffte / so auch schwartz / darinnen war ein wenig rothes Wachs / ein klein Stücklein Bley und 6. grosse Fischgraten / welche mit einem Faden von rohem Zwirn creutzweiß über einander gebunden; die Nußschale hat oben ein Löchlein gehabt / als wann es mit einem Pfrim gemacht wäre. Man hat auch gehöret daß es im Leibe gehüpffet wie die Nußschale von einander gebrochen: hernach ist eine Silberne Haar-Nadel und 6. lange Schweinborsten von ihr kommen / so ebenmässig mit einem Faden creutzweise zusammen gebunden gewesen. Diese Sachen haben viel vornehme Leute gesehen / und sind annoch bey mir vorhanden. Nach diesem haben sich die Schmertzen im Leibe und alle andere Zufälle gäntzlich verlohren / daß sie nunmehr / GOtt lob / frisch und gesund ist / &c.&c.

Meines Hochgeehrten Herrn
Treuwilligster Diener
Hans Heinrich von Horn / mp.

ANNO M. DC. LV. Daniel Koch, S. S. Theologiæ studiosus philtrum à puella qvadam netrice sibi datū ex eo suspicabatur, qvod inter tripudia & choreas incalescenti poculum obtulisset, qvo sumto sub auroram diei seqventis

in-

in vehementiſſimos ventris cruciatus & tormina, poſtmodum in choleram incidit, cum aſſiduâ & immoderatâ vitioſorum humorum per ſuperiora & inferiora rejectione. Auxit ſuſpicionem amor, qvo Juvenem alioqvin non invenuſtum deperibat amaſia; accedentibus & aliis indiciis, præſertim qvod ex eo tempore, qvo philtrum ſumſerat, nunqvam rectè valuerit, variis ſubinde morbis & ſymptomatibus tentatus, maximè verò in melancholiam & ſolitudinem proclivis, cum antea ſat hilaris, facetus & ſocietatis ac converſationis fuerit amantiſſimus. Antidotum itaq; petenti, præmiſſis univerſalibus præſcripſi pulviſculum per dies novem ſingulis matutinis ex aqvâ noſtra Bezoardica aſſumendum cum ſudoris elicio.

℞. Rad. vincetoxic. cõtrajerv. aa ʒij
Fol. meliſſ. ſcordii ana ʒiß.
Sem. Hyper. ʒij
Margarit. præpar.
Corall. rubr. præp. ana ℈ij.
Lapid. Chryſolit. præp.
Smaragd. præp. ana ℈j
M. F. pulvis ſubtiliſſimus pro novem doſibus.

Continuato per novendium pulveris hujus uſu melius qvidẽ habere alacriorisq; animi eſſe videbatur, ſed brevi gaudio, ſubortâ enim paullò poſt inſigni præcordiorum anguſtiâ & ſpirandi difficultate in lipothymiam incidit, à qvâ ægrè liberari potuit, recruduêre deinceps & ventris cruciatus, in tantũ aucti, ut diſſipatis ſpiritibus, de vitâ periclitaretur. Supervenit tandẽ ſubita fauciũ præcluſio, ut jamjam ſuffocandus videretur, niſi in vomitũ erupiſſet ſui conſervatrix natura, cujꝰ beneficio ingens fœtidorũ humorũ copia, aliæq; res abſurdæ, capilli, ligna, ſetæ porcinæ, noviſſimè & ferramenta qvædã aſpera rejecta ſunt. Ceſſante vomitu, qvi ultra octiduum duravit, convaluit æger, evacuatis ſc. vitioſis humoribus, à qvo morbi & ſymptomata illa producta fuerũt. Neq; enim credendum eſt, res illas miras, ferramenta, clavos, ſetas &c. reverâ in corpore fuiſſe, morboqve cauſſam dediſſe; ſed Diaboli ſubtilitate & velocitate imperceptibili inter vomendũ ori injectas vel extra tantũ admotas eſſe, adſtantium oculis vel celeritate ejus victis, vel faſcino deluſis, vel interjectu corporis aërei aut aliter caligantibus. Etenim ſi præſtigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere poſſunt, cur non & dæmon, mille artifex, idem poſſit, eaq; intuentibus oſtẽtare, qvæ nunqvam in corpore fuerunt, ut pluribus de hâc re diſſerit Wierus de præſtigiis dæmonum lib.4.cap.2.& 14. de lamiis cap. 17. Gregor. Horſt. l.1. Epiſt. ſect.7 Qvibus & Sennertus, refutatis ſecus ſtatuentium argumentis, aſſentitur lib. 6. Med. Pract. part. 9. cap. 5.

Digitized by Google

BALDASSARIS TIMÆI
von Güldenklee

CASUUM MEDICINALIUM

LIBER OCTAVUS
DE
FEBRIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Multùm Reverendis,
Generosis, Nobilissimis & Consultissimis
DOMINIS
DN. FRANCISCO DE GUNTERSBERG,
Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario & Capitaneo Rûgenvvaldensi, Domino in Busslar & Reichenbach.
DN. JOHANNI SCHWEDERO,
J. U. D. Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario Aulico & Consistorii Ecclesiastici, quod est Colbergæ, Directori.
DN. SEBASTIANO BRUNNMANNO,
J. U. L. Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario Aulico & Ecclesiæ Colbergensis Collegiatæ Capitulari &c.

DN. JOACHIMO PRÆTORIO,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario Aulico & Consistorii Colbergensis Assessori.

DN. FRIDERICO AB HECHTHAUSEN,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Referendario, Hæreditario in Grüssovv &c. &c.

Dominis Fautoribus & Amicis meis officiosè colendis

S. P.



Su receptum est, ut expolita doctrinæ cultu volumina Viris Excellentibus consecrentur, & hoc duplici fine: Nimirum ut qui sua in publicos usus mittunt manuscripta, præfixo eorum, quibus officio aliquo devincti sunt, nomine, gratiam iis quodammodo referant, tùm ut monumentis suis Patrocinium aliquod & decus consocient, quò

quò tutius ornatiusque in publicum prodeant.

Ego, ne à laudabili totque annorum ſeculis obſervato ritu deflecterem, conſuetudini morem gerendum duxi, & cum animo hærerem, quibus maximè, ex pluribus inſcribendus eſſet ultimus hic caſuum medicinalium liber, tandem in eam deveni ſententiam, nulli poſt eos, quibus antecedentes nuncupati ſunt, potiori jure eundem cedere ac Vobis, Viri Præcellentiſſimi: Etenim ſi Veſtræ erga me propenſionis affectum, ſi merita expendo, reciproci amoris & ſtudii documentum aliquod Vobis deberi intelligo: ſi verò & illud in cenſum veniat, inſcriptionibus conciliandam eſſe libro authoritatem & gratiam, à quibus hæc firmiùs exſpectem, quàm à vobis, qui ob ſingularem prudentiam, juſtitiam, æquitatem, candorem,

afflictorum tutelam & vindicias, toti PATRIÆ suspiciendi estis & amabiles.

Accipite ergò, Fautores & Amici honorandi, monumentum hoc meum mole quidem exiguum, at argumento fortè non ingratum, si nec hoc, animo tamen, quem æterno cultu devotum Vobis spondeo. Colbergæ IV. Iduum Octobris Anni M. DC. LXI.

Strenuitatum & Amplitud.
Vestrarum

omni studio & fide addictus

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

IN-

INDEX CASUUM
LIBRI OCTAVI.

XXIII

Digitized by Google

CASUUM MEDICINALIUM LIBER OCTAVUS

De FEBRIBUS.

CASUS I.

Ephemera ex mœrore animi & vigiliis.

Magdalena Farensbachia Illustrisſimi Domini LUDOVICI CHRISTOPHORI *Comitis de Eberſtain, Domini in Neugarten & Maſſovv &c. Conjux, ex morte Filiolæ lepidiſſimæ multum contriſtata, noctes aliquot inſomnes duxerat, hinc aliquantulum incaleſcere & febrire cæpit, absq; ullâ tamen horroris notâ, pulſus ad tarditatem declinabant, langvidi, rari, facies decolorata, oculi concavi, palpebræ graves, corpus ſiccum & extenuatum.*

RESOLUTIO.

Febrim Diariam ominabar, ex ſpirituum incendio natam, quatenus ratione mœroris ſpiritus vitales intrò verſus ſuum principium rapti, ibidemqve collecti, exarſerunt, accedente motu continuo ſpirituum animalium ex denegatâ quiete & perpetuâ cogitatione ſuborto.

Prædixi nubeculam hanc citò tranſituram, morbumque ſignificari ſuâ naturâ breviſſimum & unius tantum, ni error committeretur, diei; Quod calor in ſpiritibus, materia ſcilicet tenui, mobili & facile diſſipabili diu ſubſiſtere non poſſit, ſed cito deferveat & exhalet.

Interea tamen animum à luctu omnibus modis avocandum ſvaſi, in id præcipuè intentus, ut curarum

 triſti-

tristitiæqve domitor somnus alliceretur, qvem tali emulso sub crepusculum invitare placuit.

℞. Amygdal. dulc. elect. non rancid. ℥iij.
Sem. lactucæ ℈iß.
melon. excorticat. ℈ij. papav. alb. ℥ijß.
Aq. violar. lactuc. ana ℥iß.
M. F. s. a. Emulsio.
add.
Magister. perlar. Oriental. ℈ß.
Rotul. man. Christi ℥j. M.

Qvievit à nonâ vespertina usque ad qvartam diluculi, madore per totum corpus rorida, id qvod in declinatione febris diariæ, salutare est. Etsi enim materiæ sit expers, ichor tamen, qvi alias in sanis per sensibus incompertam spirationem evacuatur, in sudorem hic abit, vel in vapidum rorem densatur.

Hinc seqvuta est ἀπυρεξία totalis, morbiqve perfecta remissio arteriis etiam naturali tono iterum pulsantibus.

Cæterum victu nutrita est ἐύχυμω, ex humectantibus & refrigerantibus, ptisanæ imprimis cremore, panatellis, carnibus vitulinis, hædinis, gallinaceis, earumqve brodiis. Tandem & in balneum aqvæ dulcis temperate calidum, ex violis, lactucis, Nymphæa, vitis foliis &c. adornatum, deducta est, balneolis, more gentis suæ, à teneris adsveta.

CASUS II.

Diaria ex ebrietate & cruditatibus.

ANtonius Oliva Tyrolensis, inter armatos Cæsaris Anno M. DC. XXVIII. Colbergæ in præsidiis excubantes, Locum tenens, temperamenti calidi & sicci, cibis in sartagine frixis, ultra satietatem ingestis, vino Hispanico largius se invitaverat: Mane de capitis dolore, æstu & morsu circa orificium ventriculi, ructibus nidorulentis & calore totius, minus quidem mordaci, sed halituoso querebatur, facie & oculis rubens, arteriarum pulsu magno & veloci, urinis copiosis, leviterq; tinctis, alvo lubricâ &c.

RESOLUTIO.

Spiritus vitales mediatè qvidem per naturales à generosiore mero calidisqve cruditatum nidorolentarũ effumigiis in corde accensos, diariam excitasse, nullus dubitabam, ac proinde ad effervescentiã spirituum compescendam, cruditatesq;

tesq; corrigendas, ordinato victu tenui & refrigerante tale exhibui Jolabium:

℞. Aq. cichor. ℔j.
acetos. ℔ß.
Syr. granator. ℥ij
de agresta ℥iß.
Succ. citri recent. expreſſ. ℥j. M.

Sed & ventriculo proſpiciendum ratus, conditi ſeqventis portiunculam per intervalla obtuli;

℞. Conſerv. roſar. ⊕lat. ℥ij.
Spec. diarrh. Abbat. ℈ij.
Spec. roſatæ novellæ ℈jß.
Magiſter. corallior. rubr. ℈j.
Carn. cytonior. condit. ℥ß.
Syr. corallin. q. ſ. M. F.
Electuarium.

Extra inunctiones ex oleo maſtichino, roſaceo & Cytoniorum adhibitæ, ſimul & capiti pro demulcendis doloribus oxyrrhodinon duplicatis petiis applicatum, imperatâ qviete & ſomno, cui per integram noctem, qvanqvam interruptè, indultum eſt. Intereà ſudores erumpere, febrilis calor exſpirare, pulſus ad rhythmum naturalem redire, ſymptomata ceſſare, Ægerqve melius habere viſus eſt. Catharticis de induſtriâ abſtinui, tum qvod inter initia vomitu ſpontaneo multa corrupta rejecta eſſent, tùm qvod alvus per ſe fluida, reliqva ſufficienter deponeret. Pro abſterſione tamen juſcula carnium, ptiſanam hordeaceam, avenaceam & ſimilia commendavi.

CASUS III.

Synocha ſimplex.

Illuſtris & Generoſus Dominus Dn. Franciſcus Sigismundus Händel Liber Baro de Goldrain &c. in vigore ætatis conſtitutus, temperamenti ſanguinei, corporis habitu paullò carnoſiore, deliciis indulgens, cum in Gynaceo qvodam illuſtri per choreas & tripudia nimium incaluiſſet, aeriq; frigido nocte intempeſtâ Colbergam repetens ſe expoſuiſſet, altero die calore febrili non admodum mordaci excandeſcens, qvaſi inflari & turgeſcere videbatur, facies & totum corpus rubore ſuffuſum, cutis halituoſo vapore madens, caput grave, reſpiratio difficilis, pulſus æqvalis ſed celer, magnus, vehemens; Urina non multum à naturali recedens, niſi qvod craſſior & rubicundior eſſet.

RESOLUTIO.

Febrim Synocham ſimplicem inflativam vulgo dictam indigitari, pro-

pronunciabam, qvatenus propter occlusionem meatuum cutis ab externo frigore inductam, transspiratio calidi effluvii prohibita. Hinc enim vaporum calidorum copia, in corpore succi pleno concentrata, fervorem sangvinis tenuioris & spirituum, hic verò cordi cõmunicatus febrim excitavit. *Calor* respectu aliarum febrium *blandus & non admodum mordax deprehenditur*, quia residet in materiâ tenui & minus acri: *Habitus corporis videtur inflari*, qvia venæ æstuoso turgent sangvine: *Halituosus adest vapor* ex attenuatis & ad cutem evocatis humoribus. *Caput ingravescit*, ob ascendentes fumos: *Respiratio est difficilis*, distentis copia pulmonum vasis arctatisque bronchiis: *Pulsus æqualis*, quia systoles sive contractionis usus non augetur, cùm febris hæc putredinis sit expers, nec ulla expellendi fuliginosa excrementa urgeat necessitas, quin & in Diastole sive dilatatione præter celeritatem & magnitudinem ad calorem febrilem eventilandum necessariam, nulla percipitur inæqualitas: *Urinæ non longe à naturali recedentes*, quod nulla humores in venis putredo inficiat, *crassior* tamen & paullo *rubicundior*, ob fuliginum retentorum copiam, calorisque excessum.

Cognitâ morbi naturâ, nihil periculi subesse, sed quatuor vel ad summum septem dierum termino febrim desituram, nî error subveniat, prædixi: In Curatione autem eò allaborandum, ut sangvinis copia imminuatur, fervor restinguatur, & obstructi meatus aperiantur; Præmisso itaque ad primas vias eluendas, enemate, ex basilicâ dextri brachii uncias circiter octo sanguinis detraximus. Hinc pro alteratione loco frigidæ, cui patiens minus adsueverat, exhibui Jolabium;

℞. Aq. cichor. Endiviæ, acetosæ aa ℥vj.
Syrup. berberorum granator. aa. ℥ijß.
Succ. limonum ℥ij. M.

Interdum mixturæ sequentis tantillum delibavit:

℞. Conserv. citr. ex pulpâ ℥iij.
Condit. lactuc. Hispanic. ʒvj.
Margar. præpar. ℈iß.
Syr. acetosit. citr. q. s.
M. F. Electuarium.

Epatis regioni ceratum santalinum, cordi verò tale Epithema tepidè impositum.

℞. Aq. rosar. opt. ℥iij
borrag. bugloss. aa ℥ij.
cordial. nostr. frigid. ℥iß.
Aceti de rubo idæo ℥j.

Spec.

Spec. pro Epithem. cordis ℈iiij.
Camphoræ gr. v. M.

Pro eliciendis sudoribus die tertio propinavi potiunculam:

℞. Aq. è typhis Cervorum ℥ij.
cordial. nostr. frigid. ℥j.
Lapidis Bezohar. gr. vij.
Syr. acetositat. citri ℥ß. M.

Eadem & quarto iterata est, felicissimo successu, sudoribus enim largissimè profluentibus, febris ex toto soluta est.

Victum præscripsi tenuem ex refrigerantibus & humectantibus, cremorem imprimis ptisanæ cum tantillo aceti rosacei, panatellam, juscula carnium, modò cum acetosâ recenti aut endiviâ, modo succo limonum alterata. Pro potu data est cerevisia hordeacea tenuis. Vinum usque ad perfectam infebricitationem omninò negatum.

CASUS IV.

Synocha cum putredine.

Nobilissimus Dominus CHRISTOPHORUS à Kottwiz inter præsidiarios Imperatoris Anno M. DC. XXX. Colbergam tenentes, Vexillifer Eqves, naturâ calidus, carnosus & bono corporis habitu præditus, victui liberaliori adsvetus, tempore verno præviâ quadam lassitudine tensivâ sine ullo frigore, horrore aut rigore, calore totius ad tactum vaporoso, minusque mordaci affligebatur absque intermissione, accedebat capitis dolor, inquietudo, vigiliæ, inappetentia, pulsus freqvens, magnus, inæqualis; Urinæ rubræ, crassæ & turbidæ.

RESOLUTIO.

Cum ex redundantiâ Sanguinis in vasis majoribus incalescentis & putrescentis Synocham putridam in corpore plethorico accensam, abundè constaret, primo omnium venæ sectionem instituendam censui, largam quidem, minimè tamen ad animi, ut nonnullis placet, deliquium, satius esse ratus, ut caloris præter naturam aliquid remaneat, refrigerantium usu facile restinguendum, quàm ut calor nativus simul exhauriatur. Omissis autem, quod alvus per se satis laxa esset, catharticis, ea saltem præscribenda duxi, quæ sanguinis

æstum attemperent & putredini resisterent:

℞. Aq. Endiv. acetos. cichor. ana ℥vj.
Syr. acetosell. granator. aa ℥ij.
Succ. citr. recent. express. ℥iß. M.
F. Jolabium.

℞. Conserv. pulpæ citri, violar. ros. rubrar. aa ℥ij.
Rob. ribium, berberor. aa ℥j.
Confect. Alkermes ℈ij.
Spir. ⊕li gt. xvij M.
F. Electuarium.

Capitis dolor Epithemate mitigatus est, cum petiis duplicatis fronti temporibusqve tepidè imposito, sæpiusqve repetito:

℞. Aq. nymph. lactuc. rosar. aa ℥ij.
Acet. rosac. ℥ß. M. pro Epithemate.

Appetitum acido ♀i & spiritu ⊕li violato excitavimus.

Vigiliæ usu emulsionis circa crepusculum exhibitæ, in soporem concessere.

℞. Sem. papav. albi ʒiiß.
4. frigid. maj. excort. ana ʒj.
Aq. lactuc. violar. papav. errat. aa ℥j.
M. F. Emulsio add. Margar. præp. ℈j. M.

Victum commendavi humectantem & refrigerantem ob caloris excessum; tenuem, cùm virium, tùm sangvinis abundantis respectu, qvo fine & carnibus aliisqve alimentis multum sangvinis generantibus interdictum, ut & calidis omnibus, imprimis vino, qvamvis ægrè sibi temperaret, homo intemperantissimus.

CASUS V.

Synocha cum maculis rubicundis.

A*NNO M. DC. XXIX. Mense Junio Nobilissimus Dn. Henning* von *Rhamel Eqvitum Magister, temperamenti calidi & humidi, synochâ putridâ gravissimè decumbebat cum insigni cordis angustiâ & inqvietudine, die qvarto erumpebant maculæ rubicundæ, primum in Dorso, postea & in thorace, brachiis & cruribus.*

RESOLUTIO.

Maculas has à malignitate qvidem venenatâ provenire, minus tamen periculi subesse, prædixi, qvod constantibus viribus, die critico & con-

concurrentibus qvidem signis coctionis, eruperint; Maturanda tamen auxilia esse duxi & cum statim inter initia, præmisso enemate, vena brachii jam ante macularum eruptionem incisa fuisset, sine morâ diaphoreticis convenientibus malignitatem expugnare tentavi, exhibitâ tali potiuncula:

℞. Aq. ulmariæ, pimpinell. Scabiosæ, Bezoard. nr. ana ℥j.
Pulv. nr. pretiosi. aurei ℈j.
Lap. Bezohar. g̃. vij.
Succ. citri ℥ß. M.

Interdum pulverem meum Bezoardicum, vel mixturam simplicem ex aqvâ meâ contra febres malignas exhibui, non neglectis cardiacis refrigerantibus & naturam roborantibus.

℞. Aq. nr. cordial. frigid. ℥iiij.
è typhis Cervor. absqve vin. destill. ℥iß.
flor. borrag.
Bezoard. nostr. ana ℥j.
Spir. rosar. de rubo idæo ana ℥j.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒij. M.

Extrinsecus cordis regioni, carpisque manuum Epithema applicatum est cum linteis duplicatis actu tepidum:

℞. Aq. rosar. opt ℥iiij. Meliss. ℥ij.
Bezoard. nostr. ℥j.
Acet. theriacal. ℥jß. M.

Pro alteratione præscripsi Jolabium;

℞. Aq. acetosell. ℥vj. flor. borrag. bugloss. ana ℥iij.
Syr. de rubo Idæo, berber. ana ℥ij.
Spir. ⊖li q. s. ad gratam aciditatem. M.

Sudavit largiter præsertim diebus criticis, convaluit decimo qvarto.

CASUS VI.

Causus exqvisitus.

Generosus & strenuus Dominus Johann: Longevall Eqvitum sub exercitu Cæsareo Magister, temperamenti calidi & sicci, sub finem mensis Junii Anno M. DC. XXIX. igneo qvasi calore, absqve ullâ rigoris præcedentiâ, uri videbatur, sitire indesinenter & vehementissime, respirare celeriter, corpus variè jactare, vigiliis perpetuis detineri, tandemque desipere: Pulsus deprehendebatur celer, freqvens & inæqvalis; Urina flammea & pauca, dejectiones cum aliqvali ventris morsu liqvidæ; lingva scabritie & nigrore infecta.

RESOLUTIO.

Causum sive febrim ardentem specialiter sic dictam, duo pathogno-

gnomonica signa, Calor nimirum urens & sitis inexplebilis perpetuò affligens, haud obscurè innuunt, natam à sanguinis biliosi intra vasa majora putredine, calorem continuum cordi suggerente.

Occasionem malo dedit Epatis intemperies calida & peculiaris proprietas ex alimentorum aromatibus calidioribus conditorum, viniqve potentioris immodico usu, contracta.

Respiratio est celerior propter necessariam halitus ferventissimi efflationem & frigidi aeris, qvem maximè appetit æstuans Æger, inspirationem.

Pulsus celer est & inæqualis, quod fuliginum putridarum impatientes arteriæ celeri compressione easdem elidere nituntur.

Sic & *Corpus* ab ingenti fervore, vaporumqve tenuium acrimoniâ subinde lacessitum, *de loco in locum* anxiè *jactatur*, delatæqve ad cerebrum exhalationes caliditate & siccitate suâ *vigilias* inducunt *& deliria*.

Urina autem excernitur *pauca* ob caloris serosam humiditatem absorbentis excessum qui & flammeam reddit affluente simul bilis tinctura, qvæ in ventrem simul præcipitata, morsus excitat, fæcesqve diluit.

Linguam verò continuus exsiccat ardor *aridamque facit & asperam*, inductâ per fuliginum adhærentiam, nigredine. Detectis causis hujus causis morbi quidem brevitatem, quatenus natura caloris & symptomatum vehementiam diu sustinere haud valeret, prædixi, sed cum periculo conjunctam, & quia velocissimus motus præcipitem occasionem ostendit, sine morâ, constantibus adhuc viribus, ad sanguinis incendium restingvendum, plenitudinem minuendam & vitium ipsius corrigendum phlebotomiam in brachio dextro institui, detracto ad uncias novem circiter sanguine.

Hinc ordinato victu refrigerante & humectante, Enema injectum est:

℞. Herb. violar. malv. Mercurialis,
Fol. lactuc. cucurbitæ aa mß.
Flor. nymph. p. j.
Prun. dulc. no. vij.
Coq. ex sero lactis caprini.
℞. Colatur. ℥x. Cass. recent. extract. ℥j.
Ol. violar. ℥ij.
Nymph. ℥i.
Sal. gemm. ʒi. M. F. Enema.

Datum quoque est ad subducendam alvum lenitivum ex decocto passularum & tamarindorum cum

cum Syrupo violarum solutivo.

Ad æstum febrilem compescendum exhibui nitrum præparatum cum aqvâ Endiviæ & cichorii, sed palato magis arridere visum est Jolabium:

℞. Syrup. ex succ. viol. ℥iij.
Spir. ⊕li gt. XXj.
Misce, posteà affund.
Aq. Endiv. lactucæ,
Nymph. aa ℔ß.
Mixta filtr. per chart. emporet.

Pro virium corroboratione præscripsi Mixturam cordialem;

℞. Aq. cordial. frigid. ℥iij.
cordial. nostr. ex succis flor. borrag. aa ℥ij.
Syrup. perlar. Orient. ℥jß.
M.

Interdum de conditura fructuum Ribes, berberorum vel Cerasorum ad fallendam sitim tantillum delibavit; Lingua & faucibus mucilagine Sem. Cytonior. & psyllii c. aq. violar. extractâ sæpiusculè inunctis; quo fine & oris collutionibus ex aq. sempervivi & nitro præparatis freqventissimè usus est.

Vigiliarum contumaciam Syrupo fl. Rhæados cũ aqvâ nostrâ Hypnoticâ diluto & Emulsione Sem. papaveris repetitim exhibitis edomavimus, inductis simul fronti & temporibus appropriatis topicis, usũ opiatorum internum reformidantes, ne crisis impediretur, quæ septimo per narium hæmorrhagiam largissimam superveniens, morbum solvit.

CASUS VII.

Tertiana continua.

Nobilis quidam Helvetius Johann-Jacob Tullian inter stationarios Cæsaris Colbergam ANNO M. DC. XXIX. occupantes, Capitaneus, temperamenti calidi & sicci, circa solstitium æstivum vehementi calore & siti assiduâ continuò sed magis tamen tertio die affligebatur, cum vigiliis immoderatis, lingvæ siccitate, oris amaritudine, pulsu veloci, duro & vehementi, Urinis flammeis, tenuibus &c.

RESOLUTIO.

Tertianam continuam exqvisitam sive Causum, calor urens & reliqva symptomata, inprimis circa tertium recurrens exacerbatio, horroris expers, indicabant, confirmante hoc ipsum constitutione corporis & intemperie Epatis calidâ & siccâ, quâ præditus Æger, cum victu calido, viniqve meracioris potu delectaretur, sæpe etiam in-

tempestivis & vehementioribus corporis exercitiis æstivo aere incalesceret, facilè in hanc febrim præcipitari potuit, collectâ ob causas modo allatas in corpore juvenili excrementitiæ materiæ copiâ.

Visum itaqve est, primò alvum leni Enemate ex refrigerantibus, emollientibus, & abstergentibus, subducere; Hinc incisa cubiti dextri basilicâ sangvinis circiter uncias novem detrahere, qvi cum admodum biliosus appareret, datum est cholagogum:

℞. Ceras. acid. exsicc. ℥j.
passul. minor. depurat. ℥iß
tamarindor. ℥ß.
Sem. 4. frig. maj. excort. ana ʒß.

Contund. in mortario lapideo ut fiat qvasi pulpa, affund.
Aq. Endiviæ q. s.

Ebulliant semel atqve iterum. In colaturâ ferventiss. infund.
Rhabarb. Elect. ʒij. Cinam. ℈ß.
Colatur. ℞. ℥ijß. Syr. violar.
Solutiv. ℥ß. ♀ri ⊕lat. g̃. iij. M.

Cum potiunculam hanc, ilico ac sumsisset, vomitu rejiceret, substitui Syrupum laxativum Regium ex rore majali, qvo leniter & cum εὐφορίᾳ purgatus est.

Pro alteratione serum lactis caprini cum succo acetosæ præparatum exhibui, ut & Jolabium qvod viscera simul roborat:

℞. Fl. rosar. rubr. exsiccat. mj.
Santal. rubr. ʒi. Affund.
Aq. cichor. Endiviæ,
acetosæ ana ℥vj.
Spir. ⊕li q. s. stent in loco calido per H. vij. postea colentur, add. succ. fruct. rubi Idæi ℥ij, Julepi violar. ℥iij. M. Interdum conservam rosarum ⊕latam, pulpam citri, mora recentia, ribes & id genus frigida, qvæ sitim simul fallunt, delibavit.

Sub noctem Emulsione Sem. papav. & 4. frigid. major. usus, non tantum melius qviescere, sed & urinas humore bilioso tinctas profusiùs reddere cœpit.

Ex topicis ceratum santalinum Epati, temporibus oxyrrhodinon, cordi autem tale Epithema applicatum est actu calidum:

℞. Aq. nostr. cordial. frigid. ℥ij.
rosar. opt. ℥iij.
acetosellæ ℥ij.
cortic. citr. ℥j.
Acet. de rub. Idæo ʒvj.
Camphor. ℈ß.
Croci g̃. vj. M.

Alimentorum loco oblata est ptisana hordeacea cum passulis & tantillo aceti de rubo Idæo, decoctum prunorum, cerasorum, juscula carnium acetosâ, lactucâ, Endiviâ vel succo citri alterata, carnes pullorum

rum, cum foliis acetosæ elixæ, pisces saxatiles &c.

Pro potu inter initia aqvam hordei excorticati cum passulis & syrupo granat. acidorum; posteà & cerevisiam Colbergensem tenuem, tandem & vini dilutioris haustulum, concessi, morbo septem exacerbationibus feliciter terminato.

CASUS VIII.

Qvotidiana continua.

LIDGARDIS Kundenreichia, Virgo religiosa, temperamenti frigidi & humidi, toto vitæ cursu, ob femoris luxationem, sedentaria, mense Februario Anni M. DC. XXXIII. calore continuo, minus qvidem acri, sed singulis diebus circa vesperam, sine ullâ horroris notâ, vehementius insurgente, vexabatur, cum aliqvali capitis & ventriculi dolore, pulsu minus celeri sed lato & molli, urinis subruffis, crassis &c.

RESOLUTIO.

Humorem pituitosum in venæ cavæ propaginibus putrescentem, febrim hanc peperisse, nullum est dubium. Etenim cum phlegmaticæ constitutionis esset Ægra, cibisqve sæpius uteretur concoctu difficilibus, viscidis, lentis, piscibus imprimis & lacticiniis potuqve cerevisiæ tenuis, accedente vitâ sedentariâ, fieri non potuit, qvin multum pituitæ in corpore præsertim frigido & humido cumularetur, qvod ipsum & facies subtumida, color plumbeus, propensio in somnum aliaqve humoris pituitosi indicia confirmare videbantur.

Cognitâ causâ, morbi diuturnitatem ob materiæ peccantis crassitiem & tenacitatem, prædixi, simul ac Curationi me accingens, principio ad evacuationem ventriculi & primarum viarum, cum Clysteres, virginei plena pudoris recusaret, decocti nostri laxativi uncias ijß. exhibui. Hinc ad humoris pituitosi præparationem & concoctionem præscripsi mixturam:

℞. Aq. hyssopi
Card. bened.
agrimon. ana ℥ij.
Syr. nostr. aperitiv. ℥iij.
Spir. ⊕li gt. xv.

 Mixta

Mixta filtrentur per chartam emporeticam pro tribus dosibus.

Apparentibus aliqvâ ex parte coctionis signis, ad subducendam pituitam pulvisculum ex Hydromelle Lithvanico præbui:

℞. Magister. Agaric. ℈j.
Pulv. Gialapp. gr. vij.
♀ri ⊕lati gr. iij.
Ol. cinam. gt. j. M.

Altero die pro abstersione Cremorem ♀ri cum sale absinthii ex cerevisiâ calida cum pauco saccharo porrexi, seqventibus usa est Electuario:

℞. Conserv. ros. ⊕lat. ℥ij.
beton.
chamædr. aa ℥iß.
Cort. aur. condit. ʒvj.
Rad. Enul. condit. ℥ß.
Spec. aromat. rosat. ℈iiij.
Syrupi ex succ. Card. bened. q.s.
M. F. Electuarium.

Interdum ad incidendam pituitam & putredinem inhibendam guttulas aliqvot spiritus ⊕li vel ⊖ ex brodio carnium non pingui delibavit; Nonnunqvam ab usu Medicamentorum cessatum & qvieti aliqvid datum est. Mox iterum præparantia & purgantia per vices exhibita, cum certum sit, in omnibus morbis, ex crassis & viscidis humoribus natis, materiam peccantem semel & unâ vice perfectè non tolli, sed per intervalla & iteratis vicibus concoqvendam & evacuandam esse. Præparationi qvidem Decoctum nostrum præparans pituitam cum Syrupo aperitivo mixtum; Evacuationi autem Magisterium Agarici cum extracto nostro solutivo in pilulas redactum optimè inserviit.

Imminutâ hoc modo materia, tandem & sudores aliqvoties provocati:

℞. Aq. nostræ antifebritic. ℥iiß.
Theriacal. ℥ß.
Mixtur. simpl. ℈j. M.

Virium langvori profuit aqva Cordialis Herculis Saxoniæ, carbunculi, Cinamomi cum floribus borraginis absqve vino destillata &c. Ventriculo Elix. propr. Paracelsi, Elixir stomachale nostrum, Spiritus ⊕li, Zingiber in china conditum, ceratum stomachale Augustanorum & similia.

His methodicè & repetitim adhibitis, observatoqve decenti victus regimine contumacissima febris tardè qvidem, sed DEI gratiâ feliciter debellata est, nullâ viscerum labe aut symptomatum relicto vestigio.

CASUS IX.

Tertiana intermittens exqvisita.

Anno

ANNO M. DC. XXXVIII. Mense Junio Fortissimus Heros Dn. Adam von Pfuel *excubiarum in exercitu Svecico Præfectus Generalis, temperamenti calidi & sicci, vehementi rigore correptus, mox acerrimo & mordaci calore per totum corpus diffuso, urebatur, cum qvadam spirandi difficultate, siti vehementissimâ, oris amaritudine & siccitate; vomitu bilioso, capitis doloribus, pulsu primò qvidem parvo, debili & tardo, invalescente autem paroxysmo, veloci, magno & vehementi, urinis subflavis &c.*

RESOLUTIO.

A bile excrementitia in venis Mesaraicis putrescente, febrim tertianam intermittentem accensam & qvidem exqvisitam, augurabar, qvod non solum rigor vehementior esset, qvàm in primâ qvotidianarum vel qvartanarum accessione, sed & calor, qvamvis primo manus occursu satis acer & mordax, remissior tamen qvam in ardentibus, qvi admotâ manu superari neqvit, deprehenderetur, concurrentibus & aliis indiciis, oris scilicet amaritudine, vomitu bilioso, pulsu, urinis, temperamento ægri & inprimis ἀπυρεξίᾳ, spacio novem horarum remittente febri, cum tertianæ nothæ plerumqve ad 15. ad 18. Horas extendantur.

Præmisso itaqve de morbi securitate & brevitate prognostico, humorem biliosum, cujus pars vomitu jam rejecta, per alvum, qvo declinare ex vagis doloribus & excernendi conatu videbatur, subducendum esse duxi, tali pharmaco;

℞. Rad. acetos. cichor. aa. ʒiij.
Fol. Endiviæ mß.
Flor. violar. borrag. bugloss. aa p. j.
Passul. minor. tamarind. aa ℥ß.
Fol. Sen. s. s. ℥iij. Incis. & conqvassat. coq. ex aq. cichorii.
℞. Colatur. ℥iiij. Rhab. elect. ʒij.
Cinam. ℈j. stent infusa per noctem, manè ebulliant & exprimantur, add. syr. rosar. solutiv. ℥j. M.

Potiunculam hanc altero statim à primâ invasione, die, exhibui horâ sextâ matutinâ, post decimam relaxatâ jam qvinqvies alvo, suasi pro abstersione ptisanam hordeaceam cum passulis sorbillaret, ex qvo iterum tribus assellationibus multa biliosa excrevit: Circa duodecimam de pullo gallinaceo cum foliis Endiviæ cocto, tantillum degustavit, & cum sitis vehementer urgeret, syrupum ex succo viola-

Digitized by Google

rum cum cerevisiâ tenui & micâ panis in modum intriti, einer Kaltenschale / uti vocant, commendavi.

Tertio die horis duabus ante invasionem ad discussionem materiæ febrilis exhibui sudorificum specificum, alterans simul & putredini resistens:

℞. Aq. nostr. antifebr. ℥ij.
Cordial. frigid. ℥j.
Mixtur. simpl. ℈j. M.

Ad frenandam bilis ferociam caloremq; mitigandum præscripsi tale Jolabium;

℞. Aq. cichor. Endiv. acetos. ana ℥vj
Syr. berber. granat. acid. flor. Rhæad. ana ℥j.
Succ. citr. recent. express. ℥iß. M.

Qvarto, qvi erat intermittens, de venæsectione deliberatum est: Ego omittendam censui, tùm qvod sanguis copiâ minimè peccaret, tùm qvod coctionis signa in Urinis jam apparerent.

Interim pro alteratione caloris febrilis & Epate refrigerando, roborandoqve præscripsi Electuarium:

℞. Conserv. rad. cichor.
rosar. ⊕lat. ana ℥ij.
Spec. diatr. sant. diarrh. ana ʒj.
Confect. Alkerm. ℈iiij.
Lactuc. Hispan. condit. ℥j.
Syrup. berberor. q. s. M.

Qvinto & septimo die, tribus ante paroxysmum horis repetiit mixturam diaphoreticam, sudavitqve copiosissimè.

Sexto & seqventibus Electuario usus est & Jolabio supra descriptis.

Post septimum convaluit.

Esculentis vescebatur boni succi & facilis coctionis, simulqve refrigerantibus & humectantibus, ptisanâ imprimis hordeaceâ cum passulis, panatellâ, carnibus vitulinis, agninis, pullorum cum Endivia & acetosa coctis. Dulcibus, salsis & acribus interdixi, qvod facile in bilem degenerent. A vino usqve dum signa coctionis apparerent, abstinuit, cerevisiâ tenui hordeaceâ & Jolabio contentus.

CASUS X.

Tertiana simplex Unica purgatione curata.

ANNO M. DC. XXXIV. Mense Septembri Nobilissimus & Amplissimus Dn. Felix Braunschweig Civitatis Colbergensis Camerarius, nunc Consul meritissimus, incidit in febrem tertianam simplicem: In primâ accessione, me absente nihil

hil medicaminis adhibitum; In Secundâ, cum vehementior videretur, ex Hortolino meo, qvò animi relaxandi causa, urbici carceris pertæsus secesseram, revocatum consuluit: Præscripsi ad febris ardorem restinguendum, sitimq; compescendam Jolabium:

℞. Aq. acetos. cichor.
Endiv. ana ℔ß.
Syr. ex succ. berb. ℥ijß.
Rob. ribium ℥ij.
Spir. ⊖li q. s. ad gratam aciditat. M.

Altero die ad materiam in primis viis hærentem, & expultricem irritantem pulverem meum Cholagogum ex decocto prunorum & passularum exhibui. Rejecit ἄνω κ̀ κάτω magnam humoris biliosi copiam, & sic Dei gratiâ, nullo amplius superveniente paroxysmo, integre convaluit. Sub finem ejusdem mensis & Conjux Dni Consulis eadem febri correpta, eodem qvoqve remedio feliciter restituta est.

Freqventissimæ circa id tempus erant tertianæ febres, verùm sumpto pulvere modo dicto, plerique liberati sunt. Si qvos paroxysmus post usum Cathartici hujus denuò invaderet, illi nihilominus, provocatis aquâ nostrâ antifebritiâ, sudoribus, brevi convaluerunt.

CASUS XI.

Tertiana legitima aceto absinthii curata.

ANNO M. DC. XXIV. mense Julio Amplissimus & prudentissimus Dn. Joachimus Ducherovius, tunc temporis Senator, postmodum Consul Colbergensis dignissimus, febri tertianâ legitimâ graviter decumbebat, cumq; in ipso paroxysmi insultu vehementer sitiret, arrepto vitro, in qvo uxor ejus absinthii comas cum aceto vini, pro pestis, qvæ tum grassabatur, prophylactico, infuderat, repetitis haustibus acetum illud bibit, paullo post multum bilis flavæ per alvum & urinas excrevit & sic præter spem à febri liberatus est.

Sublatâ scilicet morbi causâ. Absinthium enim vim habet materiam biliosam detergendi & cum per alvum tùm per urinas educendi. Unde & Galenus 1. ad Glauc. cap. 9. absinthium in febribus biliosis valdè commendat. Acetum verò iis qvi amaræ bilis succo abundant, utilissimum est, Galen. 1. de simpl. med. facult. cap. 31.

CA-

CASUS XII.
Tertiana notha.

ANNO M. DC. XXVIII. circa Æqvinoctium vernum D. Carolus d' Arboes, Dominus in Mojen, Exercitus Imperatorii Capitaneus, temperamenti calidi & humidi, consistentis ætatis, horrore totius, mox calore non admodum acri tentabatur, cum dolore capitis tensivo, vomitu biliofo & pituitoso, siti qvidem aliqvà sed tolerabili, urinis subflavis, crudis, paroxysmo qvatuordecim horarum decursu, intermittente.

RESOLUTIO.

Tertianam notham sive spuriam ab humore biliofo cum pituita mixto, natam, denotabat
1. Horror, medium qvid inter frigus & rigorem, ob bilis & pituitæ mixturam: 2. Calor mitior qvàm in exqvisitâ, propter fuligines ab humore pituitoso temperatas. 3. dolor capitis tensivus à vaporibus pituitosis. 4. vomitus bilis & pituitæ, cumulatis circa coctionis viscera iisdem humoribus. 5. Sitis nõ adeò vehemens, qvatenus acrimonia & calor bilis, interventu pituitæ obtunditur. 6. Urinæ subflavæ crudæqve ab eadem humorum mixturâ. 7. Paroxysmus extensior, quàm in purâ propter materiæ crassitiem.

Investigatis morbi causis diuturnitatem qvidem magis metuendam, quàm periculum præmonui, simulqve curationem ab evacuatione materiæ circa ventriculum & proximas vias hærentis, auspicatus, die intermissionis potiunculam exhibui:

℞. Decoct. nr. laxativ. ℥ijß.
Syr. rosar. solutiv. ℥ß.
Crem. ♀ri ℈j. M.

Hinc ad humorum permistorum præparationem præscripsi digestivum:

℞. Rad. cichor. ℥j. asparag.
fænicul. liqvir. ana ℥ß.
Fol. Endiviæ, Carduib.
Centaur. min. ana mß.
Flor. cichor. borrag. ana p. j.
Sem. 4. frigid. maj. ana ʒj.
passul. minor. ℥j.
Incis. & conqvass. coq. ex s. q. aq simplicis.
℞. Colatur. ℥x.
Syr. nostri aperitiv. ℥ii
Spir. ⊕li gt. xiij. M.
pro quatuor dosibus.

Præparatam hoc modo materiam paullo fortiori pharmaco eliminandam duxi, qvale est hoc:

℞. Pulv. nostr. solutiv. ʒß. gr. iij.
♀ri ⊕lat. gr. v. M.

In mortar. lapideo.
F. pulvis ex cerevisia calidâ sumendus.

Perseverante nihilominus febri, denuò repetita est præparatio, usu ♀ri ⊕lati ex jure carnium non pingui aliqvoties exhibiti, iteratis postea & catharticis convenientibus.

Tandem ad materiæ febrilis reliqvias discutiendas sudores provocavimus, cum sine his rarò febris aliqva perfectè & sine recidivæ metu curetur, ècontra diaphoreticorum recto usu sæpe paroxysmus planè tollatur, discusso scilicet & è corpore prorsus expulso inqvinamento illo, qvod à paroxysmo relictum reliqvos humores iterum corrumpit.

℞. Aq. nost. antifebr. ℥ijß.
Syr. ex succ. Card. ben. ℥ß.
Acet. nostr. Theriacal. ℥ij. M.

Interea & visceribus prospectum est, ne ex diuturnâ febri labem contraherent, difficulter postea eluendam.

℞. Conserv. radic. Cichor. ℥iij.
acetos. ℥j.
Spec. aromat. rosat. ℈ij
diamargar. frigid.
diarrhod. Abb. ana ʒj.
Flor. citr. condit. ℥ß.
Syr. de cortic. citr. q. s. F.
Electuarium.

Capitis dolor ungvento Alabastrino & populeonis mitigatus est.

Diebus accessionum imperavi jejunium ordinato ad refectionem gratissimi saporis Jolabio, qvo ipso & sitis sedata est:

℞. Aq. fruct. rubi Idæi,
cichor. fragor. ana ℥vj.
vini granat. dulc. ℥iß.
syr. acetosit. simpl. ℥ij.
ex succ. Endiv. ℥iß.
Spir. ⊕li q s. ad grat. acidit. M.

Cæterum in victu mediocritas observata, ita qvidem ut paullo largior qvam in exqvisitis concederetur, cibiqve refrigerandi & humectandi vi præditis etiam incidentia & attenuantia miscerentur. Pro potu autem cerevisia Colbergensis & tantillum vini albi tenuis indultum est, qvatuordecim insultibus devictâ febri.

CASUS XIII.

Tertiana pura.

ANNO M. DC. XXX. Illustrissimus Dominus, Dn. Luisi Matthæi Marchio &c. constitutionis sangvineæ, ætatis viginti circiter annorum, in febrim tertianam puram sive exqvisitam incidit cum vehementi rigore & hunc subseqven-

sequente calore acri & mordaci, siti, vigiliis, capitis doloribus &c.

RESOLUTIO.

Vocatus in ipso paroxysmo, ad compescendam sitim, urgente Ægro, præscripsi Jolabium:

℞. Aq. Endiv. Acetosell.
Cichorii ana ℥vij
Syr. ex Succ. acetos. Endiv.
vin. granat. ana ℥iß.
Succ. citr. recent. express.
℥ijß. M.

Altero die qvi erat intermissionis injectum est Enema:

℞. Violar. Malv. Endiv. ana mj parietar. mß. fl. cham. p. 1. Sem. aneth. ʒiß. Coq. ex aq. simpl. ℞. Colatur. ℥x. Cass. recent. extract. ℥j. ol. viol. chamæmel. ana ℥j. Sal. gemm. ʒß. M.

Tertio ubi paucis ante paroxysmum horis guttulas aliquot spiritus ⊕li violati ex jusculo carnium sumsisset, multum bilis flavæ iteratis vomitionibus rejecit.

Qvarto propter sangvinis in corpore evsarco & juvenili redundantiam fecta est vena dextri brachii, sangvisqve ad ℥vij. detractus.

Ad refectionem virium, caloremqve febrilem demulcendum per intervalla usus est aqvâ nostrâ cordiali frigidâ, cum aq. fl. borragin. & Endiviæ, conservâ item rosar. ⊕latâ, jusculis alteratis succo citri, foliis recentibus acetosæ, Endiviæ &c.

Inter alia verò serum lactis caprini valdè appetebat, ex cujus largiore potu cum alvus qvotidie magnam humoris biliosi copiam deponeret, nullâ amplius purgatione opus fuit, imò nec aliis medicamentis, febri qvatuor periodis totaliter deflagrante.

ANNO M. DC. XXXIX. mense Junio pro Filiolâ Magnifici & Nobilissimi Dn. Nicodemi Lilienströhms Serenissimæ Reginæ Sveciæ Consiliarii. &c. Ordinavi.

Ad humoris biliosi evacuationem:

℞. Decoct. tamarind. ex sero lact. caprini ℥ij. Extract. Rhab. ℈ß. Syr. ros. solutiv. ℥ß. M. S. Laxier-Tränckleín.

Ad ejusdem humoris alterationem calorisqve refrigerationem:

℞. Aq. Endiv. cich. acetosell. ana ℥iiij.
Syr. acetosit. citr. ℥iß.
vini granat. acid. ℥ij. M.
S. kühlender Julep.

Ad inqvinamenti febrilis discussionem:

℞. Lap.

℞. Lap. Bezoard. gr. iiij. Corn.
Cerv. absqve △ præp. ℈ß.
Aq. nr. antifebriticæ ℥iß.
Syr. acetos. citr. ℥ß. M.
S. Schweißtränckleín.

Ad virium corroborationem:

℞. Aq. nr. cordial. frigid. borrag. ana ℥iiij.
Margar. præp. ℈ij.
Spir. rosar. gt. vij. Rotul.
man. Christi perlat. ʒiß.
M. S. Krafftwässerlein.

Eodem anno mense Junio, Nobilissimam Virginem Eleonoram Hagemeisters / *febri tertiana decumbentem, Dei gratiâ restitui seqventibus remediis:*

℞. Decoct. flor. & fruct. ℥ij.
Pulv. nri Cholagogi ℈j.
Syr. violar. solut. ℥ß.
♀ri ⊖lat. gr. v.
M. S. Laxier-Tränckleín.

℞. Rad. acetosæ groß. modo incis. & conqvass. ℥j
Coq ex aq. simpl. donec rubedinem acqvirat liqvor.

℞. Colaturæ ℔jß.
Syr. berber. de Endiv. flor.
Rhæad. ana ℥iß.
Succ. citr. recent. express. ℥ij.
M. S. kühlender Julep.

℞. Conf. rosar. ⊖lat. ℥iij.
Condit. lact. Hispan.
flor. citr. ana ʒvj.
Confect. de Hyacynth. ʒj.
Syr. rub. Idæi q. s.
M. S. Stärckung.

℞. Aq. rosar. opt. ℥ij.
fruct. rub. Idæi ℥iß.
Acet. rosar. ℥j. M.
S. Pulswasser.

℞. Pulv. nostri antifebrit. perlati ℈j.
Aq. nr. antifebrit. ℥ij.
Cordial. frig.
Bezoard. ana ℥ß.
Acet. ex succ. rub. Idæi ʒiij.
M. S. Schweißwässerlein.

ANNO M. DC. XLI. Nobilissimus Dn. Ewald von Podewils / *olim sub exercitu Cæsareo Colonellus-Locum tenens, temperamenti calidi & sicci eandem febrim tertianam qvinqve insultibus recurrentem, feliciter evicit, usu Medicamentorum subseqventium:*

℞. Seri lact. caprin. q. s.
Infund. per noctem
Rhabarb. optim. ʒijß
Cinam. elect. ℈ß.
Mane ebulliant leniter & colent. c. express.
add. syr. rosar. solut. ℥j.
Elect. de succ. rosar. ʒiß.
M. F. potiuncula purgans.

℞. Rad. cichorii ʒvj. acetos. ℥ß.
Fol. Endiv. taraxic. ana mß.
Flor. borrag. bugloss.
violar. ana p. j.
Sem. 4. frigid. major. ana ʒj.

Coq. ex s. q. aq. hordei
Colatur. ℞. ℔iß. add.
Syr. ex succ. granat. acid. acetosit. simpl. ana ℥ij.
M. F. Decoctum alterans.
℞. Aq. Endiv. Cichor. acetos. ana ℥vj.
Syr. acetosit. citr. ℥iij.
Julepi violar. ℥j.
Spir. ⊖li q. s. ad grat. aciditat.
M. F. Jolabium.
℞. Aq. Corn. Cerv. acetos. Card. ben. ana ℥j.
Pulv. nr. antifebr. ℈iß.
Syr. acetosit. citr. ℥ß.
M. F. sudoriferum.

Mense Junio ejusdem anni Dno. Petro Larssonio febri tertiana exqvisitâ detento præscripsi.

Ad materiam febrilem ex venis mesaraicis & vicinis locis evacuandam:

℞. Decoct. Tamar. & passul. ana ℥ijß.
Pulv. nri Cholagogi ℈j.
Syr. rosar. solut. ℥vj. M.

Ad humorem biliosum attemperandum, caloremqve restinguendum:

℞. Syrup ex succ. viol. ℥ijß.
Spir. ⊖li correct. gt. xxj.
Misc. exactiss. postea affund.
Aq. Endiv. acetos. cichor. ana ℥vj.
Misce denuo.

Ad inqvinamentum sive fermentum putredinosum per sudores discutiendum;

℞. Aq. taraxic. Card. ben. ana ℥iß.
Pulv. nostr. antifebr. ℈iß.
Syr. acetos. citr. ℥ß.
Acet. de rub. Idæo ʒij. M.

Ad epar refrigerandum & roborandum:

℞. Conserv. rad. cichor. ℥ij.
flor. ros. rubr. ℥j.
Condit. lactuc. Hispan. ʒvj.
Spec. diatr. santal. ℈iiij.
diarrh. ℈ij.
Syrup. de Endiviâ q. s.
M. F. Electuarium.

Extra ceratum santalinum alutæ inductum regioni Epatis applicatum est.

Ad sitim compescendam præter Jolabium supra descriptum commendavi serum lactis caprini cum succo limon. præparatum, aqvam hordei, Tincturam rosar. succum granatorum acidorum, fruct. berberor. ribium, rubi Idæi, cerasa acida, fraga &c.

Ad capitis dolorem mitigandum:

℞. Pulv. lign. Rhod. subtiliss. ℈iij.
Aq. rosar. ℥ij. verbenæ ℥j.
Acet. rosac. ℥ß. M. pro Epithemate.

Ad somnum conciliandum:

℞. Sem. papav. alb. ʒiij.

4. fri-

4. frigid. maj. excort. ana ʒj.
Aq. lactuc. viol. rosar. ana ℥j.
M. F. s. a. Emulsio.

Iisdem ferè remediis, paucis mutatis à febri tertianâ simplici, divinâ favente gratiâ plures alii liberati sunt, præsertim ex ordine militari, qvorum robustiores solo pulvere meo Cholagogo, die accessionis septem circiter ante paroxysmum horis exhibito, cum alibi, tum in castris Svecicis ad Tribbeseam An. M.DC.XXXVIII. feliciter curavi.

CASUS XIV.

Tertiana paralysi superveniens.

R*Everendus Dn. Jacobus Staphylus Ecclesiæ Zerbensis Pastor benè meritus, sexaginta circiter annorum, paralysi sinistri lateris aliqvandiu affectus, incidit in febrim tertianam notham cum horrore totius, at calore non admodum acri, dolore capitis tensivo, paroxysmo ultra qvatuordecim horas extenso.*

RESOLUTIO.

Cum in omnibus nervosi generis affectibus, qvi à pituitosis & frigidis humoribus fiunt, ut sunt apoplexia, paralysis &c. febris superveniens non parum adjumenti adferat teste Galeno 2. prorrhet. Aphoris. 50. initio qvidem contra hanc febrim minime pugnandum, sed totum negotium naturæ committendum esse duxi, siqvidem & Practicorum nonnulli de industriâ febrim exhibitâ Theriacâ & confectione anacardina aut oleorum calidorum circa pulsus temporum & brachiorum inunctionibus, accendendam putant, ut hoc modo humores pituitosi exsiccentur & absumantur: verùm cum vires, qvarum in omni morbo potissima habenda est ratio, à paroxysmorum ad 15. ferè horas sese extendentium longitudine non parum debilitari animadverterem, tempestivè malo huic occurrendum ratus, ad humoris pituitosi & biliosi præparationem & evacuationem, habito simul respectu ad paralysin tale decoctum præscripsi:

℞. Rad. cichor. ℥j. fœnicul. asparag. polypod. qverc. ana ℥ß.
Enulæ, pæon. ana ʒiij.
Herb. Endiv. Capill. ♀is. Chamædr. Chamæpyth. Card. bened. beton. meliss. ana mß.
Flor. borrag. bugloss. violar. primul. ver. Stæch. Arab. ana p. j

Sem. 4. frigid. major. ana ʒß.
fœniculi ʒj.
Passul. minor. ℥iß.
Incisa & conqvassat. coq. ex s. q. aqvæ hordei. ℞. Colatur. ℔ijß. In libra una infunde Fol. sen. s. s. ʒvj. Rhabarb. Elect. ʒij. Agaric. albiss. ʒiij. Turbith. elect. ʒij. Zingib. ℈ij. Cinam. ℈j. stent benè tecta in loco calido per noctem, manè ebulliant, exprimantur fortissime & colentur, add. syr. de cichorio cum Rhabarb. ℥ij. rosar. solutiv. ℥j. M. D. in fictili f. Decoctum laxativum.

In residuo decocti superioris dissolve syrupi aperitiv. Minder. ℥iiij. S. Decoctum præparans. Decocto hoc bipartito usus est alternatim, modò illud qvod ex solis præparantibus, modò id qvod ex præparantibus & purgantibus mixtum est, sumendo; ita tamen ut plures dies præparationi qvàm evacuationi darentur.

Ad virium refectionem calorisqve febrilis attemperationem ordinavi Electuarium;

℞. Conserv rad. cichor. ℥iij.
violar. borrag. ana ℥j.
tunic. rorism. ana ℥ß.
Spec. aromat. rosat. ʒj.
diarrhod. Abbat.
diamargar. frig. ana ʒß.
Conf. Alkermes ℈iiij.
Syr. Corallin. q. s. M.

Eodem fine & Julapium qvandoqve exhibitum:

℞. Aq. cerasor. nigr. ℥vj.
Aq. flor. citri, borrag. ana ℥iij.
Syr. flor. tunic. ℥ij. acetosit. citr. ℥iß. M.

Ad materiæ febrilis discussionem profuit sudoriferum per vices, aliqvot ante paroxysmum horis propinatum:

℞. Aq. Card. bened. ℥ij.
Lappæ major. ℥j.
Theriac. nostr. ʒij. M.

Debellatâ febri, recollectisqve viribus, ipsam Paralysin aperto Marte aggressi sumus, apparatu & mediis infra libro 2. casu 13. descriptis.

CASUS XV.

Tertiana Scorbutica.

A*NNO M. DC. XXXV. Amplissimus & Prudentissimus Dominus JEREMIAS BIELKE Consul Colbergensis, tertio qvoq; die rigore vehementi, mox calore mordaci & acri corripiebatur, de angustia pectoris, spirandi difficultate, crurumqve lancinationibus multùm qverulus; Pulsus in ipso etiam febris vigore parvus & inæqvalis deprehendebatur, Urina crassa, turbida, rubicunda, viscidi-*

tate

tate quadam matulæ parietibus adhærescentes.

RESOLUTIO.

Scorbutum febri huic complicari, anxietates circa præcordia, crurum lancinationes, urinæ item & pulsus haud obscurè innuebant, concurrentibus & aliis indiciis, gingivarum scilicet levi attritu sangvinem fundentium flacciditate & corruptione, macularumqve varii coloris sparsim in tibiis & reliqvo corpore efflorescentiâ.

Præmisso itaqve ad viarum communium evacuationem convenienti enemate, plenioris purgationis gratiâ propinavi potiunculam;

℞. Fol. sen. à stipitib. opt. mundat. ℥ß.
Rhabarb. Elect. ʒiij
Zingiber. Cinam. ana ℈j.
Fol. Endiv. Card. bened. acetos. ana mß.
Conf. cochl. nast. aqvat. ana ʒiij.
Flor. borrag. violar. ana p. j.
Infund. in aq. taraxic. q. s. postea leniter ebulliant & colentur.
℞. Colatur. ℥iijß.
Elect. ex succ. rosar. ʒj. M.

Pro alteratione & præparatione commendavi serum Lactis caprini succis refrigerantibus & humectantibus aperiendique vi præditis non minus ac appropriatis sceletyrbicis temperatum:

℞. Seri lact. caprin. ℔ij.
Succ. depurat. cichor. Endiv. ana ℥ij.
cochlear. bekabung. ana ʒijs.
Syr. aperitiv. Minder. ℥iiij.
de cort. citri ℥j. M.

Hinc iterata est purgatio usu pulveris nostri Cholagogi ex decocto passularum & tamarindorum exhibiti.

Tandem & sudores provocati, qvibus largiter aliqvoties emanantibus, febris ex toto disparuit, cessantibus ad tempus & Scorbuti symptomatibus; malum enim hoc radicatum & qvasi hæreditarium circa autumni subseqventis initium recruduit, sensimque serpens, labefactatâ viscerum œconomiâ, Ægrum senio confectum usumqve medicamentorum formidantem è medio sustulit Anno M. DC. XXXX.

CASUS XVI.

Febris Qvotidiana intermittens.

Illustris & Generosus Dominus, Dn. Bartholomæus Hartman Baro de Hartenberg &c. temperamenti frigidi & humidi,

di, facie albicans, potor aqvæ, à cerevisia & vino per naturam abstemius Mense Martio Anni M. DC. XXVIII. qvotidie sub vesperam leni frigore absque rigore prehendebatur, succedente paullatim calore ineqvali, halituoso magis qvam acri & mordaci, cum propensione in somnum & dejecto appetitu. Urinæ in principio reddebantur albæ, tenues & crudæ, post qvartum crassiores, turbidæ, subrufæ; pulsus parvus, rarus, tardus, paroxysmus, cum animi deliqvio ingruens ad octodecim ferè horas extendebatur.

RESOLUTIO.

Rarissimam esse febrim qvotidianam & specie tertianæ duplicis sæpius imponere minus exercitatis, nullum est dubium. Etenim non facilè id incendium concipit pituita, humor suâ naturâ frigidus, humidus & crassus, ut in febrim exardescat.

Fieri tamen hoc aliqvando cum putrescit, rationi consentaneum est, ut experientiâ manifestum, prout exemplis ab observationum scriptoribus passim annotatis aperte constat, qvibus & hoc nostrum accedit in Illustri Barone, qvi cum phlegmaticæ constitutionis esset, alimentisqve delectaretur naturâ humidis & frigidis, potu imprimis aqvæ frigidæ, crudæ, à cerevisia, Hydromelite, vino &c. abstemius, facile in hanc febrim incidere potuit, & qvidem tempore verno, ubi collecti per hyemem pituitosi humores, qvasi ebulliunt & effervescunt, putredinis notis sese exserentibus.

Circa vesperam autem singulis diebus repetit invasio, ob pituitosi humoris motum & simili qvidem typo, qvo ipso à tertiana duplici discernitur, cuivis qvælibet febris peculiare suum principium observat.

Rigoris expers est, ob materiæ benignitatem qvæ naturæ non est adeò inimica, tùm qvod calor ex putredine remissior, segnius naturam lacessit, qvi ipse & inæqvalis est, qvia in materia frigida humida & crassâ difficulter accenditur, tardeqve invalescit, unde & minus mordax urensqve sed halituosus magis deprehenditur.

Dormiendi vero necessitas sive propensio in somnum, ab exhalationibus, qvas excandescens ad cerebrum mittit pituita, dependet.

Appetitus dejicitur ob caloris nativi debilitatem, orisqve ventriculi, qvod in hac febre afficitur, languorem.

Urinæ in principio albæ, tenues & crudæ, ob materiæ copiam qvæ & meatus obstruit & calorem nati-

vum

rum obruit, posteà crassiores, turbidæ, & subrubræ, propter calorem auctum, concoctamqve jam materiam, cujus portio cum Urinis excernitur.

Pulsus parvus, rarus & tardus ob humorem naturæ vires aggravantem & opprimentem.

Paroxysmus cum animi deliqvio ingruit, propter vehementem pituitæ commotionem, qvæ in ventriculum & jecur sese diffundens, motum spirituum qvodammodo sistit, & cum materiæ peccantis, in meatibus diutius hærentis motus sit tardissimus, mirum non est qvod ad octodecim horas extenditur.

Perspectâ, hoc modo, morbi naturâ, Curationem, qvam difficilem tardamqve fore prædixi, à primarum viarum evacuatione exorsus, tale enema præscripsi:

℞. Fol. branc. ursin. parietar.
Mercurial. ana mß.
Flor. chamæmel. p. ij.
Summit. aneth. p. j.
Sem. anis. fœnic. ana ʒj.
carthami ʒiij.
Incis. & conqvass. coq. ex. s. q. aq. simplic.
Colatur. ℞. ℥x. ol. cham.
rutac. ana ℥j.
Electuar. diaphœnic. ℥j.
Sal. gemm. ʒj. M.

Hinc ad humoris pituitosi incisionem & attenuationem aliqvot diebus exhibui seqventem mixturam;

℞. Aq. beton. cichor. Centaur. min.
agrimon. ana ℥iij.
Cinam. ℥j.
♀ri ⊕lat. ℈ij.
Sal. absinth. crystallis. ℈ß.
Oxymel. Prævotii ℥iij.
Misceantur in mortario lapideo & filtrentur per chartam emporeticam.

Præparatæ materiæ magnam partem tali potiunculâ feliciter & sine molestiâ eliminavi:

℞. Magister. Agarici ℈j.
Resinæ Turbith. gr. ix.
Ol. cinam. gt. i.
Misc. exactissimè, posteà affund.
Aq. absinth. ℥ij. Syr. de Carthamo ℥ß. Misc. denuò.

Perseverante nihilominus febri, ad incidendam, attenuandam, & detergendam ulterius pituitam guttulas aliqvot Spiritus ⊖is, interdum ⊕li ex brodio carnium non pingui per vices exhibui, iterato qvoqve purgantium usu.

A vomitoriis alias in hac febri utilissimis abstinendum fuit, qvod eadem nimis malè formidaret Æger.

Postremò & diaphoretica præscripsi, provocatis ante paroxysmum sudoribus, qvi tandem & sponte cum notabili allevamento circa declinationem erupuêre.

℞. Aqvæ Card. bened. ℥iij.
Sassafras ℥j.
Mixtur. simplicis ℈j. M.

Cæterum ut pituitosi humoris generatio prohiberetur, ad viscerum & imprimis ventriculi roborationem, modò aqvam nostram stomachalem, modò essentiam absinthii, pulverem stomachalem Birkmanni, sæpius autem Electuarium qvod seqvitur, præbui;

℞. Conserv. rosar. ⊕lat. ℥iiij.
betonic. ℥iß.
Spec. aromat. rosat. ʒj.
Pulv. stomach. Birckm. ℈ij.
Condit. cort. citr.
rad. pimpinell.
calam. aromat. ana ʒij.
Essent. rorismar. gt. xviij.
Ambr. grys. g̃. vj.
Syr. de absinth. q. s. M.
F. Electuarium.

Ex topicis ventriculo Emplastrum nostrum stomachale profuit & linimentum.

℞. Ungvent. de pomis ʒß.
Balsam. Peruvian. ℈iiij.
Ol. stillat. nuc. moschat.
macer. ana gt. vij.
Cinam. gt. iiij.
M. F. linimentum.

Diætam initio præscripsi tenuem, postea pleniorem ex cibis boni succi & facilis digestionis, præparatis cum iis qvæ incidunt, attenuant, & aperiunt, radicibus scilicet petroselini, fæniculi, roremarino, thymo, cinamomo, semine carui, fœniculi &c.

Loco aqvæ crudæ, qvam ab ineunte ætate pro potu ordinario hauserat, reliqvis potulentorum generibus omnibus infensus, commendavi decoctam & aliqvo modo correctam, qvalis est illa qvæ ex ligno sassafras conficitur, præsertim cum propter vicinissimum mare nostra hæc salsugine aliisqve impuritatibus scateat.

℞. Lign. sassafras tessulat.
incis. ℥ß.
Sem. fænicul. conqvass. ʒiij.
Aq. purissimæ ℔viij.

Firmiter tecta coqv. in diplomate ad tertias, in fine coctionis add.

Cinam. acutis. incis. ℥ß.

ebulliant denuo, colatura dulcoretur sacch. cand. q. s. servetur in vasis vitreis. Initio qvidem invitus consveti pocula fontis relinqvere videbatur, postea verò aqvæ huic, saporis aliàs non ingrati, paulatim adsvetus & libentissimè & magno valetudinis commodo, ut ipse fatebatur, eàdem usus est.

CASUS XVII.

Qvartana intermittens.

Admodum Reverendus & Nobilissimus Dominus Paullus à Steinwehr, Illustrissimi, Celsissimi ac Reverendissimi Principis ac Domini, Dn. Ernesti Bogislai Ducis Crojani & Arescbottani, electi Episcopi Caminensis Consiliarius intimus & Ecclesiæ

Colle-

Collegiatæ Colbergensis Canonicus &c. temperamenti calidi & sicci, ætatis consistentis, aliqvandiu dolorem in sinistro hypochondrio gravativum senserat, tandem sub autumnum Anni M. DC.XLIII. quarto qvoqve die, præviâ pandiculatione & oscitatione, rigore primùm exiguo, paullò post, vehementiori, mox intensissimo, non qvidem pungente sed gravante potius & qvasi ossa contundente, prehendebatur, succedente paullatim calore totius non adeo fervente, sed submisso, cum pulsu tardo & raro, in vigore paroxysmi tamen velociori & freqventi; Urinis initio aqvosis & tenuibus, postea coloratioribus & crassis.

RESOLUTIO.

Ob vitium lienis, qvod sinistri hypochondrii dolor arguebat, in corpore calido & sicco, accedente & ætate jam inclinante, curis item & occupationibus gravioribus, humores crassos, tartareos & melancholicos in venis mesaraicis & circa vicina viscera collectos, tandemqve putrescentes febrim peperisse, verisimile est, & qvidem sub Autumnum, qvo tempore humor melancholicus maximè abundare creditur.

Præcedit pandiculatio & oscitatio ob halitus & vapores, dum materia moveri incipit, musculorum spacia petentes, qvos natura hoc modo excutere nititur.

Rigor initio est exiguus, postea vehementior, tandem vehementissimus ossa qvasi penetrans, qvia materia crassior tàm subitò & impetuosè moveri non potest, sed sensim attenuatur, & cum vapores ab humore melancholico crassi sint & frigidi & sicci, ossium membranas exqvisito sensu præditas, feriunt & sic dolorem excitant.

Calor non est æstuans, sed submissus, qvia materia est crassa & frigida, difficulterqve putrescit & tardè accenditur.

Pulsus in principio rarus & tardus propter humoris peccantis immobilitatem & cruditatem, in augmento velocior, materiâ jam qvodammodo attenuatâ, qvanqvam & tunc in comparatione ad tertianam tarditas & raritas observetur,

Urinæ primò tenues & aqvosæ ob materiæ cruditatem viarumqve ab ejusdem crassitie obstructionem, unde vix tenuior pars penetrare potest; Obstructionibus verò in morbi progressu reseratis & materiâ jam concoctâ & coloratiores & crassiores redduntur.

Cognitâ morbi naturâ, diuturnitatem magis metuendam qvàm periculum ex Hippocrate 2. Aph. 25. præmonui, qvod in movendo febris hæc omnium sit pigerrima atqve ob eam caufam longiffima præfertim fi autumnalis & hyemi vicinior. Sperandam tamen victoriam circa proximum solftitium vel Æqvinoctium vernum, propter aeris temperiem & fanguinis dominium; qvi melancholiæ planè adverfatur, ut habet Celfus lib. 3. cap. 16. Qvantum ad artis præfidia, primò qvidem ad communes vias ab infarctu liberandas præfcripfi lenitivum:

℞. Decoct. nri laxativ. ℥ijß.
Syrup. Regis Sabor ℥ß.
Cremor. ♀ri ℈ij. M.

Hinc apertâ bafilicâ finiftri brachii fanguinis craffi & nigri unciæ circiter feptem vel octo detractæ funt.

Pro humoris melancholici præparatione, per integrum octiduum ufus eft Æger fequenti mixturâ, fingulis matutinis qvatuor unciarum dofi:

℞. Aq. nr. hypochondr. ℔j.
Cich. borragin. ana ℔ß.
Syr. nri aperitiv. ℥vj.
de pomis Borsdorfian. ℥ij.
Spir. falis ℈j.

Mixta filtrentur per chart. emporet. Abfumtâ hac mixturâ & præparatâ qvodammodo materiâ, iterum lene purgans exhibitum;

℞. Decoct. nri laxativ. ℥ij.
Syr. de fumar. compof. ℥ß.
Pulv. mechoac. nigr. gr. vj.
♀ri ⦵lati gr. iij. M.

Porrò ad fortiora deventum eft & pro ulteriori materiæ concoctione & præparatione tale decoctum ordinatum;

℞. Rad. cichor. polypod. qvern.
borrag. liqvir. ana ℥ß.
Herb. fumar. mj. fcolopendr.
cufcut. centaur. minor.
Chamædr. Card. ben. ana
mß.
Flor. borrag. bugloff. genift. ana
p. j.
Cort. tamarifc. rad. cappar. ana
℥ß.
paffular. minor. ℥ß.
Sem. 4. frigid. maj. ana ʒj.

Incif. & conqvaff. coq. ex s. q. aq. fimpl.

℞. Colatur. clarificat. ℔iß.
add.
Syr. nri aperitivi ℥iiij.
de chalybe ℥ij. M.

Ad pleniorem humoris melancholici evacuationem pilulæ ♀reæ melanogogæ Qvercetani in hunc modum præfcriptæ funt:

℞. Maff. pilul. ♀ Melan. Qverc. ℈j.
Extract. nri folutiv. ℈ß.
M. F. pilulæ no. IX.
deaurentur.

Interpofitâ aliqvot dierum qviete, qvibus tamen interdum guttulas aliqvot fpiritus ♀ri vel ⊖is ♀ ⦵lati ex

ti ex jure carnium non pingui delibavit, repetita sunt præparantia & purgantia modò descripta.

Roborandis visceribus, instaurandisqve viribus profuit tale Electuarium;

℞. Conf. rad. cichor. ℥iß.
borrag. ℥ij.
anthos ℥ß.
Flor. citr. condit. ʒvj.
Spec. diamarg. frig.
diarrhod.
lætif. Galen. ana ℈iß.
Confect. Alkerm. ℈iiij.
Syr. flor. tunic. q. s. M.
F. Electuarium.

Lieni peculiariter conducere visa est Essentia nostra Hypochondriaca ad drachmam unam vel ℈iiij. ex cerevisia calida per vices exhibita.

Extrinsecus Emplastrum nostrum spleneticum alutæ inductum, applicatum est; ventriculus qvoqve paullò languidior, tali linimento inunctus:

℞. ol. absinth. ℥j. menth. ℥ß.
stillat. bacc. Junip. ℈j. M.

Victum præscripsi humectantem & simul attenuandi deobstruendiqve vi præditum, interdictis cibis crassis & viscidis, carnibus imprimis fumo duratis, in muria maceratis, porcinis, bubulis, anserinis, anatinis, piscibus plerisqve, leguminibus, brassicâ, pane furfuraceo, aceto, qvod ob peculiarem, qvâ humorem melancholicum fermentare solet, qvalitatem, valdè noxium.

Pro potu ordinario placuit Cerevisia Colbergensis defecata, roremarino, melissâ, scolopendriâ & absinthii comis condita, interjecto qvandoqve & vini Rhenensis poculo.

His itaqve methodicè adhibitis, circa solstitium brumale paroxysmi febriles & brevius & mitius affligere visi sunt, naturâ in sudores admodum pronâ, cujus motum cum aqva nostrâ antifebriticâ & theriacali, granis aliqvot salis Ammoniaci sublimati impraegnatâ non infeliciter concitassemus, febris, Dei gratiâ, ex toto soluta est.

CASUS XVIII.

Qvartana Scorbutica.

Vestiarius qvidam Petrus Harte junior, temperamenti melancholici, facie lividus, ANNO M. DC. XLIX. Mense Septembri incidit in qvartanam cum insigni circa præcordia anxietate & respirationis difficultate, genuum insuper & crurum lancinatione, singulis paroxysmis recurrente, pulsu parvo & inæqvali etiam in ipso febris vigore & statu; Urinæ reddebantur variæ, nunc tenues & albæ, nunc crassæ, rubicundæ, cum sedimen-

to farinæ laterum non absimili, efflorescentibus interdum & maculis diversi coloris, maximè in cruribus.

RESOLUTIO.

Anxietas circa præcordia & respirandi difficultas, crurum item & genuum lancinans dolor, pulsus & reliqva indicia modo detecta, imprimis verò macularum efflorescentia scorbuticam malignitatem huic febri conjunctam, manifestè ostendebant, cum in qvartanâ simplici nihil horum obveniat: Qvare ad scorbuti malitiam non minus attentus, qvam ad febrim, specifica qvædam contra sceletyrben facientia subinde admiscui, & primò qvidem ad alvi feces eluendas lenitivum præscripsi;

℞. Decoct. nri laxativ. ℥ij.
Syr. de fumar. composit.
Succ. nr. antiscorb. depur. ana ℥ß.
Crem. ♀ri ʒß M.

Hinc apertâ sinistri brachii medianâ, sanguinis crassi & feculenti unciæ circiter octo detractæ sunt.

Porrò ad materiæ præparationem & concoctionem tale decoctum ordinavi:

℞. Rad. polypod. qvern. cichor.
buglos. fænicul. ana ℥ß.
Herb. card ben. fumar. chamædr.
chamæpyth. Ceterach. ana
mß.
Flor. genist. borrag. bugloss. ana
p. j.
Cort. tamarisc. fraxin.
rad. cappar. ana ʒiij.
Comar. absinth. p. j.
Passul. minor. ℥j.
Incis. & conqvass. coq. ex s. q.
seri lact. caprini.
℞. Colatur. c. album. ovi clarific.
℔iß.
Syr. nostr. aperitiv. ℥v.
Succ. nostr. antiscorb. dep. ℥iiij.
M.

Pro evacuatione, modò pilulas, modò bolum infrà descriptum, modò pulverem meum solutivum exhibui: ad repurgandum enim hoc Augiæ stabulum crebrioribus opus erat catharticis, qvanqvam & qvies naturæ per intervalla, ut in morbis chronicis fieri oportet, concessa;

℞. Mass. pilul. nr. antiscorb. ℈j.
Extract. solutiv. gr. IX.
Ol. citr. gt. I. M. F. pilulæ no. IX.
℞. Conserv. cochlear. ʒiß.
Resin. Gialapp. gr. vij.
Extract. nr. solutiv. gr. v.
Conf. Alkerm. ℈ß. M.
F. bolus.

Interdum spiritu ♀ri correcto ex cerevisiâ calidâ vel jure carnium non pingui usus est, Essentiâ item nostrâ Hypochondriacâ cum spiritu cochleariæ & nasturtii exaltatâ, non minus ac Electuario in hunc modum adornato:

℞. Cochl. recentis miß.
nasturt. aqvatic. rec. mj.

beka-

bekabung. acetos. ana mß.
Rad. cichor. recent. ℥ij.
Pomor. citr. recent. unà cum
corticib. no. ij.
Incisa contundantur in mortario lapideo & cum s. q. sacch. albiss. redigantur in formam Electuarii.

Tandem & diaphoreticis pugnatum est:

℞. Aq. nr. antiscorb. ℥iiij.
Theriacal. ℥iß.
antifebritic. ℥vjß.
Mixtur. simpl. ʒij.
M. pro 4. dosibus.

Exhibitâ per vices hac mixturâ, sudores etiam sponte deinceps præsertim in declinatione febris largissimè profluxêre, ægro brevi post solstitium hyemale feliciter restituto.

CASUS XIX.

Qvartana compendiosè curata.

JOannes Franciscus Bogtragos Hispanus, in exercitu Imperatorio locum tenens, temperamenti calidi & sicci, facie nigricans, tribus circiter mensibus qvartanâ laborans, opem meam implorabat, obnixè rogans, ut qvantum fieri posset, compendiosissimè curationem instituerem, cum nec sumptuum nec temporis dispendiũ facilè ferret: Tentavi negotium, & cum signa coctionis in urinis haud obscurè jam apparerent, circa vesperam diei præcedentis paroxysmum exhibui Cremor. ♀ri drachmam unam ex jure carnium non pingui; altero die qvi erat invasionis, manè jejuno ventriculo pulvisculum purgantem ex vino absinthite, præbui;

℞. Pulv. mechoacann. nigr. ʒß. gr. v. ♀ri ⊕lat. gr. iiij. M.

Egessit ingentem humoris melancholici copiam absqve molestiâ & virium debilitate. Post meridiem Hor. 3. consveto paroxysmi tempore præter exiguum frigus, nihil febrile sensit, sed obdormiscens in sudores incidit, qvibus & postero & seqventibus diebus spontè profluentibus paulò ante æqvinoctium vernum convaluit.

Sic ANNO M. DC. XLIII. Nobilissimam fœminam Agnetam, Blanckenburgiam Viri admodum Reverendi & Nobilissimi Dni. Henningi Manteuffels *Episcopi Caminensis Consiliarii & Ecclesiæ Collegiatæ Colbergensis Canonici p. m. viduã, pari successu restitui.*

Hæc ob mariti obitum perpetuis mœroribus indulgens, per integrã hyemem & æstatem qvartanâ laboraverat, nullis adhibitis remediis, tandem à milite Imperatorio, qvi, Duce Cracovio, Pomeraniam inva-

invaſerat, ſedibus avitis pulſa, in urbem Colbergam conceſſit, ubi auxilium meum implorans, eodem modo à contumaciſſimâ febri liberata eſt.

Cum enim ad Curationem methodicam nec locus idoneus nec alia neceſſaria ſuppeterent, eadem viâ morbum aggreſſus, ipſo acceſſionis die pulverem noſtrum melanogogum ex cereviſia calida exhibui, cujus operatio cum feliciter ſuccederet, & morbi reliqvias natura per ſudores ſponte diſcuteret, febris circa æqvinoctium autumnale perfectè ſoluta eſt..

Eodem modo & Nobiliſſimum Dn. Heinricum Puſtar, Theodorum Seiffart caſtrorum metatorem, Joannem Bayer Locum tenentem, Jacobum Schel chirurgum, Georgium Ravenhorſt, Valentinum Kaldenbach aliosqve plures præſertim robuſtiores, à febri qvartana, DEI præpotentis auxilio liberavi.

Cæterum cauſam non video, cur die acceſſionis purgatio non ſit inſtituenda, præſertim ſi ſigna coctionis adſint & vires ſufficiant. Etenim hoc modo materia paroxyſmo ſubtrahitur & natura tàm motu, qvam onere humorum qvaſi laceſſita, evacuationem non parum adjuvat, id qvod Petrus Monavius curioſè obſervavit, cujus in Epiſtolis medicinalibus à Laur. Scholzio editis, epiſtolâ 248. in poſtſcripto ſub finem hæc exſtant verba:

Si in febribus putridis intermittentibus qvibuscunqve, apparente aliqvâ etiamſi non perfectâ, in urinis coctione, ægro ipſo die paroxyſmi medicamentũ purgans dederis, ita ut effectum ſuum ante paroxyſmi invaſionem compleat (horis ſcilicet 4. aut 5. anteqvam paroxyſmum adventurum putas) videbis febrim poſt illum paroxyſmum non amplius reverti, ſed prorſus tolli qvaſi incantatione qvadam.

Probavi jam ſæpius & in pluribus ſemper eventus reſpondit: In tertianis poſt tertium aut qvartum paroxyſmum hoc facio; In qvotidianis tardius: In qvartanis tardiſſimè ac vix ante triceſimum diem.

Notandum præterea febres qvartanas rarò arte tolli vel ſponte deſinere, niſi circa æqvinoctia & ſolſtitia, qvantum mihi qvidem longâ obſervatione conſtat; forſan qvatenus ex ſententia Gordonii morbi diuturni motum ſolis, perinde ut acuti morbi motum Lunæ ſeqvuntur: vel qvod ſecundum Hippocratem circa magnás cœli mutationes, ſenſibiles alterationes corporibus humanis accidere ſolent: Id qvod obſervare expe-

expedit, ne ægrum intempestivo medicamentorum usu defatigemus, sed naturæ potius, nisi qvid gravius urgeat, negotium committamus, donec solstitio aut æqvinoctio proximior fiat morbus, ubi adhibitis idoneis & convenientibus remediis, non ita difficulter tollitur, sæpe etiam sponte cessat.

CASUS XX.

Qvartana amuleto curata.

DOminus Johannes Wernerus Illustrissimorum Comitum Fuggeriorum in almâ Ingolstadiensium Academiâ tunc commorantium Ephorus, ultra trimestre febri qvartanâ laboraverat, cum ex commendatione Hospitis sui, Circumforaneum qvendam famosissimum consuleret: Is amuletum Syndoni inclusum de collo Ægri appendit, asseverans certissimum omnium febrium intermittentium esse remedium, si per dies novem gestetur, posteaq; in profluentem demergatur; Hic sanitati restitutus, scire cupiens pentaculi tàm efficacis compositionem, apertâ capsulâ reperit membranulam, cui inscripta erant hæc verba:

Fett Fleisch gibet gute Suppen.

Simile qvid refert Philippus Salmuth observationum Centuriâ tertiâ observat. 81. de qvodam Agyrta, qvi loco periapti antifebrilis fasciculum ad ægrotantis collum alligaverat, cui inscripti erant seqventes Rhytmi Germanici:

Ein Fuchsbeltz und ein Mardern Hut
Sind beide vor das Kalte gut.

Sic nimirum

MUNDUS VULT DECIPI.

CASUS XXI.

Semitertiana.

ILlustrissimus Dominus, Dominus Gvilielmus, Comes de Wittgenstein & c. temperamenti calidi & humidi in flore ætatis constitutus, ANNO M. DC. XXXVIII. XXVIII. Augusti Horâ VII. matutina, rigore infestabatur cum vomitu bilioso, succedente calore totius æstuante; circa qvartam pomeridianam erumpentibus sudoribus febris videbatur ad declinationem vergere, ut spes esset, eã paullò post planè intermissuram: Verùm tunc febris retineri, cutis subitò densari, iterumqve qvanqvam levius horrere cœpit, subseqvente caloris continuatione: Altero die circa qvartam vespertinam prævio aliqvali horrore vel

potius frigore, nova qvasi fiebat accessio: Tertio sub septimam matutinam repetebat paroxysmus ad modum primi diei, & hora qvarta pomeridiana iterum sese habebat ut hora qvarta secundi & primi diei, concurrente dolore capitis vehementi, tussi, lipothymiis aliisq; symptomatibus.

RESOLUTIO.

Duplicem causam, duplicemqve febrim & qvidem tertianam intermittentem ex bile flavâ, & qvotidianam continuam ex pituita putrescente, sive semitertianam propriè sic dictam adesse, typus & reliqvæ circumstantiæ ostendunt.

Prehendit autem Juvenem temperamenti calidi & humidi, qvatenus ætas hæc & constitutio febri semitertianæ magis obnoxia est.

Sub finem æstatis, qvo tempore aer calidior est cum adventitiâ humiditate, sæpe etiam inæqvalis, unde ab æstu pori cutis modò aperiuntur, modò à frigore rursus condensantur & obstruuntur.

Concurrit *dolor capitis*, qvatenus vapores à materia febrili exhalantes, sensiles capitis partes afficiunt.

Tussim vero materia pituitosa resoluta à capite defluens excitat.

Lipothymiam materia peccans, partes principes petens, facultatemqve vitalem qvasi opprimens inducit.

Curationem, postqvam ob morbi periculum, apud adstantes, imprimis vero Illustrissimam Comitissam Erpachcensem, matertera mÆgri, prognostico me præmunivissem, à viarum communium evacuatione auspicatus sum injecto convenienti Enemate.

Hinc post aliqvalem febrilis accessionis remissionem sangvinis circiter uncias sex vel septem ex basilica dextri brachii detraxi.

Postmodum ad procurandam materiæ febrilis concoctionem per vices modo decoctum, modò Julapium seqvens trium vel qvatuor unciarum pondere exhibui;

℞. Rad. cich. ℥vj. fœnic. taraxic. gramin. acetos. ana ℥ß.
Herb. Endiv. Capill. ♀is, agrimon. Card. ben. betonic. chamæd. ana mß.
Flor. borragin. bugloss. Centaur. minor. ana pj.
Sem. fœnicul. Card. ben. acetos. ana ʒiß.

Coq.

coq. ex s. q. aq. simpl. ℞. Colatur. ℔iß. clarific. c. alb. ovi, postea add.
Syrup. acetos. simplic. ℥ij.
de duabus radicib. ℥iß.

Mixta filtrentur per chartam emporeticam, S. Decoctum.

℞. Aq. cichorii ℥iiij.
Aq. Endiviæ ℥ij. Card. bened.
betonic. ana ℥ijß.
Syr. nostr. aperitiv. ℥ijß.
acetos. simpl. ℥iß. M.
S. Julapium.

Pro evacuatione diebus paribus horâ minoris afflictionis exhibui decoctum nostrum laxativum modò solum, modò cum Rhabarbari vel Agarici extracto mixtum, repetitis subinde etiam Clysteribus, qvos utilissimos in hac febri deprehendi.

Tandem ad dissipandam materiam morbificam diaphoretica præscripsi, provocatis sub lecto sudoribus.

℞. Aq. Card. bened. ℥iij.
Centaur. minor. ℥ij.
antifebr. nostr. ℥iiij.
Mixtur. simpl. ʒj. M. pro tribus dosibus.

Ad ventriculi & viscerum roborationem commendavi tabulas diarrhod. & aromat. rosat. Conservam citri cum corticib. rad. cichor. essentiam absinthii &c. Ad capitis dolorem mitigandum profuit decoctum radicis Rhodiæ fronti & temporibus in modum Epithematis cum petiis duplicatis tepidè impositum. Tussim Syrup. Capill. ♀is & violarum cum aqva veronicæ compescuit.

Obrepentibus lipothymiis aqva nostra cordialis cum tantillo confectionis Alkermes & spiritu rubi Idæi mixta, egregiè restitit. His ita methodicè adhibitis observatoqve decenti victus regimine, Illustrissimus Comes pristinæ valetudini integrè restitutus est, qvanqvam brevi nimis gaudio, dum paulò post in pugnâ militari inter Svecos & Cæsarianos ad Breitenfeldam globo trajectus, occubuit.

CASUS XXII.

Hemitritæus vomitu alviqve fluxu soluta.

NObilissima Fœmina Theodora *Verbandinn* / *Uxor Viri Magnifici & Generosi Dn. Johannis Georgii à Gablenz, Judicii Tribunalitii Regni Poloniæ p. t. Deputati &c. absurdo qvo-*

dam & depravato appetitu, annis aliqvot, multa esui inepta, cretam, rubricam, arenam, & inprimis lutum ex macerie avulsum, qvod ipso sacchara dulcius sibi fuisse ajebat, avidè ingesserat, lactis & aqvæ frigidæ potatrix; tandem in febrim semitertianam incidit, cum insigni præcordiorum angustia, ventriculi dolore, lipothymiis, aliisqve vehementibus symptomatis.

RESOLUTIO.

In consilium vocatus, primò qvidem ingestorum nescius, communes vias ab infarctu liberavi; Hinc ea præscripsi, qvæ materiam peccantem concoqverent, coctamqve evacuarent, viscerum obstructiones reserarent & putredini resisterent, habitâ simul & symptomatum ratione: Verùm cum his parum proficerem, paullo ante invasionem tertianæ vomitivum præbui ex sale ⊕li albi cum aqvâ Cardui benedicti & oxymell. simplici, cujus stimulo præter ingentem humoris biliosi & pituitosi copiam, corpuscula qvædam dura & qvasi gypsea, ovi columbini magnitudinem æqvantia, varii coloris rejecit, qvæ cum adstantes mecum admirarentur. Maritus rerum ab Ægrâ devoratarum historiam detexit, ad qvam & propria confessio postmodum accessit. Ex eo melius habere visa est; Unde usum vomitivi denuò repetendum duxi, cujus beneficio superveniente tandem & alvi fluxu putida illa vitiosissimorum humorum colluvies, funditus exhausta & pertinacissima febris, DEI gratiâ feliciter devicta est. Insperatam artis & naturæ victoriam hoc nostrum excepit ἐπινίκιον:

Insvetas THEODORA dapes, cretamq; lutumq;
Et lac & fontis pocula cruda capis.
Hinc pœnam horrifici meritò luis Hemitritæi
Et geminæ sentis, frigora dira febris:
Fortunante DEO, naturæ robur & artis
Dexteritas miseram vindicat interitu.
Gratia debetur superis, gallusq; Medenti,
Et melior posthac, crede, Diæta Tibi.

CASUS XXIII.

Hectica ſimplex.

D*N. Johannes Tylli, Celſisſimi Principis ac Domini, Domini Franciſci Alberti, Ducis Saxoniæ &c. Secretarius, Juvenis temperamenti calidi & ſicci, rarioris texturæ, poſt febrim ardentem continuam de imminuto appetitu, virium languore & aliqvali corporis abſumtione conqverebatur, cutis videbatur ſqvalida, pulſus parvi & ex parte celeres, calor exiguus æqvalis & ægro vix ſenſibilis, niſi à ſumto cibo.*

RESOLUTIO.

Ventriculi imbecillitatem omnium harum affectionum cauſam eſſe Cheirurgus qvidam Caſtrenſis Ægro perſuaſerat, qvatenus ventriculus malè affectus inappetentiam, hæc alimenti defectum, defectus alimenti corporis conſumptionem viriumqve debilitatem induceret; Præſcripta itaqve hoc nomine ſtomachum confortantia, Zingiber in china conditum, calamus aromaticus, Elixir Matthioli, Morſuli Imperatoris, & ne qvid deeſſet etiam famoſa illa vulgi panacæa vitrioli ſpiritus, diatrion item pipereon, vinum Hippocraticum & alia id genus calida. Ego tandem in conſilium à Celſisſimo Principe vocatus, aliud quid, Hecticam nimirum ſubeſſe vel ex calore poſt alimentorum aſſumptionem invaleſcente, cæterum verò æqvali & ægro vix ſenſibili, facilè deprehendi; Auxit fidem conjecturæ, conſtitutio corporis calida & ſicca, affectui huic maximè obnoxia, pulſus ob facultatis vitalis imbecillitatem parvus & ob uſum auctum paulò celerior, febris item qvæ præceſſerat, ardentiſſima, & malè curata, medicamentorum impenſius calefacientium & ſiccantium uſus & ſimilia.

Cum itaqve de febri hectica nulla amplius eſſet dubitatio, haud cunctanter allaborandum eſſe cenſui, ut intemperies calida ſicca cum alimentis tum medicamentis humectantibus & modicè refrigerantibus corrigeretur, calorqve conceptus ſenſim attemperaretur.

Ex ciborum penuario commendavi carnes gallinaceas, agninas, vitulinas, vervecinas, hædinas, avium montanarum,

turdorum, alaudarum, caponum, lepusculorum, porcellorum &c. pisces saxatiles, fundulos, auratas, lucios minores, percas aculeatas, cancros fluviatiles, cochleas ad mollitiem coctas, ostrea, ova tremula, jura instaurantia, prisanam hordeaceam, pruna dulcia, passulas, amygdalas, nuces pineas, pistacia & inprimis lac caprinum recens mulctum, pauxillo sacharo conditum & adhuc tepens jejuno stomacho sæpiusculè sumptum; pro potu ordinavi Cerevisiam Colbergensem cum pauco lupulo benè coctam & defecatam, Lobsincensem, qvæ triticea est, & optimè nutrit, Servestanam, Strigensem & vinum passulatum à Platero descriptum.

Ex Medicamentorum censu præscripsi lac caprinum per integrum mensem horis matutinis assumendum, Emulsiones semin. 4. frigid. majorum & amygdalarum dulcium. Electuarium ex conserv. Rad. cichorii, flor. violar. rosar. borrag. bugloss. lactuc. Hispanic. Flor. citri, Confect. Alkerm. Speciebus diamargarit. frigid. Electuarii resumtivi &c. Aqvam Caponum, Cordialem frigidam, mirabilem Ferdinandi, syrupum aureum Johannis Anglic. Rotulas diamargarit. frigidi &c. Spinam dorsi Unguento rosar. Mes. & infrigidante Galeni inunximus, Epati ceratum santalinum, cordis regioni Epithema ex aqva violar. rosar. nymphex. borrag. & cordiali nostra odorata, speciebus diamargariti frigidi, santal. &c. applicuimus tepidè interdum balneo aqvæ dulcis totum corpus immersimus, cum notabili ægri juvamento.

Alvum, si qvando propter absumtam à calore hectico contentorum humiditatem durior esset, tali emollivimus Enemate:

℞. Herb. malv. c. toto, violar.
Endiv. ana mß.
Rad. liqvir. alth. ana ℥ß.
Sem. aneth. violar. ana ʒj.
Coq. ex lacte caprino.

℞ Colatur. ℥xj. sacch. Thomæi ℥j.
M. F. Enema.

Somnum imperavimus paullò longiorem consueto, ut corpus magis humectaretur: Si qvando præter naturam esset brevior, artis opera productiorem fecimus, & sic DEI præpotentis auxilio morbum in progressu ferè incurabilem, per initia & in primâ qvasi herbâ facili negotio suffocavimus.

CASUS

CASUS XXIV.

Febris petechialis.

Generosus & strenuus Dn. Johannes Christophorus Plato, Eqvitum in exercitu Imperatorio Magister, temperamenti calidi & humidi, præcedente omnium membrorum lassitudine spontaneâ, calore præternaturali accensus, insigni cordis anxietate, inqvietudine, vigiliis, dolore capitis, siti, & id genus aliis symptomatibus vehementer angebatur; vires mox inter initia defecere, cutis hinc inde præsertim in pectore, brachiis & dorso maculis rubris efflorescere videbatur, pulsus formicanti similis, parvus, freqvens, urinæ crassæ, turbidæ, rubræ &c.

RESOLUTIO.

Febrim malignam puncticularem sive petechialem & lenticularem vulgò dictam ex humorum putredine & corruptione natam ipsa morbi & symptomatum facies innuit; præcessit corporis lassitudo spontanea, gravatis humorum pravorum onere partibus. Æstum, anxietatem, inqvietudinem, vigilias, capitis dolores, sitim &c. putridus corruptusqve humor & ex hoc assurgentes maligni mordacesqve halitus, ad cor, cerebrum, faucesqve delati inducunt. Virium languor præcepsqve casus, malignæ & facultati vitali infensissimæ qvalitati imputandus. Cum subtilior humoris corrupti portio effervescens & ab expultrice ad superficiem corporis protrusa, maculis pingit.

Pulsus freqvens est & minimus formicantiqve similis, ob materiæ malignæ copiam.

Urinæ crassæ, turbidæ & rubræ, vehementem humorum conturbationem ac putrefactionem, qvin & facultatis naturalis impotentiam arguunt. Hinc periculi plena videbantur esse omnia, eventusqve dubius.

Placuit tamen artis tentare præsidia, ac primò qvidem ante macularum eruptionem ventrem infuso Rhabarbari & Syrupo rosarum laxativo leniter solvere, mox sangvinem apertâ dextri brachii basilicâ detrahere; hinc expulsiva, malignitatiqve resistentia per vices exhibere. Præscriptus hoc nomine pulvis

pulvis Cæsaris rubeus, Bezoardicus Sennerti, Mixtura simplex, liqvores appropriati & id genus alia; Sed nihil æqve intentioni nostræ satisfacere visum est ac à Cratone in hunc modum descripta Emulsio:

℞. Sem. Card. bened. ʒiß. Citri ʒß
Napi ʒj.
Aq. Card. bened. ℥iijß.
M. F. Emulsio. add.
Syr. acetosit. citr. ℥ß. M.

Pro virium refectione modò aqvam meam Cordialem frigidam, Confectione Hyacynthina & spiritu rosarum mixtam, modò margaritarum Orientalium Emulsionem, modò ex Syruporum cordialium censu, Rubi imprimis Idæi, granatorum & citri tantillum exhibuimus, qvibus & sitim caloremqve additis aqvis refrigerantibus & appropriatis restinximus.

Capitis dolores oxyrrhodino aliisqve convenientibus Epithematis, Vigilias emulsione papaveris & aqvâ nostra Hypnotica, additis corrigentibus & malignitati resistentibus, feliciter profligavimus, & sic paucorum dierum decursu Nobilissimum Virum ab adstantibus pro derelicto habitum & sepulturæ jam destinatum bonæ valetudini, secundante DEO, restituimus.

ANNO M. DC. XXIX. quo tempore febres petechiales populariter grassabantur, curationem seqventi methodo adornatam in multis felicissimam expertus sum:

Initio minorativum præscripsi ex decocto florum & fructuum cordialium, in qvo tantillum Rhabarbari & foliorum senæ additis corrigentibus, ebullierat, interdum aliqvid Cremoris ♀ri & syrupi violar. solutivi, prout robur & constitutio patientis ferebat, admiscui.

Altero die, nullis adhuc apparentibus maculis, basilicam brachii, in fœminis interdum saphenam pedis, præsertim mensium retentione laborantibus, aperui. Sæpè etiam omissâ venæsectione & purgatione, evacuatis solummodò leni enemate primis viis, curationem ab alexipharmacis auspicatus sum. Tutius enim est ilicò malignitatem qvasi in primâ herbâ suffocare, & per convenientia diaphoretica discutere: Enema tale erat:

℞. Juscul. carn. ℔j. Sacchar.
Thom. ℥j. ol. rosar. vel violar.
℥iij. M.
Vel ℞. fol. malv. Endiv. acetos.
borrag. ana mj.
Rad. petasit. ℥j. alth. ℥ß.
Coq. ex aq. comm. Colatur.

℞. ℔j.

℞. ℔j. ol. violar ℥iij. Nitri puriss. ʒj. M. F. Enema.

Deinde singulis diebus expulsivum aliqvod & malignitati resistens remedium exhibui, ut diascordium, mithridatium, Confectionem de Hyacyntho, liberant. vel Emulsionem Cratonis suprà descriptam. Interdum de seqventi pulvere præbui drachmam unam ex aqva pimpinellæ & scabiosæ:

℞. Ossis de corde cervi, zedoar. ana ℈j. Corn. cerv. philosoph. præp. ℈ij. Scordii, dictam. ana ʒj. Sem. Card. bened. citri ana ℈ij. napi ʒiß. contraierv. ℈iiij. M. F. pulv. subtiliss.

Multis profuit potiuncula, qvæ

℞. Aq. Card. bened. scabios. ana ℥iß. diascordii ℈iiij. Spec. de Hyacynth. ℈j. Syr. ex succ. Card. bened. acetosit. citr. ana ℥ß. vel succ. citr. recent. express. ℥ß. Misc.

Si qvando segnius erumperent maculæ, auctâ cordis angustiâ, superficiem corporis calidè inunximus tali linimento:

℞. Ol. chamæm. Amygd. amar. Scorpion. ana ℥j. nitri ℥iij. Aq. chamæm. ℥ij. coq. ad consumpr. aqvæ.

Pro alteratione & virium refectione placuit mixtura palato non ingrata:

℞. Vin. granator. acidor. Rob. berb. ana ℥ij. succ. citr. recent. express. ℥iiij.
Syrup. de rubo Idæo, de agresta, Nymphæa ana ℥j. Confect. de Hyacynth. vel Alkerm. ʒj.

Sumatur per se, vel diluta cum aqva borragin. acetosæ, Endiviæ vel aliâ convenienti:

Eodem fine & Electuarium per intervalla delibandum, ordinavimus:

℞. Conserv. rosar. 🜕lat. ℥ijß. acetos. ℥j. Condit. rad. cichor. cort. citr. lactuc. Hisp. flor. citri ana ℥ß. Spec. de Hyacyntho ʒj. Confect. Alkerm. ℈iiij. Syrup. rub. Idæi q. s. M. F. Electuarium.

Cibos commendavimus concoctu faciles & ad nutriendum cum aliqvali refrigeratione efficaces. Primis qvatuor diebus laudavimus ptisanam hordeaceam, juscula carnium & cerevisiarum; Si alvus obstructa esset, pruna dulcia, cùm

passulis cocta & eorundem brodium, si laxa nimis amygdalarum emulsiones. Deinde & carnes concessimus vitulinas, hædinas, pullorum, caponum, avium montanarum cum borragine, acetosa, Endivia vel citro coctas. Pro potu ordinario apposuimus Cerevisiam Colbergensem probè defecatam. Extra ordinariè ad sitis vehementiam compescendam, calorem febrilem attemperandum, malignitatemqve expugnandam, nihil utilius deprehendimus, qvam decoctum Cornu Cervini, in hunc modum præparatum.

℞. Rasur. corn. cerv. ℥j. Rad. Scorzoner. dictamn. alb. ana ℥ß. affund. spir. ⊕li ʒiß. aq. fontan. puriss. ℔vj. coq. ad remanent. ℔iiij. In colatur. dissolv.

Syr. de rub. Idæo ℥iij.
acetosit. citr. ℥ij.
berber. ℥iiij.
M. pro usu.

Qvibus ingratum videbatur hoc decoctum, illis Jolabium ex aqva acetosell. cichorii, Endiviæ &c. c. syrupo granat. acetositat. citri, berberorum, vel aqvam citri per infusionem factam & sacchoro edulcoratam exhibui.

Hac methodo, hisq; remediis, paullò interdum mutatis, complures, tandem & me ipsum, DEO juvante, feliciter curavi: Ut enim contagiosa est hæc febris, sic me qvoqve ægrorum lectulis qvotidiè adstantem, prehendit, & superveniente variorum symptomatum vehementiâ, ferme enecavit, id qvod fidis medentibus Poëta minatur:

Qvo proprior qvisq; est, servitq; fidelius ægro,
In partem lethi citius venit, atq; salutis
Spes abiit, finemq; vident in funere morbi.

CASUS XXV.

Febris ardens maligna cum sangvinis è naribus profluvio.

CElsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Franciscus Heinricus, Saxoniæ, Angriæ & Westphaliæ Dux Dominus meus gratiosissimus circa Æqvinoctium vernum Anni M. DC. XLI. calore intensissimo dies noctesqve absqve intermissione æstuabat cum siti vehementissimâ & vi-

Digitized by Google

& vigiliis pertinacissimis ; Augebat morbum summa cordis anxietas, inqvietudo & præcipuè hæmorrhagia narium symptomatica, sæpè affatimque repetens. Facies apparebat tetra & sqvalida, pulsus varius & interdum intercidens.

RESOLUTIO.

Humores vitiosos variis diætæ erroribus cumulatos, contractâ putredine & malignitate, febrim hanc accendisse nullum est dubium.

Sitis adest vehementissima ob siccitatem nimiam à calidâ intemperie totius ac præcipuè viscerum concoctionis, ex qvibus fuligines calidæ subinde accenduntur, dependentem.

Vigiliæ pertinacissimæ, ab exhalationibus calidis, siccis & acribus, motum spirituum animalium in cerebro turbantibus, excitantur.

Cordis anxietas, & virium langvor à malignis humorum putridorum & corruptorum vaporibus ad cor delatis, proveniunt.

Hæmorrhagia narium symptomatica, copiosa & sæpè repetens à vehementi sanguinis ebullitione & pravâ qvalitate viriumqve debilitate, ob qvæ omnia natura evacuationem ante tempus & concoctionem instituit, oritur.

Facies tetra est & sqvalida, propter succi partes faciei carnosas nutrientis adustionem & defectum.

Pulsus varius & interdum intercidens, ob luctam naturæ & materiæ morbificæ, viriumqve debilitatem, propter qvam natura officium suum ordinatè & integrè exeqvi non valet.

His ita diligenter pensitatis & præmissâ de morbi periculo eventuqve dubio prædictione, opportunum duximus corpus ab infarctu vitiosorum humorum primo qvidem Enemate convenienti, mox & leni benignoqve pharmaco, liberare. Hinc venam brachii dextri incidere, mox & malignitatem aggredi, ejusqve insidias Alexipharmacis selectioribus reprimere, simulqve symptomatum vehementiam per idonea artis præsidia infringere.

 Ex

Ex Bezoardicis primùm exhibita eſt potiuncula:

℞. Pulv. Bezoart. Sennert. ℈j.
Unicorn. ver. gr. vij.
Aq. nr. contra febr. malign. ℥ij.
Card. benedict. ℥j.
Bezoart. nræ ℥ß.
Mixtur. ſimpl. ℈j. M.

Sudavit Illuſtrisſimus Princeps ab horâ ſextâ matutina usqve ad ſeptimam copioſiſſimè: Deterſo corpore datum eſt juſculum gallinaceum ex ſucco citri ſubacidum.

Hinc ad reſtinguendam ſitim & malignitatem ulterius expugnandam, decoctum Corn. Cervi cum Syrupo acetoſitatis Citri loco Jolabii præſcriptum eſt, repetita etiam diebus ſeqventibus Alexipharmaca, ſudoribus largisſimè & cum notabili allevatione profluentibus.

Interea & virium refectioni proſpectum exhibitis perlarum lapidumqve pretioſorum magiſteriis, tincturis, aqvis cordialibus, Bezoarticis, Confectione Hyacynthinâ, Alkermes aliisqve pretioſis, inter qvæ valdè profuit ſeqvens mixtura:

℞. Aq. nr. cordial. frigid. ℥iij.
ex typhis Cervor. ℥iß.
nr. Bezoart. ℥j.
ex ſucc. acetoſell.
rub. idæi ana ℥ij.
Spir. roſar.
rub. Idæi ana gt. xj.
Rot. man. Chriſt. perlat. ʒij.
M. D. in vitro.

Ad arcendas vigilias non infelici ſucceſſu ſub crepuſculum aliqvoties propinavimus Emulſionem:

℞. Sem. papav. alb. ʒiij.
4. frig. maj. excort. ana ʒj.
Aq. nr. ſomnifer.
Violar. lactuc. ana ℥j.
M. F. Emulſio. add.
Corn. Cerv. absqve △ calc. ℈j.
Magiſter. perlar. gr. xv.
Spirit. roſar. gt. viiij. M.

Fronti applicuimus Epithema ex Sem. papav. c. aq. noſtr. ſomniferâ, verben. plantag. addito ſimul ad compeſcendam narium hæmorrhagiam aceto roſaceo, albumine ovi & lapide hæmatite, qvo fine & alia contra ſanguinis è naribus fluxum facientia, intra foriſqve adhibita remedia. Verum cum ſubinde repeteret, viresqve manifeſtè dejiceret, tandem ad laudanum opiatum optimè correctum, confugiendum erat, cujus ubi grana tria ex ſyrup. florum Rhæados additâ correctionis

Digitized by Google

nis ulterioris gratia confectione Hyacynthinâ & lapide Bezoar, delibasset, optimè qvievit, sedataqve malignæ materiæ effervescentiâ à symptomate periculosissimo, tandemqve etiam ab ipso morbo, per DEI gratiam, plenissimè liberatus est, in hunc usqve diem, qvo hæc scribo, salvus & incolumis.

CASUS XXVI.

Morbus Hungaricus.

ANNO M. DC. XX. Mense Novembri Johannes à Plauen Eqvitum Magister, caesis ad Pragam in monte albo Friderici Bohemiæ Regis copiis, unà cum aliis exercitus Bohemici Ducibus, regniqve Dynastis Francofurtum petens, tempestatum injuriis & fuga defatigatus, leni rigore aut potius frigore & horrore corripiebatur, mox totum corpus æstuare cœpit, calore continuo & sine intermissione affligente, Cordis magna aderat anxietas, sitis inexplebilis, dolor Capitis, & imprimis circa ventriculum vehemens, vigiliæ perpetuæ, tertio deliria superveniebant, sub noctem invalescebat morbus, lingva conspiciebatur arida, nigra, fauces inflammatæ, labia fissa, pulsus parvus, debilis, inæqvalis, vires prostratæ, omniumqve membrorum dolor & lassitudo.

RESOLUTIO.

Morbum quem Hungaricum hodiè vocant sive militarem aut Castrensem, Germani die Hauptkranckheit / signis & symptomatibus recensitis indicari, nullum est dubium. Occasionem malo dedit prava victus ratio, qvalis in Castris plerumqve esse solet; Hinc vitiosi humores in primis viis cumulati, sensimqve cum chylo ad Epar delati in sanguinem impurum degenerarunt, qvi posteà indies deterior redditus, putredinem, malignitatemqve concepit, febrimqve istam excitavit.

Invasit autem cum frigore & horrore, commotâ materiâ putrescente & partes sentientes in ambitu corporis subitò & confestim vellicante.

Subseqvutus est calor continnus

nuus ab æſtuantibus humoribus corruptis & putridis.

Cordis anxietatem, ſitim, capitis dolores, vigilias, deliria, linguæ ariditatem, inflammationem &c. exhalationes calidæ, acres & malignæ ad Cor, cerebrum & fauces delatæ, inducunt.

Dolor circa ventriculum à pituitoſis & bilioſis humoribus ibidem cumulatis ac putreſcentibus excitatur.

Vires à malignâ humorum putridorum qvalitate, cordi & facultati vitali infenſisſimâ dejiciuntur.

Membrorum dolor & laſſitudo, à gravatis humorum vitioſorum onere partibus & Spirituum animalium, ob exhalationes putridas, impuritate dependet.

Præmiſſo de ancipiti eventu prognoſtico, curationem ſine morâ aggreſſi ſumus ab humorum vitioſorum circa ventriculum & primas vias hærentium evacuatione:

℞. Decoct. nr. laxativ. ℥ijß.
Extract. Rhabarb. ℈j.
Magiſter. Agaric. ℈ß.
Crem. ♀ri ℈j.
M. F. potiuncula.

Excrevit qvatuor dejectionibus & uno vomitu magnam vitioſæ colluviei copiam cum aliqvali allevatione.

Secundo die baſilica dextri brachii non tam evacuationis qvàm eventationis gratia, ut putridæ exhalationes à Cordis regia qvodammodò arcerentur, aperta eſt.

Tertio & ſeqventibus ad malignitatem expugnandam alexipharmaca provocatis ſudoribus, repetitim & per vices exhibita. Emulſio ſcilicet Cratonis ex Sem. Card. bened. napi, citri &c. Pulvis Cæſaris rubeus, Bezoarticus Sennerti, diaſcordium Fracaſtorii, aqva noſtra Bezoartica, contra febres malignas ex ſuccis deſtillata, lapis Bezohar, magiſterium Unicornu, Bezoarticum ☉lare, & id genus alia.

Extra regioni cordis & pulſibus aqvam pro Epithemate Cordis in Norinbergenſium diſpenſatorio deſcriptam, applicuimus.

Plantis

Digitized by Google

Plantis pedum rasuram Raphani, qvam Crato Consil. xxv. multis profuisse scribit, induximus, sed ob fœtorem sæpius mutandam.

Virium refectioni plurimum conducere visa est Mixtura nostra Cordialis, qvæ & malignitati resistit.

℞. aq. nostr. cordial. frigid. ℥iiij.
è typhis Cervor. ℥iß.
flor. borrag. ℥iij.
Spir. rub. Idæi.
Card. bened. rosar. ana gt. xv.
Rotul. man. Christ. perlat. ʒij. M.

Interdum aliqvid Magisterii Corn. Cerv. & perlarum ex præcedenti aqvarum & spirituum mixturâ datum est, sæpe etiam tantillum confectionis de Hyacyntho vel Alkermes cum conserva rosarum vitriolatâ, & Syrupo acetositatis citri, exhibitum.

Sitim Julabio restingvere placuit.

℞. Aq. ex succ. acetosell. ℔j.
Endiv. borrag. ana ℥iij.
Syr. de rubo Idæo
berberor.
granator. acidor. ana ℥ij.
Succ. citri recent. express. q. s. ad gratam aciditatem.

Capitis dolores oxyrrhodino mitigavimus:

℞. Aq. lactuc. rosar. ana ℥iß.
Ol. rosar. complet. ℥ij.
Acet. rosac. ℥ß. M. pro Epithem.

Contra vigilias Emulsionem præscripsimus.

℞. papav. alb. ʒiij.
Sem. 4. frigid. maj. excort. ana ʒß.
Aq. nr. somnifer.
lactuc.
rosar. ana ℥j.
M. F. S. a. Emulsio. Add.
Corn. Cerv. absqve △ calc. ℈i.
Pulv. Bezoart. nostr. ℈ß.
Spir. rosar. gt. vij. M.

Inflammationi faucium & lingvæ profuit lac ex seminibus melonum, sal nitri in aqvâ plantaginis solutum, mucilag. sem. psyllii & Cytoniorum c. aqv. rosar. extracta & imprimis gargarismus.

℞. Fol. lactuc. prunell. plantagin. ana mj. Flor. rosar. malvæ arborescent. ana mß. Cort. gra-

Digitized by Google

granator. ℥ij. Coq. ex aq. hord. q. s.

℞. Colatur. ℔j. Diamor. ℥iß. Mel. rosar. ℥ß. lapid. prunell. ʒij. M.

His methodicè exhibitis convaluit æger.

CASUS XXVII.

Febris ardens maligna cum inflammatione faucium & lingvæ.

Celsissima Princeps ac Domina, Domina Sophia ex antiqvissima Ducum Holsatiæ prosapiâ oriunda, Philippi Sapientis p. m. Pomeraniæ Ducis, vidua, tempore verno relaxandi animi gratiâ in Hortulinum meum concesserat, inde Treptoam repetens, de membrorum omnium lassitudine, dolore lumborum & dorsi, æstu totius & siti vehementi conqverebatur; mox & cordis anxietas, virium languor, ciborum nausea, somnus profundus, faucium lingvæqve inflammatio, aliaqve supervenêre symptomata.

RESOLUTIO.

Febrim ardentem continuam, corporis totius æstus absqve intermissione affligens & sitis vehementissima aliaqve symptomata haud obscurè innuunt; Malignitatem subesse cordis anxietas & subita virium dejectio, arguit; Utraqve ab exhalationibus acribus, calidis & malignis cordi continuò communicatis dependet, iidem halitus fauces & lingvam adurunt, consumtaqve salivali humiditate & coagulatis viscidis lentisqve excrementis scabritiem & nigredinem excitant.

Somnum profundum maligni narcoticiqve vapores Cerebrum replentes inducunt.

Curationem ab evacuatione materiæ putrescentis auspicandam duxi, injecto sub vesperam Enemate ex Emollientibus, laxantibus & refrigerantibus.

Altero die potiunculam laxativam exhibui:

℞. Passul. minor. ℥j.
Cerasor. nigr. exsiccat. ʒvj.
Sem. 4. fr. maj. excort. ana ʒß.
Fol. sen. s. s. ℥ß. sem. fœnic. ʒj.

Contund. in mortario, ut fiat qvasi pasta. Affund. aq. acetos.

tos. cichorii, Endiviæ ana ℥iiß. ebulliant semel atque iterum. In colatur. infund. per noctem Rhab. elect. ʒiß. Cinam. acutiss. ℈i. ℞. Colatur ℥iiß. Syr. violar. solutiv. ℥ j. M. F. haustus.

Egessit quinquies absque ullà molestià & dolore, aucta tamen videbatur sitis & oris siccitas, utramque ptisana hordeacea cum passulis decocta, aliquantulum lenivit, subveniente & Gargarismo infrà descripto.

Circa crepusculum in somnum incidit adeò gravem & continuum, ut lethargo non videretur absimilis. Hinc tota illà nocte præter externa, epithemata scilicet cordialia & odoramenta ex aceto & rutâ, nihil adhibitum.

Manè facto de industrià ab adstantibus leni strepitu & altiori colloquio, excitata, lapidis Bezohartici & Unicornu grana aliquot ex aqua nostra contra febres malignas, delibavit, mox iterum in somnum prolapsa, per integram diem & noctem quievit, donec sub diluculum tertii spontè expergefacta, sitis remedium expeteret; dedi aquam acetosæ cum syrupo perlarum & acetositatis citri, guttulis aliquot spir. ⊕li impraegnatam. Potiunculam hanc alterantem, confortantem & putredini resistentem, cum benè ferret, eodem die & sequentibus sæpiusculè repetii.

Quinto de pectoris angustia, spirandi difficultate & tussi querebatur, fauces, lingva & dentes lentore conspiciebantur obducti, expetebat laxativum supra descriptum; renui ob virium imbecillitatem, tutius fore ratus, si Clystere materia peccans subduceretur: disceptantes Celsissima Princeps & Domina, Domina Anna, Illustrissimi Principis Crojani vidua &c. diremit, laxativi exhibitionem suadens, nec infelici successu. Excrevit namque ab ejus usu multa putrida & fœtida, cum notabili levamine. Repurgato itaque feliciter corpore, malignitati ulterius resistendum statui exhibito sextâ & septimâ, pulvere nostro Bezoardico ex aq. Card. benedict. scabiosæ & cordiali citratâ, sudavit largiter & meliusculè habere cæpit. Pro virium refe-

ctione Emulsionem perlarum Cratonis, aquam nostram cordialem frigidam, cum spiritibus Cardui benedicti, rosar. & rubi Idæi exaltatam, Confectionem Hyacynthinam, Alkermes & alia pretiosa, per vices exhibui.

Sitim infuso citri & decocto Cornu Cervini, admixtis syrupis convenientibus compescui.

Ad faucium & lingvæ inflammationem præscripsi aquam plantaginis, lactucæ & rosar. lapide prunellæ imprægnatam. Mucilaginem item sem. psyllii & cytoniorum cum aq. rosar. extractam. Gargarismum ex corticibus granatorum, fol. plantag. prunell. lactuc. rosar. diamor. melle rosar. lapide prunellæ &c. Sed nihil æque profuit ac aqua sive tinctura rubea Chirurgi Sedinensis, quam ille in faucium & lingvæ inflammationibus pro secreto habet.

Cæterum præter opinionem & spem multorum die XIV. morbi convaluit Princeps optima & ob singularem pietatem, clementiam, liberalitatem aliasque virtutes eximias laudatissima, in hunc usque diem, quo septuagesimum quintum ætatis annum superavit, superstes. DEUS eandem porrò incolumem salvamque præstet & Sibyllinos servet in annos.

CASUS XXVIII.

Morbilli.

Cosmus Ludovicus, Filius meus, circa æquinoctium vernum Anni M. DC. XLIII. quo tempore morbilli & variolæ per totam ferè Pomeraniam grassabantur, vehementem Capitis, oculorum & dorsi dolorem, spirandi difficultatem & ardorem totius corporis querebatur, accessit tremor manuum pedumque, palpitatio cordis & pruritus quidam sive sensus punctionis in cute.

Urinæ sanorum ferè erant similes, facies rubra, cutis ad tactum aspera.

RESOLUTIO

Morbillos imminere, devictis ante biennium variolis, ominabar cum ex signis, tum quod populariter grassarentur.

Caput

Caput dolebat & oculi ob vaporum acredinem ex ſanguinis ebullitione caput petentium. *Dorſum* verò ob tenſam à copia effervescentis ſanguinis venam cavam, parteſque vicinas.

Spirandi difficultatem & cordis palpitationem ebullientis ſangvinis vapores copioſi & craſſi, liberum aëri frigido attrahendo tranſitum præcludentes, inducunt.

Ardor totius corporis & punctionum in cute ſenſus, copiam & fervorem materiæ eò transmiſſæ, agnoſcit.

Tremor manuum pedumque ab effervescentis ſangvinis fuliginibus excitatus. *Urina ſanorum* ſunt *ſimiles*, quod materiæ morbificæ mineram natura ad peripheriam corporis propellat.

Facies oculique rubent, ob ſangvinis fermentati vel vaporum exhalantium ſublimationem. *Cutis aſpera eſt*, ob exanthematum in ſuperficie corporis eruptione.

Metum initio aliqualem incutiebat cordis palpitatio vehemens, ſpirandi difficultas & tremor; Melius tamen ſperare cœpi erumpentibus maturè & cum notabili levamine, ſymptomatumque remiſſione, puſtulis, iiſque rubris, magnis & pluribus. Ad expulſionem materiæ vitioſæ, evacuatis leniter primis viis, exhibui per vices pulverem meum contra variolas & morbillos ex aqua ſcabioſ. & card. bened.

℞. Sem. aquileg. ʒij. naſturt. ʒj
Card. bened. napi ana ℈iiij
Citri ℈j
Dictamn. alb. ʒj. terr. ſigill. ℈j
C. Cerv. absque △. calc. ʒj.
M. F. pulvis.

Interdum aliquid lapidis Bezohar. ex aqua mea expulſivâ datum eſt.

Ut reſpiratio redderetur liberior nec pulmones læderentur ſæpiuſculè delibavit ſyrupum pectoralem, cujus hæc eſt compoſitio:

℞. Capit. papav. alb. c. ſeminib. no. V.
liquir. raſæ, ſiliqv. dulc. ana ℥ß.
Jujubar. Ficuum ana No. vij.
Tusſilag. mj. ſem. cyton. ʒj
Incif. coq. ex ſuffic. q. aq. tuſſila-

 gin.

gin. pro ℔j. add. facch. penid. fac. char. candiæ ana ℥iß. coq. denuò ad confiftentiam fyrupi.

Contra cordis palpitationem præfcripfi aquam ex typhis cervorum cum magifterio perlarum & granis aliquot lapidis Bezoar.

Os & fauces tali gargarifmate præfervavimus:

℞. Aq. plantag. prunell. rofar. ana ℥iß
Vin. granat. acidor. ℥j.
Rob. ribium, diamor. ana ℥ß.
Acet. ex fucc. rub. Idæi ʒij.
M.

Pro potu dedimus aquam hordei cum ficubus, paffulis & liquiritia decoctam: Interdum aliquid cerevifiæ Colbergenfis vino granatorum temperatæ, conceffimus.

Tusfienti maximè profuit aqua fæniculi & fcabiofæ faccharo Candiæ edulcorata.

Convaluit die VII. DEUS porrò eundem fervet, ornet, & divinâ fuâ gratiâ ac benedictione largiffimè cumulet!

CASUS XXIX.

Variolæ.

ANNO CM. DC. XLIII. Menfe Septembri Uxor Generofi & Nobilisfimi DN. ADRIANI BORCKEN Hæreditarii in Stargordt &c. corporis totius gravitatem, omniumque membrorum lasfitudinem præfentiens, calore vehementi & continuo æftuare cœpit; Hinc dolor capitis, oculorum & dorfi, cordis palpitationes, fpirandi difficultas, vomitiones, vigiliæ, fitis vehementisfima, linguæ & faucium ariditas & inflammatio, raucedo vocis, aliaque fupervenêre fymptomata. Facies inftar ignis apparebat rubra ut & oculi, cutis afpera, Urinæ turbidæ &c.

RESOLUTIO.

Catharina Fischers / melancholia (welche von einem Melancholischen Vater gezeuget/derē Bruder auch mit dergleichen melancholia cum insaniâ conjunctâ aufgegangen / auch sie selbst schwerlich darau gelegen/ dabey dann nicht allein mania, insania, sondern auch furor quidam sich gefundē / und etliche Zähe an den Füssen von dem kalten Brand also verdo ben und erstorben/ daß man sie hat abnehmen müssen) leicht könne wieder kommen und sie damit beleget werden? gebe ich untenbenanter zur Antwort/ daß von den Medicis/namentlich vom *Fernelio lib. 1. patholog cap. 11. Paulo Zacchia Med. Romano libr. 1. quæst. Medico legal. tit. 4to quæst. 4ta p. 426.* und andern mehr die melancholia auch unter die morbos hæreditarios gezehlet werde / und gehöre ad Epilepsiam; siquidem melancholici & atrâ bile vexati frequenter etiam epilepsiâ corripiuntur. *Hipp. lib. 6. Epid. sect. 6. §. 54. & Galenus lib. 3. de loc. affect. cap. 7.* Hievon hat ein solch prognosticon gefället *D. Senn. lib. 1. pract. part. 2. cap. 8.* Melancholia hæreditaria ferè nunquam curatur, und ist solche noch gefährlicher/dabey eine mania und furor ist; magis enim est periculosa insania, quæ accidit cum insigni feritate. Idem *l. d. c. 15.*

Solches habe ich secundum scientiam & conscientiam meam wollen verzeichnen / und mit meiner eigenen Hand und Petschaft bekräfftiget wolgedachtem Herrn Rectori übergeben. Geschehen in Dantzig den $\frac{18}{28}$. Octobr. Anno Christi 1654.

LAURENTIUS EICHSTADIUS, Med. D. & Physicus Gedanensis Ordinarius.

RESPONSUM VIII.

De Paraphrosyne sive delirio simplici sine febri.

CASUS:

CAjus Sempronius ist von Jugend auf frisch und gesund gewesen / völlig vom Leibe / Blutreich/ sanguinischer und etwas cholerischer complexion, hat niemahls einige sonderbahre Beschwerde von Kranckheiten empfunden. Anno 1647. im neun und zwantzigsten Jahr seines Alters hat er mense Februario mit Titio auf der Gassen quæstion bekommen / worüber sie mit Degen an einander gewischet / und ist gedachter Sempronius am Daumen der rechten Hand und vorne am Haupt/jedoch sehr wenig und nur durch die Haut/ verwundet worden; etwa nach 14. Tagen hat ihn ein guter Freund gewarnet/er möchte sich wol vorsehen/weil Titius vermeynet wegen deß Schlages/ so er an den Halß bekommen revange zu suchen/ und ihn zu überfallen; Wie er nun mit diesen Gedancken sich zu Bette geleget/ist ihm im Traum vorkommen/

men/ als wann einer nach ihm mit einer Pistol geschossen/ worauf er Liecht anstecken lassen / und aufgestanden; Inmittelst kömt die Wirthin in sein Logament/zündet ein Liecht an/und berichtet/daß etliche Soldaten ins Hauß brechen wollen / wodurch er in seiner vorigen opinion gleichsam bekräfftiget/und nicht anders vermeynet / als wolte man ihn gefähren/ hat die gantze Nacht und etliche folgende Nächte wenig geschlafen; Ist daneben im Leibe verstopffet gewesen / aber keine Medicin gebrauchen / noch die Ader/ wozu ihm etliche gute Freunde gerathen/ öffnen lassen wollen / und als er sich endlich noch hierzu accommodiret, hat er gar wenig Blut weggelassen/ indem er sich eingebildet/ man wolte ihn hiedurch tödten und ums Leben bringen / und was ihm sonst mehr vor phantasia vorkommen; welche aber nicht länger als etwa 10 oder 12. Tage gewäret / dann so bald ihm/ wiewol unwissend/ ein purgans beygebracht/und der Schlaf sich wieder eingefunden / ist er volkommen restituiret, hat auch hernach ex consiliô Medicorum die Ader öffnen lassen und gar keinen Anstoß vermercket: Wie er aber Venæsectionem 2. gantzer Jahr unterlassen/und Anno 1654. mit einer vornehmen Person in einen harten Wort-Streit gerathen/sich heftig geeifert/ und die Sache ihm zu tieffen Gemüthe gezogen / auch darüber auß der Nächtlichen Ruhe kommen / und wenig geschlafen/ haben sich wiederum allerhand seltsame Gedancken und Einbildungen spüren lassen / welche aber/ so bald die Ader geöffnet / und einige wiewol nur gelinde soporifera gebrauchet/in wenig Tagen gäntzlich cessiret und aufgehöret.

Von dieser Zeit an hat sich vielgemelter Sempronius gar wol befunden / auch keine Beschwerde so wol am Leibe als Gemüthe vermercket Als er aber Anno 1659. im Septembri verreiset/un̄ unterwegens in groß Schrecken gerathen/ folgends sich auch sehr geeifert/und bey damahligem hitzigen Wetter etwas viel / insonderheit an Wein/ getruncken/ und wenig geschlafen/haben sich abermahlen allerhand phantasien und irrige Gedancken / Einbildungen/und Reden von Hexerey/heimlicher Nachstellung und Gefährde etc. mercken lassen / iedoch sind keine gefährliche Beginnungen und Gebährde / oder andere unziemliche Dinge hiebey vorgelauffen/ sondern es ist wolgemelter Sempronius bey andächtigem Gebet und Seufzen zu GOtt stets verblieben / und denselben um Hülffe angeruffen / welche auch in wenig Tagē/nachdem dienliche Artzney-Mittel adhibiret, und die Ader erstlich am Arm/ hernach auch am Fuß geöffnet/ und der Leib gereiniget worden/erfolget

Zeit wärenden delirii hat er son-

sten keine andere Leibes-Beschwerden empfunden/ist deß Tages im Logament herum gegangen/ zu Tische gesessen/ Speiß und Tranck als ein gesunder Mensch zu sich genommen/auch ist der Pulß und Urin mehrentheils natürlich gewesen/ und keine sonderliche Hitze verspüret worden.

Von Anno 1659. biß auf gegenwärtige Stunde ist er von dergleichen Gemüths-Beschwerungen / wie auch allen Leibes-Ungelegenheiten gäntzlich befreyet / frisch und gesund gewesen/ und ob zwar durch unvermuthlichen schleunigen Todes-Fall seiner hertzlieben Ehe-Frauen er in grosse Traurigkeit und Betrübnüß gesetzet / hat man doch nicht das geringste von einigen ungereimten Gedancken / Reden/oder Gemüths-Irrungen an ihm vermercket.

Nun ist die Frage/ob einige recidiva dieser Gemüths-Irrungen hinführo zu besorgen oder nicht?

RESPONSUM:

Ob zwar diese Paraphrosyne oder aberratio mentis womit Cajus Sempronius behaftet/ an sich selber / wie auch deroselben Ursachen/ dergestalt beschaffen / daß sie wol recurriren möchten ; Ist dennoch kein Zweifel/ es könne dieser affectus, welcher in hoc subjecto nicht hæreditarius aut congenitus, nec idiopathicus, und seine longissima & multorum annorum nec certa intervalla hat / und allezeit à causis externis, welche wol mögen evitiret werden / ist erreget worden / vermittelst Göttlicher Verleihung / durch gute/ mäßige diæt und fleißigen Gebrauch dienlicher Artzney - Mittel præcaviret und verhütet werden.

Wie solches auß folgenden Consiliis mit mehrem zu ersehen.

CONSILIUM MEDICUM
De Præcavendo & curando delirio simplici citra febrim.

Mentis aberratio, quam Generosus Dominus N.N. per intervalla patitur, ut præcavetur, vel si fortè, quod avertat propitium Numen, recurrat, sine morâ curetur, ne in phrenitidem degeneret, ante omnia dispiciendum, ad quam speciem desipientiæ propriè sit referenda, & à quibus causis dependeat: Varia namque & diversa sunt deliriorum genera; Aliud enim est simplex, idque vel primarium vel sympatheticum, cùm vel sine febri. Aliud melancholicum vel per essentiam vel per consensum; Aliud phreneticum; aliud paraphreneticum; aliud denique maniacum.

A posteriori ut faciamus initium, ad maniam hæc, de quâ agimus, desipientia referri non potest; est enim sine ferocitate & audacia, nec permanens & diuturna; multò minùs ad paraphreniti dem in specie sic dictam; hæc enim conjuncta est cum dolore

dolore lateris & tussi: neque ad phrenitidem, quæ febrim acutam & continuam perpetuò habet comitem: neque ad melancholiam, quæ potissimum est cum tristitia & metu, & in præsenti casu repugnantem habet constitutionem corporis sanguineam & plethoricam. Ad delirium itaque simplex, quod Græci παραφρoσύνην vocant, & quidem ad id, quod est sine febri, & citra partis alicujus inflammationem, referendum esse, censeo.

Causam, quantum ex constitutione corporis sanguineâ, plethoricâ, & ex parte cholericâ, aliisque indiciis colligere licet, habet sanguinem nimis calidum, ferventem & biliosum: Hic enim in venis & arteriis abundans, & à causis procatarcticis, vini scilicet largiore potu, iracundiâ & contentionibus, terrore subitô, vehementiore corporis æstuante cœlo motu, vigiliis &c. quæ omnia præcessisse ex relatione ægri constat, agitatus & accensus, cerebrum partim vaporibus calidis, tum & parte sui biliosa illuc raptâ, invadens, Spiritus animales inordinatè & irregulariter movet, exagitat & turbat, ut phantasmata non ea, quæ debebant, menti repræsentent, sed aliena & absurda, nec eo modo, quô debebant, sed alienâ qualitate infecta, nec ordinatè, sed omnia fermè simul & confusè, unde quæ diversissima sunt, & minùs cohærentia, dum simul occurrunt, connectuntur, & sic phantasia & ratiocinationis actio depravatur.

In Scopo itaque præcautionis allaborandum, ne sanguis fervidior & biliosus in corpore generetur, vel genitus tempestivè evacuetur.

Generatio impeditur:

1. Diætæ convenientis observatione; Victus sit refrigerans & boni succi, ne obstruat, nec nimius, ne repleat. Vitentur dulcia facilè in bilem abeuntia, ut & calida omnia, imprimis aromata, & quæ acria sunt, ut synapi, cæpe, allium, raphanus, armoracia, & quæ cum his coquuntur. Cibi condiantur lactucâ, acetosâ, cichorio, endiviâ, asparago, succo citri, limonum, granatorum, ribes. berberum, cerasorum acidorum &c. Utilis imprimis est ptisana hordeacea cum passulis minoribus & propterea sæpius assumenda. Ex fructibus conveniunt poma acida, granata, citri, cydonia, aurantia, pyra Bergamensia, ut & alia melioris succi, cerasa acida, fraga, fructus rubi idæi, ribes, berberum, cucumeres, melones, passulæ majores & minores &c. Potus sit cerevisia defecata & tenuis, cum pauco lupulo benè cocta; Vinum rarius veniat in usum, præsertim Hispanicum & alia generosa.

Aër ad frigidum vergat; æstuante cœlo

te cœlo in conclavi agendum, præcipuè quæ septentrionem spectat, vel orientem: maximè verò à radiis solaribus caput præmuniendum.

Exercitia corporis sint moderata, nę corpus incalescat, nec suscipiantur, nisi ante cibum.

Somnus excedat vigilias, quæ in hoc affectu sunt nocentissimæ, quatenus Spiritus, præcipuè animales absumunt, cerebrum exsiccant, bilem acuunt, augent & inflammant.

Alvus quotidiè respondeat; Segnior jusculis emollientibus & laxantibus passularum, prunorum dulcium, pulpa pomorum & similibus lubricetur, vel Enemate aut suppositorio sollicitetur.

Venus sit moderata & non nisi matutina, absolutâ concoctione & refectis per somnum viribus. Inter animi affectiones pernitiosissima est Ira, quæ Spiritus & humores agitat, corpus universum calefacit, mentem turbat & quasi in furorem agit, unde & ipsa furor brevis à Poëta dicitur, cane & angue pejus fugienda.

II, Epatis calidioris alteratione, quę pręter victũ refrigerantem, suprà descriptum, optimè perficitur cichoraceis & intybaceis. Hæc enim hepar moderatè refrigerant, roborant, aperiunt, abstergunt, nec ventriculũ lædunt.

Commodè horis matutinis sumitur conserva ex radicibus cichorii recentibus contusis præparata, vel Electuarium, quod sequitur:

Rec. Conserv. rad. cichor. ℔ß.
rosat. rubr. ol. ℥iij.
violar. purpur. ℥ij.
Condit. lactuc. hispan. ℥j.
spic. diatr. santal.
charrh. Abbat. ana ʒiß.
Rob fragor. q. s. M. F.
Electuarium.

Suave etiam Epatis refrigerium est Tinctura fragorum, hunc in modum præparata:

Rec. Fragor. recent. in mortar. marmoreo conquassat. ℔ij. Affund. aq. cichor. ℔ii. Endiv. fragor. ana ℔j. Spir. vitriol. ʒj.

Mixta stent in loco calido per horas ix. posteà filtrentur per manicam Hippocratis, vel chartam emporeticam, & edulcorentur sirup. fragor. q. s.

Cùm fraga recentia haberi nequeunt, paretur Tinctura rosarum rubrarum cum aquâ cichorii & Endiviæ, addito syrupo berberum vel ribium quantum sufficit ad gratum saporem.

Tempore vernô utilissimè usurpatur serum lactis caprini cum Cichorio, Endivia, acetosa, aliisque Epaticis frigidis alteratum, & copiosius ad libras circiter duas vel tres quotidiè assumtum, ita ut poculum unum post alterum, instar acidularum

dularum quasi pitissetur: Magnam enim non solummodò calorem hepatis temperandi vim habet, sed & materiam, quæ obstructiones facit, per alvum & urinam blandè educit.

Extrà regioni hepatis applicetur ceratum Santalinum, vel ungventum refrigerans Galeni, aut rosatum cũ camphorâ. Nec omittenda Venæ Sectio, quæ non tantùm hepar refrigerat, sed & plethoram minuit; Commodissimè autem instituitur tempore verno & autumnali paulò ante æquinoctia.

Evacuatio perficitur phlebotomiâ & Catharsi: De illâ modò dictum: Hæc per cholagoga benigniora, minusq; calida, Syrupum sc. de cichorio cum Rhabarbaro, vel rosarum solutivum cum aquâ cichorii vel endiviæ dilutum, expedienda:

Vel Rec. Rhabarb. Elect. ʒiij infund. per noctem in aq. cichor. & Endiv. ana ℥iß. addit. gran. ix. ♀ri ⊕lati. Manè colentur, add. Syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒvj de tribus ʒiij.

Spic. Electuar. de succ. rosar. ʒß. M. F. potiuncula brevis.

Et hæc qvidem de præcautione.

Curationem quod attinet, statim ubi imminere videtur aliqva mentis aberratio, revulsiones instituendæ per clysteres, ligaturas & frictiones extremorum, cucurbitulas scarificatas in cruribus, vel qvod efficacius per phlebothomiam basilicę vel mediana in brachio, postmodùm, si opus videbitur, etiam Cephalicæ, vel venarum in pedibus, sangvisq; ob plethoram satis largiter extrahendus: vesicatoria etiam brachiis & cruribus applicanda, pedumq; lotiones adhibendæ.

Intereà & sangvinis fervor per interna refrigerantia restingvendus, qvô fine Tinctura fragorum vel rosarum suprà descripta, aut tale solabium exhibendum:

Rec. Aq. Endiv. Nymphea, Cichorii
acetos. ana ℥vj
Syr. flor. Rhead.
Coralior. rubr.
acetosit. citr.
Borber. ana ℥ij
M. F. Solabium.

Hoc fine & perlarum Emulsio à Cratone descripta utiliter qvandoq; & repetitim assumitur. Perlæ enim insignem vim habent sangvinē effervescentem præcipitandi, qvemadmodum hoc in oleo perlarum manifestum est, cujus pauculæ guttulæ ardentissimum vini spiritum in butyrum scissile coagulare possunt, ita quin Spiritus effervescentes & volatiles, fixiores & stabiliores reddere qveant, dubium non est.

Efficacissimum autem & instar omnium est nitrum benè præparatum, & in aqvâ simplici vel Endiviæ,

 cichorii,

cichorii, aut aliâ conveniente dissolutum, id qvod pro experto habeo.

Dum hæc fiunt, omni studio enitendum, ut somnus, qvi delirantibus est remedium supra gemmas & lapides pretiosos æstimandum, procuretur: Initio dentur Hypnotica: Emulsiones potissimùm seminum papaveris albi & quatuor frigidorum majorum, e. gr.

Rec. Sem. papav. alb. ℥ß.
4. frig. maj. excoct.
ana ʒj.
Aq. nr. somnifer. ℥iiijß.
M. F. Emulsio. Add.
Margirat. Orient. præpar. ℈j.
Rotul. man. Christ. ʒij. M.

Tempora & nares inungantur balsamo nostro soporifero, plantæ autem pedû medullâ cervinâ. Postmodum, si opus fuerit, exhibeantur laudani opiati ritè præparati & correcti grana duo vel tria, vel in formâ pilulari, aut in liqvore convenienti soluta, exempl. grat.

Rec. Laudan. opiat. gr. ij.
Smaragd. præparat. gr. v.
Syr. flor. Rhead. ℥ß.
Aq. nostr. hypnotic. ℥ijß.
Ol. perlar. orient. gl. vij.
M. F. potiuncula.

Cæterùm nec topica negligenda: principiò refrigerantia & nonnihil adstringentia capiti applicentur, qualia sunt hæc:

Recept. Aq. rosar. fragantiss. ℥iij.
Nymphiæ
Lactucæ
Sambuci ana ℥j.
Ol. violar.
Nymphiæ
Rosar. ana ℥ß.
Acet. rosac. ℥j.
M. exactissimè pro Epithemate;

Vel Rec. Ung. rosat. Mes. c. aq. rosar. diligent. lot. ℥ß.
Popul. alb. cam. phorali
ana ʒij.
M. F. Linimentum pro frontal. ex alutâ.

In progressu admisceantur leniter discutientia, ex floribus chamæmeli, betonica, malva, anetho & similibus, e. gr.

Recept. Pulv. Sem. malv. lactuc.
Papav. alb. ana ʒiij.
Flor. betonic. melil.
Flor. rosar. rubr.
Violar.
Nymphiæ ana ʒj.
Farinæ hord. puriss. ℥ß.
M. c. oleo rosar. tantillo. aceti.
F. Cataplasma.

In declinatione applicetur Ungventum alabastrinum, vel ceratum capitale cum santalino mistum & alutæ inductum.

Si præter hæc etiam alia, qvæ à formâ specifica contra deliria facere dicuntur, experiri libet, svadeo, lapis smaragdus, cujus vires à multis etiam magni nominis Viris deprædicantur,

cantur, auro inclusus de collo appendatur, nudâq; in cute perpetuò gestetur.

Ut autem Deus ex alto salutaria hæc esse jubeat,

Et mentem in sano concedat corpore sanam,

devotè precor, meaque studia qvovis tempore prolixiùs contestanda defero. Dab. Colberg. d. XVIII. Januar. Ao. M. DC. LX.

N. Gener. Vestr.
Obseqvio & fide
addictissimus
BALDASSAR. TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM IX.
De eodem affectu.

Von dem mir zugeschickten casu, den Caium Sempronium betreffend/ ist nach reiffer Erwegung aller Umstände/ so in casu allegiret, meine Meynung diese:

1. Der affectus an sich selbst ist bereits in dem mir zugleich mit communicirtem responso Medico wol definiret, daß er eine παραφροσύνη, oder melancholica mentis aberratio sey: ob dieselbe conjuncta sey gewesen cū febre, oder nicht/ stehet auß dem tenore casus vor gewiß nicht zu determiniren: Ich solte mir aber wol die Gedancken machen/ daß auch einige species febris und zum wenigsten eine Ephemera plurium dierum mit untergelauffen/ ja wol gar der morbus dürffte gewesen seyn/ dessen Symptoma diese παραφροσύνη nicht unfüglich könte genennet werden. Dann weil diese paroxysmi melancholici noch nie anders entstanden/ als wann eine sonderliche excandescentia und inordinata agitatio spirituum durch Zorn/ und Schrecken/ oder auch eine Erhitzung deß Geblüts durch Bewegung deß Leibes in warmen Wetter/ und liberaleß Wein-trincken vorher gegangen/ dergleichen causæ aber in corporibus dispositis leichtlich eine Febrilische Entzündung zu wege bringen/ vermuthe ich/ daß dieselbe in hoc subjecto auch wol dürffte causiret sein/ gestallt dann auch die allemahl gut befundene Venæsectio, gelinde purgation, und Gebrauch etlicher gelinder Soporiferorum einen solchen morbum febrilem, GOtt Lob/ leicht und in wenig Tagen haben gehoben/ darauß das Symptoma παραφροσύνης, als dessen accidens, auch zugleich cessiret hat.

2. Subjectum immediatum dieses affectus sind unstreitig die Spiritus vitales & animales, indem dieselbe nicht allein unnatürlich beweget/ und entzündet/ sondern auch durch unartige und ad inducendum falsos & melancholicos conceptus, sonderlich specificirte fuligines oder μιάσματα befflecket/ trübe und irre gemacht seyn/

 daher o

dahero die facultas imaginativa sic malè affectis instrumentis utens, auch nothwendig irren / und falsos & vanos conceptus formiren müssen. Es werden aber solche μιάσματα gemeiniglich à chylo, vitio primæ digestionis in ventriculo corrupto & acescente in venas lacteas mesenterii intromisso, & per thoracicas noviter inventas ad venas subclavias delato, ac sanguini ad eas influenti permisto causiret; dadurch dann die Spiritus in sanguine per arterias in totum distributo inficiret, und weil das vitium primæ coctionis in secundâ & tertiâ nicht wol emendiret werden kan / auch die so genante Spiritus animales in cerebro beflecket / obnubiliret und inhabiles gemachet werden; welches weitläufftiger zu demonstriren und zu erklären sich dieses Orts nicht wil thun lassen; Doch so viel dienet zu Beglaubigung dessẽ was gesaget / zu melden / daß gleichwie die Spiritus in ihrer wahren Natur auß einem subtilen und gleichsam Spiritualischen Sale volatili bestehen / deren selbigen nichts Widerlichers begegnen kan / als wann einige aciditas præter naturam ihnen admisciret wird / wie solches die accuratiores naturæ scrutatores allenthalben beweisen und darthun.

3. Weil nun vornemlich gefraget wird / ob einige recidiva solcher Gemüths-Irrungen hinführo zu besorgen sey oder nicht / so muß ich zuförderst bedingen / daß / wann dißfalls secundum fundamenta naturæ & artis die Warheit / wie billich / soll gesaget werden / man solches nicht zu Verderbung der Imagination und præconcipirung einiger nachtheiliger Furcht müsse dienen lassen; Sondern dem lieben GOtt zuförderst / der Gesundheit und Kranckheit moderiret nach seinem Wolgefallen / und wie Er es zu unsrem Heil vorträglich befindet / alles in Christlicher Gelassenheit heimstellen / mittelst von seiner väterlichen Güte das Beste in gläubigem Vertrauen hoffen und kindlich erbitten; hiernechst auch guten Rath und natürliche Hülff-Mittel zur præservatiõ allemal gebrauchẽ müssẽ.

Hoc præsupposito kan ich nicht anders sagen / als daß wol möglich / gleich wie bißhero post intervalla aliquot annorum geschehen / also auch hinfüro dergleichen aberrationes wol vorfallẽ können / cùm positâ causâ & non impeditâ sequatur effectus. Wer kan aber leugnen / daß nicht ratione causarum internarum zuweilen wiederüm corruptiones alimenti assumpti entstehen / und durch zufällige cõmotiones vehementes animi & corporis, oder Unordnung in diæta, dergleichen Fälle nicht eben allemahl zu verhüten stehen / gleichmäßige alterationes, Erhitzungen und perturbationes spirituum vorfallen können. Derowegen kein besserer Rath / als zuförderst den

den lieben GOtt hertzlich üm Verhütung solches Unfalles anzuruffen / auf solch gläubiges Gebet eine starcke Hoffnung zu gründen / daß GOtt dieses Ubel nach seinem mitleidigem Vater-Hertzen unzweiflich abwenden werde / und dañ die von GOtt verliehene præservativ-Mittel ab und an fleißig und cum insigni fiducia zu gebrauchen / und alle vehementes affectus, vornemlich den Zorn und Eyfer mit allen Kräfften zu vermeiden.

4. Anlangend nun die preservation und Cur dieses affectus, so habe ich demselben / was der hocherfahrne Herr Timæus von Güldenklee wol-bedächtlich gerathen und præscribiret, fast wenig hinzu zu thun. Das verschriebene Purgier-Träncklein sub A, ist diesen Umständen nach sehr wol appropriiret, und demnach / weil es bißhero gut-gethan / billig zu gebrachen. Vermute es / daß vor den Æquinoctiis solches nicht nur einmahl / sondern wol etliche mahl in solcher Frühlings- und Herbst-Zeit zu gebrauchen werde gemeynet seyn. Das Aderlassen ist gleichfals hochnöthig und nützlich. Könte man aber auß den Hæmorrhoidibus das Geblüt entweder durch die sanguisugas, oder durch Erweckung dero natürlichen Flüssen mit deß Hr. Patientē gutem Willen evacuiren, solte meines Erachtens solches noch näher ad scopum gereichen. Durch vomitoria wird ins gemein diesem malo noch geschwinder und gewisser abgeholffen / und vorgebeuget / wozu die so genante Panacæa ♁ Glauberiana vor andern sehr dienlich wäre: weil ich aber nicht weiß ob uñ wie sich der Hr. Sempronius zum vomiren schicket / darf ich dißfalls nichts eigendliches determiniren, sondern muß es præsentis Medici judicio billig anheim stellen. Die Lattwerge sub B. ist sehr wol eingerichtet / und nicht ohne Nutzen quovis tempore uñ zum öfftern zu gebrauchen. Das serum lactis caprini mit den succis sub C. ist ein herrliches Medicament, wenn in selbigem vehiculo eine gute Tinctura Lunæ zugleich mit eingenommen würde / à gt. 10. ad 15. vel plures ascendendo, würde solches der naturæ acidularum nach näher kommen. Ich habe zu dem Ende eine von mir præparirte tincturam gerne hiebey fügen wollen / ob etwa dergleichen eine nicht eben möchte bey der Hand seyn / wie sie dann in officinis gar selten und wol præpariret gefunden wird. Was sonsten von dem Regimine diæta von vor-wolgemeltem Herren von Güldenklee erinnert / hat seine vollkomene Richtigkeit / und wird billich nach allem Vermögen observiret.

So ist auch das jenige / was procuratione affectus vorgeschrieben / allbereit per experientiam in hoc individuo guter Massen approbiret, weil bißhero der paroxysmus mit dergleichen Mitteln / GOtt Lob / leicht und in wenig Tagen gehoben worden; Derowegen ich

darinn nichts zu mutiren nöthig erachte/ohne daß ich die Tincturam Lunæ billich recomendiren muß; Ingleichen eine gute Essentiam hyperici, welche in formâ liquidâ mit dem Julapio zu permisciren sich Zweifelsohn sehr wol schicken wird.

Der barmhertzige GOTT wolle in Gnaden alle fernere beschwerliche paroxysmos verhüten/ und den Herrn Sempronium bey der itzo etliche Jahr her empfundener Befreyung und guter Gesundheit nach seiner Väterlichen Güte lange erhalten. Habe dieses auf geschehenes Begehren zu schuldiger Antwort und Nachricht eigenhändig aufzusetzen keinen Umgang nehmen wollen. Actum Rostock den 18. Julii Anno 1662.

RESPONSUM X.

De Eodem casu.

Hoch Edel-Gebohrner etc.

AUß dem Consilio, welches E. Hr. Gestr. mir neulicher Tage zugeschicket/befinde ich/daß N.N. vermeynet/es sey die παραφρενίη, womit Sempronius behafftet gewesen/ von einer Ephemera plurium dierum entstanden: Nun bin ich zwar anfänglich selber in diesen Gedancken gewesen; Sintemahl ex vehementi corporis, æstuante cœlo, agitatione, animiq; excandescentiâ & vini largiore potu, in corpore plethorico, dergleichen Feber leichtlich hätte können angezündet werden/bin auch in Hofnung gestanden/es würde intra diem quartum, ut in Ephemeris plerumque fieri solet, einige Beßerung erfolgen/ insonderheit weil die transpiratio allezeit libera gewesen/uñ der Hr. Patient täglich/ horis præsertim matutinis, starck geschwitzt; Als aber solches nicht erfolget/auch die septimo, qui tamē longissimus harum febrium terminus est, gar keine Aenderung sich spüren lassen/ und die Gemüths-Irrungen starck zugenommen/ und usque ad decimum quartum sich erstrecket/ bin ich in Zweifel gerathen/ ob Ephemera sich auf so lange Zeit extendiren könne/ quò minùs in putridam degeneret, dessen ich gleichwol keine indicia, wie genau ich auch Achtung darauf gegeben/ finden können.

So ist auch der calor in Ephemeris adeò mitis & svavis, daß er dergleichen delirium nicht hat verursachen können; Ad excitandum enim delirium requiritur ingens caloris à naturali recessus.

Uber das ist weder ex pulsu noch ex urinis einige Anzeigung deß Febers vermercket worden/ und wäre ein Feber dabey gewesen/utique virium vigor adeò constans non fuisset, ut pro libitu instar hominis sani & deambulare & cibum potumque capere potuisset æger.

So viel das prognosticon betreffen

sen thut/ob nemlich enige recidiva zu besorgen oder nicht? Setzet zwar N. N. gar recht/ daß/ weil die Ursachen/ worvon dieser affectus vorhin entstanden / iederzeit recurriren können/auch deroselben effectus zu besorgen stehe: Es bleibet aber auch fest/ was ich in meinem Responso statuiret, daß nemlich dieser affectus vermittelst Göttlicher Verleihung durch dienliche Artzney-Mittel und mäßige diæt köñe præcaviret werden / und bezeiget die Erfahrung / daß dergleichen affectus, wann sie nicht hæreditarii, nec idiopathici, nec radicati, idoneis medicamentis, accuratâque & decenti diæta öffters sind præcaviret worden/ wie in Observationibus Practicorum hin und wieder zu lesen/ auch noch allhier zwo vornehme Personen im Leben/ sind deren der eine vor 15. und der ander vor 19. Jahren mit dergleichen affectu behafftet gewesen/ und/ GOTT Lob/ biß auf heutigen Tag keine recivam vermercket / gestalt dann auch Sempronius selber / nachdem er dienliche Medicament zu rechter Zeit gebrauchet/ Ader gelassen/ eine gute mäßige diæt gehalten/ und allen hefftigen Gemüths-Bewegungẽ sich geäussert/ schon gantzer 10. Jahr von allen Gemüths-Irrungen frey gewesen / und/ GOtt Lob/ noch ist.

Was schließlich bey der præservation und curation dieses affecti p erinnert wird/ laß ich mir in allem gefallẽ.

Apertio hæmorrhoidum ist per medicamenta schon versichert: Die Sanguisugas hat man bißher nicht admittiren wollen.

Vomitiva sind nicht gebrauchet worden. Quia patiens ad vomendũ non est proclivis, & metuendum, ne in corpore insigniter plethorico vena aliqua in pulmonibus rumpatur.

Die Essentia hyperici ist etliche mahl in vehiculis convenientibus gebrauchet worden / hat auch cæteris partibus guten effect gethan.

Tinctura ♄ ist in omnibus capitis & cerebri affectibus ein sonderliches Specificum, und ob sie zwar gemeiniglich eine corrosivität bey sich hat/ quatenus menstruorum solventium acredo ægrè separari potest, ist doch dergleichẽ bey dieser/ welche von N. N. communiciret worden / gar nicht zu mercken/ dannenhero sie sicher und verhoffentlich mit Nutzen wird können gebrauchet werden.

Dieses habe ich auf Begehren wolmeynend und citra præjudicium hiebey erinnern wollen/ wündschende/ der Allgütige GOtt / welcher bißhero zu Gebrauch derer verordneten Medicamenten guten Succeß verliehen / und nunmehro bey 10. Jahren vor aller recidiv behütet / wolle auch ferner dieselbe in Gnaden abwenden / und im gesunden Leibe auch gesunde Vernunfft verleihen um Christi willen!

RESPON-

RESPONSUM XI.
Ejusdem Argumenti.

Generosus & Magnificus Dominus, sub finem proximè elapsi veris insolitum quendam calorem ac æstum sentire cœpit, cùm in toto corpore, tùm præcipuè in capite & circa faciem; qui quidem calor febris omninò expers erat, cum & pulsus naturali à statu parum recederet, nisi quod plenior esset, tum & virium vigor omninò constaret, adeò ut pro libitu deambulare & cibum potumq; capere potuerit. Fervor autem iste præcipuè caput infestabat, sicuti facies majore & insolito rubore suffusa, docebat, comitabantur plurium noctium vigiliæ planè pertinaces, actiones animales quoque nonnihil depravabantur, ut facili leviq; de causa succederet iracundia, ac in obvia quæque indignatio.

Quæ cùm satis ostenderent singularem Spirituum animalem fervorem, tàm in ventriculis, quàm ipsâ cerebri substantiâ, quo actiones, quæ ad rationem pertinent, nonnihil à statu naturali moverentur, & cum quadam vehementiâ fierent; Et verò iste fervor non in capite solùm, sed & toto corpore cum quadam molestiâ & anxietate intrinsecus à Magnific. V.râ perciperetur magis, quàm ab astantium contactu extrinsecus; non difficulter conjiciendum erat, in venis & arteriis totius corporis maximè circa cor & hepar sanguinem effervescere, adeoque cerebrum partim vaporibus calidis, tum & parte sui atrabilariâ illuc raptâ, impetere ac lacessere, atque ita per consensum totius affici.

Etsi autem hujusmodi æstus atq; fervor maniodes ab internâ causâ excitetur non infrequenter ex fermento quodam atrabilario, quod per intervalla in tantum accendit sanguinem sine febre, ut & cor & cerebrum manifestè lædantur, ejusq; actiones non parum depraventur; attamen non minus frequens est à causis procatarcticis & externis fermentum illud atrabilarium moveri, sanguinemque jam ante fervidum accendi, ac versus caput impelli, ceu præcipuò sunt iracundia aliquandiu perseverans, vini generosioris potus prolixior aut frequens, diuturnior mora sub radiis solaribus cùm caletur maximè; consultationes, contentiones arduæ & pertinaces. Quarum singula in corporibus dispositis vehementiorem sanguini fervorem concire, & versus caput impellere potest.

Utrum autem illarum aliqua & quænam heîc prægressa fuerit, non ita scrupulosè inquirendum putavi; temporis circumstantias rectè reputans

putans prædictas illas causas externas, ferè omnes & junctis operis concurrisse ac adfuisse, non frustrà conjicerem.

Ex quibus consectarium erat pro tollendo isthoc affectu corporis & statu in pristinum redintegrando scopos hos curativos emergere, ceu suggestos à morbo, causâ morbificâ, tùm & urgente vigiliarum symptomate, nimirum ut fervor sanguinis restingueretur tàm in corpore quàm in capite, ut sanguis fervidus & abundans in capite revelleretur, retrahereturque, tùm ut vigiliæ pertinaces corrigerentur.

Quibus scopis cùm præcipuè inservire posfit Venæsectio statim à me proposita, & ut quàm maturè in brachio dextro, interpositoque uno vel altero die in brachio sinistro institueretur, à me curatum est, cùm alvus pridiè cerevisiâ laxativâ sollicitata aliquoties dejecisset.

Etsi verò optarem monerémque sanguinis missionem in corpore ita plethorico, constantibus viribus, ætate virili, ad avertendum morbi periculum fieri oportere largiorem, quę scopo aliquatenus satisfacere posset, admissum tamen id non fuit, sed justo citiùs jussus est tonsor ligaturam solvere, adeoque venam sectam præligare, unde etiam non ita citum capiti levamen allatum: adeoque, ut porrò cucurbitulæ scarificatæ scapulis & brachiis adhiberentur, necessum fuerit, tanquā Venæsectionis vicariæ.

Intereà fervori ac æstui sanguinis alterando inserviebat aquâ hordeata cum passulis corintiacis & prunis prunellis decocta, syrup. acetos. citri, fragor. & rob. cynosbat. additum &c.

Per vices in usum ascitus Juleb colatitius ex conserv. rosar. Vitriolat. Rob cynosbat c. aq. refrigerantib. colatis additis syrupis prælictis.

Nec tamen neglectus est usus seri lactis caprini, quod tùm magis utilissimum hic erat, nunc solum, nunc c. sem. papav. alb. melon. & amygdal. dulc. colatum emulsumque.

Intereà arcendis vigiliis somnoque postliminiò reducendo quàm sedulò capiti prospectum fuit, partem epithemate hypnotico ex sem. papav. alb. melon. &c c. aq. convenientib. transcolatis, linteòque quadruplici fronti iterato admotô.

Tum & unguentum nostrum hypnoticum alternis vicibus linteo inductum fronti applicatum fuit.

Laudano opiato dextrè & prudenter exhibito somnus citius reduci potuisset, nescio tamen, quis vanus metus illud respuerit repudiaritque.

Interea victus ratio huic affe-

ctui & scopis prædictis consentanea, conveniensque instituta fuit, quæ omni careret calefaciendi facultate, sed è contrà, quæ non segniter refrigerare posset, nec tamen & ea admodum plena, prout quidem integer appetitus illam admitteret, sed tenuior potiꝰ ac parcior ob magnam jam tùm sanguinis præsentem abundantiam.

Vini usus ad aliquot septimanas utili obsequio excludebatur, præcipuè generosioris, quod & sanguinē calidiorem reddit, & vaporibus quàm citissimè caput petit ac ferit, tùm & cerevisiæ fortiores; cibi aromate largiùs conditi, ut & pinguia, consultò respuebantur.

E contrà tenuioris usus erat cerevisiæ, jusculorum avenaceorum, hordeatorum, ex vitello ovi c. aq. diluto, prunis, cerasis; lactucæ quoq; esus pro acetario frequens erat.

Animi adfectuum debita habita fuit ratio, eò composita, ut animi tranquillitas servaretur, damnosi verò animi adfectus studiosè vitarentur, itaque ut Magnific. V.ra ab omni iracundiâ, contentionibus, disceptationibusque arduis caveret, seseque subtraheret, è contrà verò grato cum amicis colloquio, ac svavi deambulatione tempus falleret, non monitum solùm, sed & re ipsâ præstitum fuit.

Quibus unâ ulteràque septimanâ ita usurpatis divinâ assistente gratiâ id assecuti sumus, ut remittente paulatim calore æstuoso, vigiliæ consopitæ, actionesq; animales pristinæ integritati ac tranquillitati redditæ restitutævè fuerint, pro quo ipsô divinæ benignitati laudem & gratiâ animitùs offero ac dico, quæ ut Magnific. Vestr, diu sospitem ac incolumem servare velit, D E U M obtestor

Magnific. Vestræ
Obsequentiss. Cliens
PETRUS GEILING, D.

P. S.

PRæcautionem quod attinet, omninò ea necessaria est, & curatione non parùm facilior. Dispositiones enim præter naturam affectiones morbosas minitantes nisi corrigantur, paulatim accrescunt, usque dum suoptmet robore in magnum sæpè morbum erumpant. Et uno vel altero die præservando plus efficere licet, quàm plurimis sæpe septimanis curando; Dum enim menti sua etiamnum constat integritas, consilio obsequentiores sunt ægroti, ubi autem ratio obliterata, sanum plerumque respuitur consilium.

Iisdem autem præservatio hujus affectus innititur scopis, qui in curationem adhiberi debuerunt; Nimirum ut sanguinis abundantia præcavea-

caveatur, fervor illius mitigetur ac attemperetur, tùm ut copia ferventis sanguinis à capite avertatur.

Primum obtinendum erit victu planè temperanti, ne ob cibi & potus copiam sanguis generetur abundantior: Verùm cùm exactè id observare non ita proclivè sit Viro politico, & qui non usque quaque sui juris est, sed quem aliorum honori & amicitiæ aliquid dare oportet; itaque per vices, Vere nimirum & Autumno, abundantior sanguis Venæsectione minuendus est.

Ne autem sanguis justo calidior generetur, aut evadat, atque ita in naturam atrabilariam degeneret, omnia, quæ caput & sanguinem valdè calefacere possunt, singulari curâ devitentur. Ceu vini generosi potus, aquæ ardentes seu Spiritus vini, cerevisiæ item fortiores & multùm lupulatæ, acres, & vaporosi cibi, ceu parati cum raphano, sinapi & cæpe, sicuti & aromatum largiora condimenta.

Tùm & æstus solaris ac calida hypocausta, balnea item declinanda erunt, cùm non solùm aërem præbeant calidiorem, sed & capitis repletioni causam præbeant. Animi prætereà affectiones vehementiores studiosè evitentur, ceu iracundia, contentiosæ disceptationes, cogitationes profundiores, ut & lectiones tales, eæque prolixiores. Denique à capite revellunt & sanguinem acrem, & vapores calidos cucurbitulæ scarificatæ, scapulis ac brachiis applicatæ, bimestri ad minimum spatio. Huic scopo quoque non parùm confert setaceum, ut moris est, nuchæ appositum, quo emissatio non parum acrium humorum à capite revelleretur. Ut autem optatiùs illa cadant, finemque suum rectiùs assequantur, viscera ab humoribus biliosis acrioribusque, ac fermentum atrabilarium suppeditantibus foventibusq; verno ac autumnali tempore ritè ac convenienter expurganda sunt.

Commodùm pro temporis & circumstantiarum ratione purgantibus, prout præsens Medicus illa è re fore cognoverit; quam in rem certas formulas futuris usibus præscribere supervacaneæ, imò noxiæ esset operæ, cùm id à præsentis Medici prudentiâ unicè fieri debeat.

Tandem nec hoc sine monitu præteriri debuit, ad avertendum hunc affectum à sanguinis fervore & abundantiâ oriundum magnoperè conferre consvetudinem conjugalem, quâ ipsâ sanguinis calor non parùm defervescit, atq; attemperatur, sicuti id in vulgus penè notum est, & dicterio locum dederit: Maritis calorem juvenilem facilè defervescere, ne quid de societatis conjugalis suavitate dicam, quæ

multas animi ægritudines lenire ac plurimum demulcere potest.

RESPONSUM XII.

Contusio Capitis cum fracturâ & depressione cranii.

FRanciscus Helm, Civis & cultri faber Stargardiensis benè potus, æstuante cœlo die XXIII. Junii Anno M. DC. LV. à Christiano Granovio laminâ ferreâ in osse syncipitis percussus, derepentè quidem mutus factus, sensibus tamen & motu integris, adeò ut eo ipso non minus ac postero & tertio die in conclavi & atrio deambularet, iracundus & mussitans, sæpiusque manu elevatâ percussori quasi minitatus.

Nocte diem quartum præcedente supervenêre convulsiones & lipothymiæ, quibus paulò pòst exstinctus est. Plaga post mortem demum à Chirurgo, incisâ cute & pericranio, aperta est, craniumque depressum & fractum repertum: An meninges læsæ fuerint, non liquet, cùm cranium ipsum aperire Chirurgus neglexerit.

Quæritur, an contusio hæc & fractura cranii ex se & simpliciter pro lethali habenda sit?

RESPONDETUR:

Contusiones & fracturas cranii periculosas quidem esse, sed non simpliciter & absolutè lethales.

Quemadmodum enim vulnera cerebri non omnia necessariò & absolutè sunt lethalia, sed ea tantùm, quæ in causâ sunt, ut Spiritus animales subitò dissipentur, vel sanguine è vasis effuso principium nervorum occludatur, atque ita Spirituum animalium influxus prohibeatur, vel ex eodem inflammatio cerebri, febris &c. excitetur; Sic & capitis contusiones & cranii fracturæ pro simpliciter lethalibus non habentur, nisi adeò vehementes sint, ut vasa cerebri & circa cerebrum rumpantur, sanguisque ex iis ad principium nervorum effundatur, ibique subsistens Spirituum animalium influxum prohibeat, vel inflammationem & alia gravia symptomata excitet.

In præsenti autem casu vasa cerebri, & circa cerebrum non fuisse rupta, cùm ex aliis indiciis, tùm exinde constat, quod neque per os, aut nares, vel aures sanguis effusus, nec sopor aut stupor subsequutus.

Principium verò nervorum non fuisse obstructum vel compressum, ex eo manifestum est, quòd percussus in tertium usque diem deambulaverit, id quod impeditô Spirituum animalium influxu neutiquam fieri potuisset.

Aphonia quidem concussionem cerebri arguit, sed minus vehementem

tem nec lethalem, siquidem sensus & motus integri perstiterunt: A vehementi enim concussione non tantum voce privatur læsus, sed etiam non videt, non audit, & ferè moritur, ut habet Hipps in Coacis *Aphorism. 499.*

Inflammatio autem & convulsiones, vera mortis hujus causa, meo quidem arbitratu artis operâ præcaveri potuissent; Si mox inter initia ad impediendum sanguinis tenuioris affluxum, vena secta fuisset, corpusque impurum pharmaco vel Enemate evacuatum. Et cùm proculdubio à contuso fractoque cranio aliquid sanguinis super duram meningem effusum fuerit, commodum, imò maximè necessarium erat, cranium tempestivè aperire, & sanguini, antequam putresceret, patefacere exitum.

Sic & cranium depressum artificiosè elevari, caputque & vires totius roborari debebant.

Quæ omnia cùm neglecta sint, mirum non est, ægrum convenientibus remediis destitutum fatis concessisse, præsertim cùm & ira vehemens, & aëris constitutio calidior & crapula accesserint. Quàm perniciosa enim maximè in vulneribus capitis hæc sint, videre est apud *Amat. Lusitanum. Centur. 6. Curatione centesimâ. Manlium in loc. comm. precepto 5. Gvilielm. Fabric. Centur. 1. observ. 22. Centur. 5. observ. 75. Sennertum libr. 5. Med. pract. part. 4. cap. 3. & alios.*

Hæc cùm ita se habeant, dicendum omninò est, contusionem hanc & fracturam cranii simpliciter & absolutè lethalem non fuisse, sed ægrum auxiliis necessariis & convenientibus tempestivè & ex arte adhibendis destitutum, accedentibus erroribus, causisque externis, inflammationem cerebri & convulsiones, tandemque mortem contraxisse. Et hæc mea quidem, salvô aliorum judiciô, est sententia, quam requisitus scriptô hôc, manuque meâ & Sigillô contestari volui. Colbergæ d. XV. Septembr. Ann. M. DC. LV.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XIII.

Vulnus Capitis in osse frontis cum fissurâ cranii.

ANno Christi 1663. den 23. Decembris, ist der Hoch-Edelgebohrne Herr Otto von Schwerin von einem Polnischen Bauer auf der freyen Land-Straße mit einem grossen Stück Holtzes vorne an die Stirne

deß Häupts geschlagen / wovon er alsobald zur Erden niedergefallen und erstummet: Die Stirn ist gantz und gar entzwey geschlagen / daß auch der zerbrochenen Knochen eilffe gewesen / derer etliche von sich selbsten abgefallen/etliche einwärts ins Gehirn gegangen. Ob nun zwar der Schaden gebührlich verbunden / auch dienliche Medicament inerlich gebraucht worden/hat sich doch die Sprache und Gehör nicht wiedergefunden / sondern es hat der verwundete gleich einem Todten gelegen/und weder Hand noch Fuß rühren oder bewegen können / biß er endlich den 30. Decembr. auf den Abends um 9. Uhr Todes verblichen.

Nach Eröffnung deß Haupts haben sich etliche Splitter gefunden / welche durch duram und piam matrem ins Gehirn gegangen / auch hat sich ein Riß in der Hirnschale biß nach dem Hinter-Kopff eines Fingers lang sehen lässen: Das Gehirn und dessen Hölen sind mit vielem Blute angefüllet gewesen/welches einen bösen faulen Geruch und Stanck von sich gegeben etc.

Dieses haben wir Endes-unterschriebene zu Steuer der Warheit auf unserm Eyd und Christliches Gewissen hiemit attestiren und anzeigen wollen/den 31. Dec. des 1663. Jahres.

Carl Hempel.
Erdtman Heller.
Johann Ohmb. Wundärtzte.

RESPONSUM.

Demnach befunden / daß nicht allein das os frontis gantz zerknirschet/ und in eilff Stück entzwey geschlagen / davon etliche Splitter und Schiefer durch duram & piam matrem hinnein in die substantz deß Gehirns gegangen/ sondern auch eine fissura von dem osse verticis biß an das os occipitis eines Fingers lang sich erstrecket / und das Gehirn/insonderheit dessen ventriculi oder Hölen/ mit vielem geronnen Geblüte/ so schon putresciret, angefüllet gewesen; Als ist die Verletzung und beschehene Gewalt billich pro simpliciter & absolutè lethali zu erkennen / gestalt sie dann hiemit dafür gehalten und erkennet wird / sintemahl hiedurch das Gehirn als eines von den Edelsten Theilen deß Menschlichen Leibes hefftig verletzet/ dessen Häutlein von den spitzigen Schiefern und Splittern durchstochen/ die Aederlein mit Gewalt zersprenget / die Spiritus animales von dem faulenden Geblüt / welches auß dem Cranio und ventriculis cerebri herauß zu bringen unmöglich gewesen/ überwältiget und gantz untergedrucket worden/ worauß der Tod unfehlbar erfolgen müssen:

Ita, salvô aliorum judiciô, sentio

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPON-

RESPONSUM XIV.
Vulnus asperæ arteriæ.

NObilis quidam in finibus Poloniæ & Silesiæ duello decertans in anteriore colli parte per asperam arteriam transversim vulneratus, profusâ ingenti sanguinis copiâ & denegato Spiritu subitò concidit & mortuus est. Cadaver defuncti ut inspicerem, & de vulnere judicarem, petierunt Amici.

RESPONSUM:

Absterso, Chirurgi operâ, sanguine, inveni non tantùm asperam arteriam, sed & venas jugulares & arterias carotides, imò & gulam subjacentem vulneratam, unde vulnus pro simpliciter lethali habendum esse, censui.

Etsi enim asperæ arteriæ vulnera, quæ magna non sunt, & in quibus tantùm membranosa & cartilaginea substantia læsa est, sanari possint, & sæpè sanata sint, ut paulò pòst docebitur: Attamen si venæ jugulares, & arteriæ soporales & gula simul læsa sint, ut in præsente casu, ob sanguinis confertim in pulmones irruptionem, respirationisq; interceptionem, hominem suffocari & subitò emori necessum est, quanquam hoc non ob vulnus asperæ arteriæ, sed venæ jugularis vel arteriæ soporalis accidat. Vulnera autem asperæ arteriæ, quæ tantum in membranosa vel cartilaginosa ejus substantia terminantur, curabilia esse, laryngotomia evincit, & curatorum exempla, quorum aliquot annotavit *Schenckius lib. 2. observ. Tulpius observ. lib. 1. cap. 50. Sennert. lib. V Med. pract. part. 4. cap 3.*

Ipse quoque tale vulnus sanatum vidi in Cive quodam Colbergense Jacobo Tellior. Is Anno M. DC. XXIV. seditionem contra Senatum molitus, cùm Schiefelbenam profectus esset, & in domuitione ab aurigis obviam sibi factis, intelligeret complices suos in arcem Coslinensem deductos, ibidemque carceribus inclusos, arrepto cultello asperam arteriam sibi incidit, unde in lipothymiam quidem prolapsus ab adstantibus pro mortuo habitus est, sed brevi ad se rediens, & vulnere decenter obligato, integræ valetudini restitutus est, nisi quod continuâ vocis raucedine per totam vitam, supervixit enim annos quàm plures, laboraret.

RESPONSUM XV.
Contusio Diaphragmatis.

CUm anno M. DC. LIV. pugiles nonnulli in palæstra curiæ Colbergensis publicè digladiarentur; Tympanista quidam interveniens arreptâ clavâ ligneâ, quam Trischacken vulgò vocant, athletarum non

nemi-

neminem ad pugnam provocavit, primoq; statim congressu, vehementi ictu in latus sinistrum percussit, undè subitò concidit sine sensu & motu, in vicinam cellam vinariam à sodalibus deportatus, infusoq; in os vino generoso, paululum respirare visus est, brevi tamen pòst è vita decessit. Qværitur, an ictus iste simpliciter & absolutè mortem intulerit, an secus?

RESPONDETUR:

Detecto inspectoq; cadavere latus sinistrum circa costas mendosas & dorsum sangvine multô undiq; suffusum deprehendi, aperui corpus, ipsumq; diaphragma in utrâq; superficie tàm qvà cor, quàm quà lienem spectat, valdè contusum, venasq; à vicinis venæ cavæ & arteriæ magnæ truncis prodeuntes, disruptas inveni, ex qvibus ingens sangvinis copia profluxerat: Hinc dissipatis spiritibus, & impeditô diaphragmatis ad respirationem & vitam summè & necessariô motu, aliter fieri non potuit, qvin ictu tam vehementi percussus moreretur; Id quod fide medicâ, manuq; & Sigillô meô attestari volui. Colbergæ d. xv. Julii. An. M. DC. LIV.

RESPONSUM XVI.

Vulnus pulmonum profundum.

ANNO M. DC. XXXVIII. Nobilis qvidam Danus in castris Svecicis ad Tribbesæam à rei armamentariæ Præfectô inter epulas & commessationes pugione oblongo sub alâ lateris dextri inter tertiam & quartam costam vulneratus, profusâ ingenti sangvinis floridi & spumosi copiâ, subseqventiq; omnimodâ virium prostratione & freqventibus animi deliqviis, die tertio è vitâ decessit. Qværitur, an vulnus pro simpliciter & absolutè lethali habendum, an secus?

RESPONSUM:

Aperto thorace, cuivis cavitas sangvine grumoso undiq; videbatur referta, inveni lobum dextrum pugione perfossum, arteriamq; venosam vulneratam, unde insigne sangvinis profluvium, & exinde spirituum vitalium dissipationem, viriumq; lapsum, syncopen, ipsamq; deniq; mortem subseqvi necessariò oportuit: Etsi enim substantiam pulmonum imò & vasa ejus minora sine hominis internecione qvandoqve vulnerata esse constet, in majoribus tamen, venâ sc. arteriosâ & arteriâ venosâ hoc non succedit: His enim sæsis sangvis & Spiritus vitalis profunditur, & dissipatur, vel à copia sangvinis pulmones & cor opprimuntur, & homo suffocatur.

RESPON-

RESPONSUM XVII.

Vulnus intestini plenioris, quod colon vocant, læso etiam jejuno.

TYmpanistes quidam in castris Svecorum ad Tribbæseam, à milite gregario in hypochondrio dextro paulò supra regionem umbilici gladio acuto vulneratus, de vehementi abdominis dolore conquestus, multū sanguinis per alvum dejecit, supervenêre & ventriculi subversiones & singultus, frequensque animi deliquium, die quarto mortuus est.

RESPONSUM:

Cùm intestinorum vulnera sæpè sanata esse experientiâ constet, dubitatur, an vulnus hoc pro simpliciter & absolutè lethali habendum? Aperto itaque abdomine, abstersisque, quibus refertum erat, excrementis, & sanguine, intestinum colon totum & undiquaque per transversum dissectum sphacelatumque repertum est, unde facilis erat responsio; Cùm enim vulnus esset adeò magnum nec manu per suturam consui, nec ullâ arte decenter tractari posset, chylusque & excrementa in abdominis cavitatem defluerent, ibidemq; putrescerent, & fœtorem insignem animiq; ob cordis consensum deliquium & syncopen excitarent, aliter fieri non potuit, quin moreretur æger; id quod requisitus fide medicâ attestari volui. Tribseæ in castris d. XXI. Septembr. Anno M. DC. XXXVIII.

RESPONSUM XIIX.

Vulnus in capite & hypochondrio dextro.

NObilis quidam Silesius Francofurti ad Viadrum nocte illuni & tempestâ per plateas divagatus, in excubitores sive vigiles urbis, quos Clodones vocant, incidit, à quibus in osse sinistro capitis ad suturam coronalem bipenni acutâ punctim, in hypochondrio autem dextro, ense lato & hebeti cæsim vulneratus, illicò concidit ἄφωνος, die tertio, superveniente Epilepsiâ forti & convulsionibus, exspiravit.

Quæritur, quodnam ex his vulneribus, an utrumque mortem intulerit.

RESPONDETUR:

Vulnus in hypochondrio dextro pro lethali habendum non esse; cæsim enim inflictum, nihil præter cutem & musculos abdominis læsit, peritonæo subjectisque visceribus & intestinis per omnia salvis: Alterum autem in capite mortem intulisse nullum est dubium; Fuit enim, ut in apertione cranii conspeximus, valdè profundū, & utramq; meningem ipsosque cerebri ventriculos

 pene-

penetrans, adeoque angustum ut, sanguis, cujus magna copia ad basin cerebri defluxerat, nullo modo evacuari posset, id quod requisitus attestor

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XIX.
Vulnus Ventriculi profundum.

Villicus quidam in hypochondrio dextro sub costis spuriis punctim gladio valdè lato, qualis Carnificum esse solet, vulneratus, multa cruenta vomuit, & per alvum dejecit, supervenêre sudores syncoptici, extremorum frigus & convulsiones, tertio die mortuus est &c.

Aperto abdomine vulnus in ventriculi fundo adeò magnum deprehendi, ut totam ejus substantiam à parte dextrâ per sinistram penetraret venis & arteriis, quarum larga ibidem seges est, penitus discissis, unde ingens sanguinis copia partim ἄνω καὶ κάτω rejecta, partim in spaciis abdominis collecta, dolores vehementes, cordis anxietates, lipothymias frequentes, vigilias, deliria, convulsiones, tandemque mortem intulit, & quidem necessariò, quatenus nec sanguis ex venis & arteriis confertim erumpens sisti, nec remedia convenientia admoveri, nec alimenta retineri, coqui, & distribui, nec vires ex insigni sanguinis profusione & dolore vehementi collapsæ, instaurari, nec ipsum vulnus adeò profundum & penetrans solidari potuit.

Etsi enim ea tantum ventriculi vulnera vulgò pro lethalibus habeantur, quæ orificio ejus superiori infliguntur, attamen & illa, quæ ventriculi fundum venasque & arterias gastricas majores penetrant, & valdè magna sunt, quale hoc fuit, mortem necessariò inferunt, nec obstat, quod *Schenckius aliiq; referunt*, aliquando etiam profunda ventriculi vulnera sanata esse: Rarum enim hoc est & singulari naturæ solertiæ, viriumque robori adscribendum, ut censet *Sebizius in exam. Vuln. part. dissect. part. 3. th. 58.*

Hinc rectè pronunciatum est à Chirurgis Lipsensibus Anno M. D. XCIX. die XXX. Decembr. Und hat sich befunden/ daß der Beschädigte in die rechte Seite unter die kurtzen Rippen zwischen den Gedärmen unten in den Zippel deß Magens gestochen/ also daß das Geblüte in den Magen getreten / und also per sedes & vomitum häuffig hinweg gegangen / davon er auch den dritten Tag gestorben. *Gottfrid Welsch in rationali vulnerum lethalium Judicio. Cap. X.*

RESPON-

RESPONSUM XX.
Vulnus Epatis.

ANdreas Ferber locum tenens à Johanne von Blauen/ Equitum magistro, in dextro hypochondrio gladiô acutô punctim vulneratus, multum sanguinis profudit, de dolore ad jugulum usque ascendente querulus, supervenit vomitus biliosus, dejectiones cruentæ, oculorum scotomia, deliquium animi, & paulò pòst mors. Interrogatus de lethalitate vulneris aperui abdomen, detersoque probè sanguine, Epar scrutatus, deprehendi non tantùm substantiam ejus, sed & venæ cavæ truncum vulneratum, unde vulnus pro simpliciter lethali habendum pronunciavi. Vase enim mag no quale est venæ cavæ truncus, vulnerato ob largam sanguinis profusionem, dissipatis Spiritibus, viribusq; deperditis, necessariò moritur Homo. *Hippocrat. 3. Epid. & 6. aph. 18.*

RESPONSUM XXI.
Paracentesis umbilici in Hydropico.

DN. HENNINGUS HARDERUS J. U. D. incidit in Hydropem ascitem, consuluit Medicum præsentem, qui præter purgantia quædam & serum lactis caprini nihil adhibuit; Intereà abdomen supra modum intumuit, ut & pedes, maximè verò umbilicus, qui ad ovi pavonii magnitudinem instar vesicæ pellucidæ propendebat. Vocatus est alius ex viciniâ Medicus; Ille præmissis universalibus consuluit, umbilicus aperiretur pro evacuatione seri restagnantis, cum cautione tamen, ne confertim & ἀθρόως, sed sensim aquæ fieret eductio. Intereà Chirurgus in absentia Medici plus decem libris seri semel simulque emisit: Hinc collapso abdomine dolor & virium langvor subsequutus, altero die æger exspiravit. Quæritur, an causa mortis errori, an morbo imputanda?

RESPONDETUR:

Umbilici compunctionem multis Hydrope tumentibus salutarem fuisse Medicorum observationes passim docent, & exstant hujus rei exempla, cùm apud alios, tùm apud *Platerum tomo 3. cap. 3. Andream Laurentium lib. 1. quæst. 16. Gvilielm. Fabric. Cent. 1. observ. 47. Cent. 2. observ. 58. Fienum tractat. 6. cap. 1.* Commodissima enim hæc est aquã Hydropicorũ evacuandi via, quam natura non solùm ipsa quærit, sed quandoq; etiam aperit, & cùm stagnantes aquæ nec internis nec externis Medicamentis evacuari queunt, cur non ut in aliis tumoribus aqueis & pituitosis administretur sectio, præsertim cùm partes, quas secare vel pungere oportet, omnes

ſint ignobiles & plerumque ſolam cutem perforare ſufficiat, diſtento in veſicam ſatis amplam & pellucidam umbilico, id quod aquarum eò confluentium vi & impetu potisſimum fieri ſolet.

Rectè itaque Paracenteſin ſvaſit Medicus, ſequutus Hippocrat. Galen. Albucaſin, aliosque artis peritos, qui omnes eandem commendant & in multis ſalutarem experti ſunt; Chirurgus autem in eo non levi erpeccavit, quod tantam aquæ copiam, quæ pondus decem librarum excederet, ſimul & ſemel extraxit, neſcius hoc modo animam cum aquâ educi. Etſi enim nonnulli ſanati ſunt, quibus aut ſectione aut caſu vulnerato abdomine univerſa aqua ſimul effluxit, rarum tamen hoc eſt, & tutius ex conſilio veterum ſenſim paulatimque & per vices aquam educere, quàm repentè & confertim, uid: *Hippocrates aph. 51. ſectione 2.* Quicunque empyi aut Hydropici uruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua univerſim effluat, moriuntur.

RESPONSUM XXII.
An Febris petechialis ex ſolâ urinæ inſpectione cognoſci poſſit?

MEdicaſter quidam inſpecto lotio ancillæ cujusdam audacter pronunciavit eam febri malignâ & quidem petechiali laborare, brevique morituram: Quod cum ita ſe haberet, ægraque paulò pòſt Fatis concederet, multos in admirationē ſui traxit etiam ex ſaniorum ordine: Ego interrogatus, an talia ex urinarum inſpectione ſciri poſſint?

RESPONDEO

Fallax plerumque eſſe, quod ex ſolâ urinarum inſpectione deſumitur judicium, nec ſatis conſtare, quænam corporis humani exinde cognoſci posſint affectiones. Sunt enim, qui tantum Epatis, renum, veſicæ, viarumque, per quas fluit urina, affectus exinde dignoſci poſſe putant: Alii etiam lienis, pulmonum, immò ipſius cerebri, aliarumque partium affectiones ex urinis perſpici poſſe, autumant: Quidam omnes omnium partium morbos & neſcio quæ non ex urinis preſagiunt, idque, ut Sennerto placet, vel lucri cauſa, vel ne quid eorum, quæ vulgò ſcire creduntur, ignorare, vel ne plus etiam quàm alii ſapere videantur, & reperiuntur non pauci, qui ad matulam, ægro non viſo, nihilque aut parum de ejus ſtatu & conditione certiores redditi, quaſi ex tripode multa vaticinantur, atque ut popularem auram captent, ſi quid, quaſi aliud agendo, de naturâ morbi expiſcati ſunt, largam

Sym-

Symptomatum telam texunt, aut in genere & ambiguè de multarum partium affectibus multa dicunt, interim tamen id unicè agunt, ut videantur hæc omnia ex urinâ perspicere, atque ita artem arte deludunt, & mundum, qui vult decipi, decipiunt, deceptumq; & dilusum apud animum falsè deridunt. His non immeritò accenseri potest Medicaster ille Uromantes, qui ex lotio febrim malignam se perspicere simulavit, cùm ab exhibitrice vetulâ per captiosas quæstiunculas morbum didicerat, ut adstantium non nemo postmodum prodidit.

Etsi enim & febres ex urinis quodammodò cognosci possint, certa tamen febris species & quidem malignæ ex solâ lotii inspectione determinari neutiquam potest, non minùs ac maculæ illæ in summâ cute efflorescentes, quas ex urinis prospicere idem est, ac ex fumante camino prævidere tonitrua: Et quomodo ex urinis febrim malignam cognoscas, cum plerumque sanorum sint similes, aliquando etiam tenues & crudæ, nonnunquam crassæ, coloratæ, turbidæ, rubræ &c. Unde nec de exitu harum febrium certi quid ex urinis præsagire licet. Etenim si in acutis, qualis est febris petechialis, secundum *Hippocratem 2. Aphorism. 19.* non sunt certæ prædictiones vitæ & mortis, etiamsi omnium Symptomatum signorumque accurata habeatur ratio, quomodò ex solâ urinæ inspectione mortem prædicere potuit Medicaster, & si potuit, cur Medicamenta illi præscripsit, quam jam jam morituram prævidit? Prudentis enim Medici est, ut *Celsus* loquitur, eum, qui servari non potest, non attingere, ne eum, qui sorte suâ interiturus erat, occidisse existimetur.

Quæ cùm ita se habeant, dicendum omninò est, Medicastrum illum, quæ de morbo & morbi eventu prædixit, non ex urinis perspexisse, sed ex vetulâ, quæ lotium obtulit, minùs cautâ exploràsse, & licet eventus responderit prædictioni, casu tamen hoc factum, non arte, in cujus potestate non est ex urinis talia perspicere, ut pluribus demonstrat *Forestus libro primo de incerto & fallaci Urinarum judicio cap. 4. & Petrus Apponus diff. 85. Gvilhelm. Fabricius Centur. 3. observ. 73.* Hinc *Langius* Uromantes inter impostores refert, quando *lib. 2. Epistol. Medic. m. pag. 653. ad Martinum Langium Fratrem ita scribit*: Nonnè dudum à me accepisti, duos esse in re Medicâ Impostorum ordines, quorum primi Uromantes dicuntur, ex lotio divinatores,

 qui

qui ex solo urinæ Judicio, de substantiâ & causâ ægritudinis ob vile pretium, quô nec triobolare Scortum prostat, per frictâ fronte nugari non erubescunt, quum sit periculũ in nullô mendacio, teste *Plinio*, majus & pernitiosius: qui sunt in republicâ ægrorum pernicies, rei Medicæ calamitas & Libitinæ Præsides: Alii sunt & dicuntur Receptarii, qui à Pharmacopæis & Chymistis, absq; ullâ ratione integros receptorum fasciculos colligunt & recipiunt, quibus plaustra onerare possunt, qui neglectâ morborum per causas naturales cognitione & dinotione, sola experimenta consectantur, qui certè, ut *Plinius* inquit, discunt periculis nostris, & per experimenta impunè mortes agunt &c.

RESPONSUM XXIII.

De partu 173. dierum vivo, qvi legitimus in Foro Judiciali, postqvam per integrum decennium de illo controversia fuit agitata, declaratus.

CAjus Sempronius ætate septuagenarius, Vir robustus & vegetus, temperamenti calidi & humidi, per octennium viduus Ao. M. DC. XLVI. die xix. Januar. secundo connubio junxit sibi Sejam virginẽ xx. annorum, constitutione sanguineam, & optimo corporis habitu præditam. Centesimo septuagesimo tertio à nuptiis die, peperit Seja Filium sanum, & omnibus membris, excepto capite, perfectum, ubi paulò antè ex mediâ contignatione domûs, septendecim circiter pedes geometricos altâ, improvisò lapsu in arcam ligneam, & ab hac in terram decidisset. Quæritur, an partus iste pro legitimo habendus, an verò novi Conjuges anticipati concubitus, aut genetrix violatæ pudicitiæ & illicitæ Veneris sit arguenda?

RESPONSUM:

Vulgaris est opinio eos solummodò fœtus vitales nasci & legitimos, qui secundum naturæ legem communem nono vel decimo mense in lucem prodeunt, reliquos omnes, sive ante sive post illud tempus nascantur, ex horum censu excludendos, exceptis septimestribus. Verùm ut nulla determinatio, quantumvis naturalis, in rebus potentiæ contradictionis subjectis, adeò certa est & immota, quin latitudine aliquâ dividatur, & nunc brevior, nunc prolixior reddatur: Ita & humanæ generationi dati termini cùm latitudine aliquâ accipiendi sunt, ut rectè monet *Acacia l. 2. de morb. mulier. c. 6.* Neq; enim naturæ affectus atq; opera ad certũ aliquod punctũ alligata sunt, sed temporis quâdam gaudent latitudine. Id quod in operosâ

rosâ hominis fabricâ maximè deprehenditur. Etsi enim plerique fœtus nono vel decimo mense in lucem edantur, certum tamen est, aliquos etiam undecimo, duodecimo, decimo tertio &c. nonnullos octavo, septimo, sexto, imò quinto mense vitales nasci, quemadmodùm apud *Plinium lib. 7. nat. histor. cap. 5. Cardanum lib. 1. tr. 3. contract. 8. Amat. Lusitan. Cent. 1. Curat. 27. Gellium noct. attic. lib. 3. cap. 16. Marsilium Ficinum lib. 3. de vitâ cœlitus propagandâ. Avicenn. lib. 9. de nat. animal. Franc. Vallesf. de sacrâ Philosophia cap. 18. Horat. Augen. Epist. & Consul. Medicin. lib. 6. Montuum anasceves morbor. lib. 4. cap. 41. Sennertum lib. 4. Med. pract. part. 2. sect. 6. cap. 1. Schenckium observ. lib. 4. obs. 41. Adrianum Spigelium de formato fœtu cap. 7. Ferdinand. Menan. comm. ad 4. cap. Hipp. de septimestri partu. Speronium in Dialogo de partu. Benedictum Sylvaticum Cent. 3. Consilio 64.* ubi partus 156 dierum pro vitali & legitimo declaratur, aliosque indubitatæ fidei authores videre est.

Causa hujus varietatis est maturatio & perfectio fœtus, quæ fit in utero incertò tempore, & variis interdum mensibus, ob facultates corpus fœtûs gubernantes vel debiliores vel robustiores. Facultas verò debilis vel robusta fit, vel per se, ex semine, nempe, cui inhæret, tanquam suo principio; vel ex accidenti, nempe apti alimenti penuriâ, quæ contingit, vel matris vitio, nempe morbo, inediâ, aliâve causâ externâ; vel fœtus ægritudine, quàm ex pravo matris alimento vel copioso nimium contraxit. *Adrianus Spigelius lib. de format. fœtu cap. 7.* Ut enim in lucem editi alii subitò incrementum sumunt, alii ob morbosam constitutionem tardius augentur: Ita in fœtu etiam, si facultas formatrix fortis sit, formatio citiùs absolvitur, & partus celeriùs sequitur; Si debilis, & formationis & partûs tempus protrahitur, *Senn. lib. 4. Med. Pract. part. 2. sect. 6. c. 1.* Cum enim generatio hominis fiat per modum coctionis, sicut diversitas objecti coquendi causa est, ut coctio tardiùs vel citiùs absolvatur; ita ut homo ab homine differt, citiùsvè vel seriùs perfici natus est, ita maturiùs tardiùsvè generatio absolvitur. Unde causam non video, ob quam fœtus 173. dierum è legitimorum classe eliminari debeat, Fieri enim naturaliter posse, ut propter facultatis plasticæ robur fœtus ad maturitatem & perfectionem solitò citiùs, ut modò dictum, perveniat, & sic partus acceleretur, nullum est dubium, quemadmodùm hoc præter suprà allegatos Medicinæ Duum-Viros *Doctissimus Arni-*

saus

ſæus multis iisque validisſimis rationibus & exemplis in libello de partus humani legitimis terminis ſolidè evincit. Nec obſtat, qvod *Hippocrates libro de ſeptimeſtri partu* ante diem 182. & horas XV. nullum partum vitalem edi aſſerit. Perfectio enim partus certos limites dierum imò & horarum numero inclusos prorſus reſpuit, ut *Speronius in dialogo de partu* prolixè oſtendit. Experientia verò obſtetricum, ad qvam provocat Hipps per exempla quàm plurima ab Authoribus fide dignisſimis, partim viſa, partim audita, infringitur, quippe & ratio ipſa ibidem ab *Hippocrate* à perfectione deſumpta partum alicui certo diei alligare non poteſt, cum perfectio & maturitas circa tempus illud incidens non magis certo dierum numero circumſcribi qveat, quàm qvæ incidit circa πλεόυμνα. Et ſi natura non rarò aberrat à decimo in undecimum, qvid vetat, qvin adeò velox incidat alicujus fœtus perfectio, ut ad maturitatem deveniat etiam ante diem 182? cùm naturæ actio præciſos terminos nullibi ſtrictè obſervet, & perfectio fœtus ante dimidium anni interdum incipere & ſoleat & posſit; Id qvod *Arniſæus loco allegato* & rationibus & obſervationibus evidentisſimis demonſtrat.

Præterea novem ſolummodò dies in præciſo illo 182. dierum termino deſiderantur, quos ſine omni dubio fœtus iſte adimplevisſet, niſi lapſus matris ab alto ruptis pelliculis vel ligamentis, qvibus fœtus utero annectitur, aut alio modo partum acceleráſſet. Quid verò ſi fœtum hunc ſeptimeſtribus accenſeamus? Etenim ſi juxta menſes lunares ſynodicos ab ipſo *Hippocrate & Galeno* adhibitos, fiat computatio, partꝰ iſte incidit in diem decimum menſis ſeptimi, ita qvidem, ut de primo menſe exemplo *Hippocratis* numeremus ſaltem qvindecim dies à plenilunio, quô concepit Seja; qvinq; autem intermedios computemus integros, nimirum dies 147 remanebunt dies decem ſeptimo annumerandi. Sufficit enim ad partum ſeptimeſtrem, modò principiū ſeptimi attigerit, qvemadmodum *Hippocrates* nonomeſtrem vocat, qui ſextum quadrageniarum confecit, hoc eſt, qui incidit in primos dies noni, & decimeſtrem, qui paucos de decimo dies participat, & undecimeſtrem, qui decimum vix ſuperavit. Unde & *Accurſius* ſeptimeſtrem facit, qui uno ſaltem die ſupra ſextum naſcitur. Nam ut criticus dies contines horat omnes, ita & menſis tàm criticus putatur in principio, quàm in fine, quâ de causâ dixit *Hippocrates in libr. de aliment. fætus* generari in propoſi-

tis

tis mensibus non tantùm secundum totum, sed etiam secundum partem. Qvod verò *Hipp.* de postremo mense XX. dies computat, nullâ aliâ ratione factum est, quàm ut dimidium anni sive dies 182. compleret, nondum enim observatum erat, etiam ante hunc terminum nasci fœtum vitalem, prout ex libro de septimestri partu patet. Ex his liquidò constare arbitror, fœtum hunc pro legitimo & naturali habendum, non obstante, qvod partus hujusmodi rarissimi sint, tamen non monstrosi; Ita nec monstrosum dicendum est, qvod perfectum, qvantumvis rarissimè nascitur paulò ante septimum, *Arnisæus lib. de humani partus terminis, thesi 79.* Agnovit hoc & *Seneca, quando lib. 7. natur. qvæst. cap. 27. in hæc verba erumpit:* Ignorat naturæ potentiam, qvi illi non putat aliqvando licere, nisi quod sæpius facit. Si qvem verò grandior ætas Parentis septuagenarii facit ancipitem, is sciat vires corporis non annorum seriè, sed temperamento metiendas, id qvod ex collatione Individuorum manifestè patet. Videmus enim non raro sexagenarium, vel etiam septuagenarium senem omnes actiones naturales promptius exercere, ac juvenem aliqvem, aut mediæ ætatis Virum, cujus nulla alia ratio reddi potest, qvàm diversitas temperamenti: Prout enim se habet calidi nativi robur, ita etiam se habet virtus ad actiones. Agendi siqvidem facultas à naturali constitutione dependet. *Gal. de different. morbor. cap. 2.* Senem autem hunc nostrum optimæ constitutionis & temperamenti esse, ex animi alacritate, corporis vigore, operationumque expeditissimâ functione abundè constat; Nec verisimile est amores juvenculæ adeò deperditè ambiturum senem, sibi validiorum femorum benè sibi conscius fuisset.

Exempla non tantùm Septuagenariorũ, sed & hos longè transscendentium prolificorum senum collegit *Schenckius observ. Medic. lib. 4. observ. 522. & Levinus Lemnius de occult. nat. mirac. lib. 4. cap. 24.* Notabile imprimis est, quod de Parente & Proavo suo *Platerus Qvæst. Physiolog. 38.* recenset, quorum ille post septuagesimum secundum ætatis annum, novis nuptiis contractis, liberos sex & postremam filiam anno ætatis octuagesimo secundo procreavit: Hîc verò post centesimum vitæ annum filium adhuc genuit, & ad nuptias ejus supervixit. Simile quid & nos paucis retrò annis observavimus in Episcopatus Caminensis Cancellario Dn. D. Joachimo Navin, qui anno ætatis septuagesimo sexto filiam genuit etiam nunc superstitem. Sic & in Borussiâ

Digitized by Google

novi Virum quendam nobilem Dn. Fridericum Lichtfuß / qui Parentis sui anno septuagesimo primo natus adhuc dum vivit. Usque adeò planum est, quod *loco allegato Platerus* scribit, mares quamdiu sani sunt, toto vitæ tempore ad liberorum procreationem aptos esse.

Quæ cùm ita se habeant, fœtum hunc pro legitimo agnoscendum, nec Conjuges anticipati concubitus, vel matrem illicitæ Veneris, & corruptæ Virginitatis, ex hoc quidem capite, argui posse, censeo.

BALDASSAR TIMÆUS von Güldenklee. D.

RESPONSUM XXIV.
De eodem partu.
Facultatis Medicæ in almâ Lipsiensi Decanus, Senior, & reliqui Doctores ac Professores.

QVod in communi vita omnibus ferè accidere solet rebus arduis, raris & singularibus, ut vel in admirationem sui rapiant quemlibet, vel ad indagationem accuratiorem, & veri disquisitionem alliciant meritò, idem contigisse vero non absimile est in casu nobis transmisso, quô CAJUS SEMPRONIUS, Vir annos septuaginta natus, vegetus adhuc, robustus, ac temperamenti calidi humidi, hincq; ad rem Veneream aptus, elapso octenni viduatu SEJAM, Virginem annorum viginti, constitutionis sangvineæ, nec non habitûs corporis optimi uxorem sibi junxit connubio secundo, & cum illâ, vix qvatriduum à fluxu menstruo liberatâ concubuit. SEJA verò cum paulò antè lapsu altiori & improviso ex mediâ domus contignatione septendecim pedes geometricos in arcam ligneam, & ab hac in terram procidisset, centesimo septuagesimo tertio à nuptiis die filium enixa est sanum, & membris omnibus, excepto capite, perfectum. Unde dubitari potius, quàm in admirationem duci percipimus

1. An partus iste pro legitimo habendus?

2. Utrum aut novi Conjuges anticipati concubitus, aut genitrix SEJA violatæ pudicitiæ & veneris illicitæ sit inculpanda?

Ad veritatis itaque indagationem & propugnationem præsuppositis iis omnibus, quæ scripta sunt, totidem nos ponimus, formamus & firmamus fundamenta. Confessum est, tàm apud priscorum, qvàm moderni seculi Artis Medicæ Primores terminum partus humani non uni eidemque soli mensi, hebdomadi aut diei posse determinari aut circumscribi, sed sub eorum contineri nomine, qvorum cum *Aristot. lib. 9. de generat. cap. 1.* à sensu vel expe-

Digitized by Google

experientiâ veluti â posteriori exordium capere, & ad rationes progredi oporteat; atq; ita ex longâ & perpetuâ quasi observatione à Principe nostro *Hippocrate* menses illi, nonus & decimus, tanqvàm vel unicè vel maximè partui humano naturales, qvibus tandem ex eâdem causâ & septimum adscribit, *lib. de septim. partu*, sunt pronunciati & proclamati.

Qvod si verò terminus partus humani naturalis, prout pro fine naturalis existit, & ex ipso interno seu naturali principio causam habet, accuratius pensitetur, non potest aliter concludi ac defendi, nisi ut partus hujus determinationi, prout in rebus potentiæ contradictionis subjectis necesse est, latitudo nunc brevior, nunc prolixior concedatur. Etenim cum πλεογονία seu fœtus maturatio & perfectio, tanqvam unica & vera partûs naturalis causa ab ipsâ tùm seminis tùm sangvinis materni dependeat temperie & ἰδιοσυγκρασία, cujus virtute facultas πλαστική vel fortior, citiùs formationem absolvit, & partum accelerat, vel debilior formationis & partus tempus longiùs protrahit, & qvis inficias ire contra ipsius veritatis & experientiæ stimulum calcitrare audeat? qvando omnes illas, qvæ ab hoc principio tanqvàm proximâ causâ in corpore humano oriuntur actiones, diversissimam stabilire & confirmare horum terminorum latitudinē reipsâ conspicit, ipsam fœtus formationem vel motum, & per consequens partum qvoque in utero non in unum præcisè incidere diem, ut ipse annotavit Senex in lib. de aliment.? Pubertatis annos ab hoc ipso principio dependentes itáne definitos comperimus, qvin alii aliis citiùs, alii aliis pubescant tardius? Dentitionem & pilorum eruptionem vah! quantum in singulis speciebus & individuis apparet dissidium ab ipso *Galeno* jam suâ ætate annotatum. Atq; ut propiùs rem tangamus, si menstrui fluxus tempus mulieres explorare debeant singulæ, totidem profectò ac tantæ tàm incipiendi qvàm procedendi aut definiendi termini succrescerent diversitates, qvot numero ferè conveniunt fœminarum, non dicam familiæ, sed individua, qvæ singula sicuti augmenti magnitudine, staturâ, vitæ duratione, aliisq; actionibus plurimis hac temperiei sive caloris sui ratione tanto inter se differre dissidio videmus, ita gravissima sæpè comprobat autoritas *lib. de sanit. tuendâ cap. 2. comm. 27. Aphor. lib. 3 Hipp. lib. 3. prognost.* ob ejusmodi temperamenti frigiditatem *lib. de sept. partu*, ac de naturâ pueri, fœmellas in utero tardiùs perfici contestatur; sussi-

suffragante eidem *Galeno lib. 6. Epid. comm. 2 text. 44. Aristot. lib. 4. de generat. animal. cap. 6.* Uteri angustiam, qvam in primiparis, qvalis SEJA fuit, causam celerioris partus statuit *Augen. in citat. libr. de partu humano,* hoc in loco & casu allegare non lubet; Ex quibus adductis liquidò constare arbitramur omnibus, partum SEJÆ in hoc casu existere legitimum, non qvidem communi & vulgari modo, sed enormi qvasi & rarissimo.

Qvanqvam nec ab his nos admodum dissentire videamur, quòd nisi casus improvisus ab alto gravidæ supervenisset, partum hunc septimestrem contingere potuisse. Neq; ullam injuriam inferri præterea hîc videmus sententiæ aliàs gravissimæ *Divi Senis lib. de septim. partu,* qvâ ante septimú mensem vitalem fœtú expressè negari legimus, siqvidem aut in latitudine satis confirmatâ intelligi debeat ille locus, ut non multi, sicut in hoc casu, deficiant dies, aut si tàm strictè assumi velit, posuerit fœtum septimestrem vitalem tanqvam cognitum tunc temporis, non verò præcocem vel maturiorem tanqvam impossibilem excluserit; aut deniqve eâ scripsisse ratione & conditione, qvâ *Aristot. lib. 1. de generat. animal. cap. 18.* hominis corpus intra qvinqvennium ad dimidium suæ magnitudinis tradidit, cum αὐτοψία tamen monstret, qvosdam istum magnitudinis gradum acqvirere maturius, qvosdam tardiùs. Eodem modo idem *Hipps lib. de septim. partu, & Paulus Ægineta lib. 1. cap. 9. scripserunt,* infantes incipere dentire mense ætatis septimo: *Galenus* tamen cum experientia alios citiùs, alios tardiùs dentire. Horum & similium profectò Catalogus enumerari posset longissimus, nisi tùm suprà partim fuissent adducta, partim Medicorum Clarissimorum & tùm fide, tùm gravitate dignissimorum loqverentur cum ratione scripta, & usu communi comprobata exempla plurima ab aliis satis laudabiliter annotata & demonstrata, utpote *à Plinio lib. 7. Natur. Histor. cap. 5. Cardano lib. 1. tr. 3. Contract. 8. Amat. Lusitan. Cent. 1. Curat. 27. Gell Noct. Attic. lib. 3. cap. 16. Avicen. lib. 9. de natur. animal. Horat. Augen. Epist. & consult. med. l. 6. Valles. in sacrâ Philos. cap. 18. Senn. lib. 1. med pract. part. 2. sect. 6. cap. 1. Schenck observ. 4. observ. 45. Adrian. Spigelio de formato fœtu cap. 7.*

Senium & annorum numerum qvod attinet Sempronii, accuratiùs de eo hîc disqvirendum non est, qvin potiùs acqviescendum. Nos statuimus in perpetuâ & verâ medicorum doctrinâ, qvæ temperamenti & constitutionis naturam magis

esse

esse attendendam edocet, atqve plurimorum annorum cumulum, qvâ ratione senem, si juvenis oculum haberet, æqvè benè ac accuratè cernere, regula ad Canon Medicorum existet: Imò hujus respectu senem vegetiorem existere posse adolescente valetudinario, & viscerum δυσκρασία laboranti, ad ipsam provocamus experientiam, qvam testem nobis ponunt gravissimi Autores, *Augenius, Forestus, Amatus Lusitanus, Schenckius* loco suprà dicto, qvibus *hodiernam Lipsiensium Magistratium memoriam* addere non erubescimus, quæ non tantùm elapsis abhinc 16. annis Civem & Senatorem suum sexagenarium meminit secundis nuptiis procreâsse qvatuor filios, qvorum unus adhuc Doctor Medicinæ floret vegetus & clarus, alter Philosophiæ Magister & Theologiæ nobiscum vivit studiosus alacriter: Verùm etiam dedit hac ipsâ septimanâ virum è mercatorum ordine præcipuum, & septuaginta quinqve annos natum filium ex matre juvenculâ sanum & omninò vitalem ad sacrum baptismatis fontem publicè mittentem. Neqve de Octogenariis, si cui dubium videatur, vacua sunt urbium Amplissimarum exempla.

Ex horũ omnium veritate, satietate & firmitate è naturæ penetralibus depromptâ concludimus seriò; Fœtum seu partũ hunc SEJÆ legitimum, à causis tamen externis, & præcipuè lapsu graviore ex alto nonnihil maturatum esse, & consequenter nec Conjuges vel anticipati concubitus vel matrem Veneris impudicæ & Virginitatis falsariæ ex hâc causâ (cum præsertim vitæ Sejanæ accesserit castitas, honestas & famæ integritas) protinùs accusari posse. Qvod nostrum judicium attestatum facere impressione Sigilli Facultatis nostræ publici volumus. Dat. d. 8. Novembr. Anno Salutis nostræ clɔ Iɔc. XLIV.

RESPONSUM XXV.

De Eodem casu.

CAjus Sempronius Wittwer/nachdem er seine Kinder vorher/ ehe er ad secunda vota schritte/ außgesteuret/und acht Jahr lang in viduatu gelebet/heyrathet eine Jungfrau Sejam von 20. Jahren/ ob er wol bey 70. Jahren/ist er doch guter starcker Natur/ gesundes Leibes/ Sangvinischer Complexion, ad rem Veneream aptus, daher begehret er an der Braut Vater fort Hochzeit zu machen; Uber 14. Tage fället der Braut Monat-Zeit ein / differiret derowegen die Hochzeit in die dritte Woche/die Braut bekömmet ihr Menstruum 4. Tage an-

Digitized by Google

te nuptias, wird nur einen Tag rein ante nuptias à menstruo, den 19. Januar. dieses Jahres wird Hochzeit/und halten sich die jungen Hochzeiter als Ehe-Leute/ die Braut stehet mit grossen Schmertzen den ersten Coitum auß/vergeußet auch Blut/welches im Braut-Hemde zu sehen/ und bezeuget der Außgang/daß sie in der Nacht gesegnet:von selbiger Zeit hat die Jungfrau öffters Eyfer von ihres Mannes Sempronii Kindern erster Ehe/ bekömmet auch gravida den weissen Fluß/ darüber der motus fœtus in utero wird in der 16. Wochen nach der Hochzeit vermercket/ den 12. Julii sind 173. Tage fället die Jungfrau von einem hohen Boden auf einen Kasten/von dem Kasten auf die Erde/ versehret die lincken Lände und Rücke. Nachdem Fall etwa 14. Stunden gebiehret Sie einen lebendigen Sohn. Hinc exoriuntur qværita:

1. Ob dieser partus durch vorhergehenden Eyfer/ großes Lauffen und schweren Fall nicht acceleriret und pro abortu zu halten sey.

2. Ob daher/daß der fœtus nach 25. Wochen nach der Hochzeit lebendig zur Welt kommen/und seine Vollkommenheit gehabt / erfolgert könne werden/ daß die Braut Seja ihrem Bräutigam dem Sempronio die unverletzte Jungfrauschafft ins Ehebette nicht zugebracht habe?

Demnach uns beygefügter Casus zweyer Eheleute/ darüber unser Bedencken / und zwar auf zwey unterschiedliche quæsita, gebührlich aufzusetzen/zugeschicket worden/ so erkennen und achten wir Dechant/Senior, und sämmtliche Professores der Medicinischen Facultät / præsuppositis tamen omnibus circumstantiis in casu descriptis tanqvam veris & indubitatis, es dafür:

Ad 1. qvæsitum, daß dieser partus durch vorhergehenden Eyfer / große Bewegung deß Gemüts so wol als deß Leibes/insonderheit durch den schweren Fall vom Boden acceleriret,und pro abortu à causâ hâc violentâ, da die Natur ad immaturam expulsionem stimuliret worden/ zu halten sey.

Ad 2. qvæsitum, daß/ob schon der fœtus männliches Geschlechtes nach 25. Wochen/und zwar am 173sten Tage nach der Hochzeit lebendig zur Welt kommen/und seine vollkommene Gestalt gehabt (wobey aber sonder Zweifel keine solche völlige stärcke der Glieder/ als bey vollzeitigen gesunden Kindern seyn pfleget/ vorhanden seyn mag)hierauß deñoch nicht erfolgert werden köñe/ daß die Braut ihrem Bräutigam nicht solte die unverletzte und reine Jungfrauschafft ins Ehebette zugebracht haben.

Zumahlen hiebevor dergleichen Frühezeitige und doch lebendige Geburten sind observiret,und von vornehmen Medicis annotiret worden.

vid.

vid. Sennert. & reliqui, quos citat, autores, lib. 4. part. 2. sect. 6. cap. 1. Horstius de naturâ humanâ Exercit. 12. Qv. 8. Marcell. Donatus de bistor. mirab. lib. 4. cap. 13. und solches zwar ům so viel weniger / wann præter circumstantias in hoc casu enarratas auch die Seja ante nuptias quoad pudicitiam bey ehrlichen Leuten guten Leumund gehabt und beygehalten. Signatum sub Sigillo Facultatis Medicæ. Greiffswald den 7. August. An. 1646.

Decanus, & reliqui Professores facultatis Medicæ Universitatis Gryphisvvaldensis.

RESPONSUM XXVI.

De eodem partu.

DAß auf so großen beschriebenen Fall und Niederstürtzung eine schwangere Frau abortiren könne / wundert mich / daß man daran möge zweifelen. Da doch offt von geringem böhren / tantzen / fahren / die gravidæ abortiren können.

Wie dann auch ein unerfahrnes Werck zu dubitiren, ob ein Kind von 25. Wochen seine völlige Gestalt habe / da doch die tägliche experientz vornehmer alter Matronen bezeuget / daß auch auf viel geringere Zeit / als 14. Wochen / rechtgestalte Kinder per abortum außgeworffen worden / die gelebet / Arme / Hände / Füsse / Ohren / Augen &c. gehabet / ob sie wol nicht gar lange gelebet; scilicet infans statim primis mensibus formatur, qvoad formam sive figuram, licet non qvoad quantitatem.

So bewegen sich auch die Kinder nicht allein auf 16. sondern auf 15. Wochen / und ist (4.) iterati sanguinis menstrui fluxus ante nuptias, dolorifica hymenis per concubitum ruptio indubitatum virginitatis signum.

Auß welchem allem genungsam offenbahr / daß der bewusten Frauen durch falsche calumnien Unrecht geschehen.

D. Johannes Newkrantz. Reipublicæ Stralsundensis Physicus ordinarius.

RESPONSUM XXVII.

De eodem.

ES ist zu verwundern / daß man das jenige / was von allen Medicis einhellig gelehret / und den Weibern / welche selbsten Kinder-Mütter gewesen / oder nur mit solchen ůmgangen / nicht unbekandt / und vielfältig erfahren wird / in Zweifel ziehen wil / ob nemlich eine Leibes-Frucht durch Eyfer / großes Lauffen und schweren Fall vor der Zeit könne auß Mutter-Leibe getrieben werden / massen die tägliche Erfahrung bezeuget / daß nicht allein ům dieser / sondern auch ům viel geringere Ursachen

chen solche Fälle sich nicht ungemeinlich begeben. Da ein solches in vielfältiger Erfahrung gegründet / möchte man wol gerne wissen / warum auch nicht in vorgeschlagenem Casu, da die violentæ causæ, welche alle eintzele genügig sind / einen abortum zu provociren, als Eyfer / großes Lauffen / schwerer Fall (darauff auch sonder Zweifel ein großes Schrecken erfolget) alle mit einander beysammen sind / diesen partum nicht solten accelerirer haben / bevorab / da wegen vorgegangenen weissen Flusses die Banden / damit das Kind im Mutterleibe behalten wird / relaxiret, und vis retentrix uteri nicht wenig vorhin geschwächet gewesen.

Wie dann auch nicht weniger zu verwundern / daß man daher / daß das Kind / welches 173. Tage nach der Hochzeit per abortum lebendig zur Welt kommen / und seine vollkommene Gestalt gehabt / erzwingen wil / daß die Braut Seja ihrem Bräutigam dem Sempronio die unverletzte Jungfrauschafft ins Ehebette nicht zugebracht habe / nachdem wohl sich vielfältig zuträget / daß Kinder von 25. Wochen vollkömmentlich gebildet / und in ziemlicher Größe lebendig zur Welt gebohren werden / und nach der Geburt etliche Stunden / Tage / Wochen auch wol Monat und Jahre am Leben bleiben.

Damit aber auch solches den unwissenden erwiesen werde / habe ich die doctrinam de fœtus formatione auß deß *Roderici à Castro lib. 3. de naturâ mulier. cap. 14. & 15.* gezogen / nebenst der Epistel Adriani Spigelii olim in Gymnasio Patavino Professoris, de incerto tempore partus beygefüget: Nehme darauß die unstreitige præsupposita:

1. Qvod mas citiùs qvàm fœmina intra uterum efformetur.

2. Qvod alii temporiùs, alii seriùs efformentur & ad perfectionem perveniant, adeòque formationis, perfectionisqve, partusqve maturum temp9 exactè definiri neqveat, sed pro ratione Seminum & constitutione parentum varium sit.

3. Qvod duplicato à conceptu ad formationem tempore cùm mares, tùm fœminæ moveantur, subindeq; triplicati dies, mutuò indicent partûs tempus.

Und beantworte die Frage also:

Ob wol nach gemeinem Lauff der Natur die Kinder am 9ten Monat nach der Empfängnüß zur Welt lebendig gebohren werden / und unter denen / die vor der Zeit gebohren werden / nur die partus septimestres vitales, die aber nach und vor der Zeit kommen pro illegitimis von etlichen ICtis und unerfahrnen Philosophis wollen gehalten werden: Bezeugen doch die vielfältigen Observationes so wol alter und neuer Medicorum, wie auch alter Matronē und Heb-Ammen /

rien/ die in Volckreichen Städten bey vielen Geburten gewesen/ daß nicht allein unter denen/ die vor dem 9ten Monat/die partus septimestres, sondern auch semestres und quinqvemestres vitales; Besondern auch unter denen/ die nach dem 9. Monat gekommen/ die jenigen/ welche 10. 11. 12. 13. 14. ja biß in den 16. Monat à concubitu cum marito, legitimi befunden worden/wie die Exempel von *Spigelio* in der *Epistola* angezogen/ und von *Marcello Donato* und *Schenckio in observationibus* aufgezeichnet/ und andere viel mehr/davon alte Matronē/ geschworne Frauen und Heb-Ammen zeugen/ zur Genüge Nachricht geben.

Gleichwie nun eine Ehrbare Matron/ die post abitum oder obitum mariti etliche Wochen oder Monat länger/als gemein gewöhnlich/ einiger Leibes-Frucht genesen möchte/ deßwegen nicht alsofort einiger Unzucht zu bezüchtigen / wie etwa unwissende boßhafftige Leute thun möchten: Also kan auch einer Ehe-Frauen/die nach 173. Tagen eines lebendigen vollkommentlich-gebildeten Sohns per abortum genesen/ eben wenig und noch weniger beygemessen werden/daß sie vor der Zeit mit jemanden zugehalten habe/ nach dem mahl dieses öffters / als jenes sich zu begebē pfleget/und ist solches deß *Hippocratis* Lehre nicht zuwider / welcher schreibet/ qvòd ante septimum mensem editi non sint vitales. Dann dem *Hippocrati* nicht ungewohnet/ daß/ was nicht gemein geschiehet/ so zu halten / als wenns nimmer geschehe/ wie den Medicis bekandt ist; Quæ autem rariùs fiunt, etiam fiunt,& naturaliter fieri possunt. Ursachen aber/warùm das eine Kind zeitiger zu seiner Vollkommenheit gelange/ und ehe geboren werde als das andere/ sind in Scriptis Medicorum anzutreffen. Unter andern hilfft zur zeitigen Vollkomēnheit der Kinder viel/ wann beyde Eltern gesunder constitution,&virtuosa,auch semina matura sind wol proportioniret, auch der conceptus in utero wol foviret wird.

Wann dann die Ehe-Leute beyde gesunder constitution, der Maß 8. Jahr lang deß consortii conjugalis sich enthalten / und derowegen desto stärcker genaturiret, die Junge Frau auch nubilis gewesen/ist ohne Zweifel die formatio fœtus in utero desto eher absolviret, und zu der Vollkommenheit/ die er gehabt/ da er per abortum excludiret,gekommen.

Wann nun die formatio fœtus am 30. Tage absolviret wäre/ wie *Franc. Joel. lib. 8 sect. 3. p. m. 273.* und andere schreiben / daß in der Zeit ein Knäblein absolviret werden könne/ auch wol ùm itzt gedachter Ursachen absolviret ist/so würde das Kind zu einer gemeinen natürlichē Geburt/ nicht mehr als 7. Tage zu den vorigen 173. haben dürffen. Dann wann man 30. Tage dupliciret, hat man 60. darinnen der erste motus geschehen/ wel-

cher nicht so leicht vermercket wird/ (der vermerckte motus in der 16. Wochen ist Signum robusti infantis gewesen) weiter/60. tripliciret machet 180. dazu thut *Hippocrates libr. de part. septim.* noch 2. Tage/ und erfordert 182. zu einem vollkommenen Septimestri. Ja weil die formatio fœtus auch wol ante trigesimum kan absolviret werden / wie auß Spigelii und anderer Medicorum Schrifften zu erweisen/kan auch der partus naturaliter noch zeitlicher geschehen. Und wann man zur Rechnung menses lunares nimmt/als neben erfahrnen Medicis auch berühmte JCti thun/ (*vid. Alciat. in l. Gell. in num. 30. ff. de lib. & posth. & Menoch. de arbitr. jud. caus. 10. num. 18. & caus. 89. num. 35. Francisc. Bursat. consil. 64. num. 22.*) weren nicht mehr als 4. Tage ad complendum sextum mensem von nöthen. Dann ein Mensis hat 29. und einen halben Tag/ die mit 6. multipliciret geben 177. Tage. Wann nun ein Kind am 7ten Monat natürlich hätte können oder sollen vollkommentlich an Gliedern und Leibes-Stärcke geboren werden/ was solte es wol vor sonderlichen Mangel an seinem Leibe haben/ wann es per abortum 4. oder 7. Tage zeitiger kommet. Auß welchen allen erhellet / was für ein nichtig argumentum es sey/ zu beweisen/daß die impraegnatio ante nuptias sey geschehen / oder daß die Braut Seja ihrem Bräutigam dem Sempronio die unverletzte Jungfrauschaffft ins Ehe-Bette nicht zugebracht habe; insonderheit weil der erste concubitus in der ersten Nacht cum Marito dolorificus & cruentus gewesen/ welches ex angustiâ vulvæ & perruptione hymenis kommen/ und eine indubitata illæsæ virginitatis nota von den Medicis, auch von jedermänniglich dafür soll angenommen werden/nach GOttes Befehl Deuter. 22. à v. 13. ad 19. welches zum besseren Unterricht kan gelesen werden. Daß aber die Empfängnüß von dem ersten Beyschlaff geschehen/wird auch daher vernünfftiglich vermuthet/weil die Mutter wegen der gar kurtz geendeten Monat-Zeit gereiniget/und zur Empfängnüß desto geschickter gewesen. Hæc cùm veritati innitantur, scriptis tradere & subscribere volui.

Ego
BARTHOLOMÆUS
HORN. M. D.

RESPONSUM XXVIII.
De eodem partu.

WEil Frau Seja verdächtig gehalten wird/ als hätte sie wegen ihres also verdienten frühezeitigen Kindes ihrem Ehewirth Sempronio die Jungfrauschaffft nicht ins Ehebette mitgebracht/ als ist nöthig/ üm besserer Nachrichtung wegen dieses schleunigen

nigen casus ex doctrina Medicorum zu wissen und zu præsupponiren

1. Daß auch gar alte Männer mit jungen Frauen Kinder zu zeugen auß gewissen/den Medicis bewusten; Ursachen tüchtig seyn/ wie solches *Schenckius* in seinen *Observationibus* mit vielen Exempeln bezeuget / und deß fürtrefflichen *Plateri* Vater/ welcher mehr denn 80. Jahr erreichet/ solches ebenmässig erwiesen hat.

2. Daß das legitimum tempus ad prosperam conceptionem reqviriret werde. Welches *Corbæus lib. & cap. 2. Gynæcei* alsdann setzet / cum menstrua purgatio cessavit, & excrementitiis sordibus uterus vacat, & adhuc dehiscens virile semen facilè excipit, exceptumq; in cotyledonum adhuc hiantium rugis facilè retinet, & in suos locellos recondit.

3. Daß die conceptio in utero sic disposito nicht innerhalb 7. Tagen/ sondern wol innerhalb 7. Stunden teste *Mercato lib. 3. de morb. mulier. cap. 6. & aliis*, verrichtet werde.

4. Daß das tempus formationis fœtus, modò citiùs modò tardiùs absolviret werde/ uñ daß menschlicher Verstand die gewisse Zeit der Formirung nicht erreichen kan / sondern GOtt heimstellen muß. *Sennert. lib. 4. Pract. Sect. & cap. 4.*

5. Daß/ ob wol die Septimestres partus in 182½ Tagen nach der Meynung Hippocratis geendiget/und die/ so im Anfang deß 7den Monden gebohren seyn/ auch septimestres sollen genennet werden / qvidam etiam qvinto & sexto mense nati vitales fuerint, testibus Sennerto & Corbejo.

6. Daß die Zeit solcher Monaten abrumpiret und ein abortus verursachet werde durch vielerley accidentien, als durch Eyfer/ Sorge / Versehrung / schwere Fälle und Bürden &c. daher dieselben fœtus propriè abortivi genennet werden/ qvi ante septimum mensem eduntur.

Darauß ich also subsumire: 1. Weil der alte Herr Sempronius wegen seiner vegeten und sangvinischen Natur noch habilis ad generandum befunden/auch die rechte Zeit zur Ehelichen Beywohnung post purgationem menstruam angetroffen / daher die Empfängnüß und Formation schleunig (wie der Effectus erwiesen) erfolget: So ist der Vernunfft gemäß/daß der fœtus ad maturitatem & vivacitatem zeitig gerathen ist/der wol hätte zu mehr Monaten gelangen können/ wann er durch den gefährlichen Fall der Mutter nicht were impediret worden. Weil aber der Mutter solcher schwerer Fall und vorhergehender Eyfer begegnet / als ist der subseqvens partus pro abortivo zu halten.

2. Qvoniam abortivum non multùm à perfectione abest, wie die

 Medici

Medici reden/ und an der rechtmäßigen sieben Monatlichen Gebuhrt nicht mehr als $9\frac{1}{2}$ Tage mangeln/ welche bey Verhütung deß großen Falles leichtlich wären impliret worden/ist darauß zu schliessen/daß der fœtus legitimus, und nur per accidens etliche wenige Tage zu zeitig kommen sey: Gleichwie es meiner Frauen auch widerfahren/ da es geglattenset/ und/ als sie auß der Kirchen kommen/ gefallen/darauff nach 2. Stunden 2. lebendige Söhne sexto gestationis mense zur Welt gebracht. Bleibet also die Rechnung von der Hochzeit an biß auf den 12. Julii gedachter Massen richtig/und hat die Braut Seja ihrem Bräutigam Sempronio die Jungfrauschafft ohnfehlbahr und unverrücket ins Ehebette zugebracht/wie ex præmisis genugsam zu probiren.

Ita sentio

Michael Ludecus D. Physicus Stralsundensis.

RESPONSUM XXIX.

De eodem partu.

CAsus partûs folitô maturioris, de qvo haud ita pridem ad me perscripsisti, adeò me afficiebat, ut ejus materiæ occasione aliqvid ad te, etiamsi non reqvisitus, literarum daturus statim fuissem,nisi iter unius atq; alterius septimanæ,qvod intervenit, à proposito me avocâsset. Nunc redditus meis Musis perficiam paucis, qvod pluribus tunc voluissem. Omninò autem rectè fecisse videris,qui defensionem mulierculæ in fine sexti parientis suscepisti.Desunt namq; decem duntaxat dies, aut undecim,quo minùs ille partus ex mente *Hipps* sit septimestris,quem legitimum esse, naturalem &non rarum,liqvidò constat. Prætereà experientia multorum seculorum docuit, partûs humani tempus adeò fixum non esse, ut non qvandoq; antevertat septimũ, qvandoq; transcendat decimum. Obvia sunt exempla plurima,& tibi non ignotum est è Schenckio qvendam hortulanum Claudinm Italum librum peculiarem edidisse de partu 171. dierum, qvalis fuit ille tuus. Unica illa Oratio Spigelii de incerto humani partûs termino sufficienter patrocinabitur huic causæ, & silentium imponet imperitis. Neq; obstetrix ulla adeò rudis est,quæ ignoret lapsum matris gravem, & causas ejus generis evidentes aliàs accelerare partum. Sed mitto hæc, ne Te docere velle videar, qui non eges. Consvetudo liberè tecum agendi,studiumq; in te meum ita jubebant. Vale & Salve. Dab. Rostoch. III. Kalend. Decemb. cIↄ. Iↄc. xcvi.

Stephanus Schultetus D. Medicinæ,in Academia Rostochiensi Professor publicus.

Epistola hæc scripta est ad Excellentiss. Dn. FRIDERICUM MOL-

Digitized by Google

MOLLERUM, tunc temporis Practicum Sedinensem Celeberrimum, nunc Serenissimi Electoris Brandenburgici in Castro Cüstrinensi Medicum, Amicum & Collegam meum honorandum. Responsum ejus de hoc ipso partu, ex solidis naturæ fundamentis deductum, typis quidem excusum est Cüstrini; Verùm, cùm exemplaria jam pridem distracta sint, visum est illud hoc loco inserere.

RESPONSUM XXX.

I.

CUm adhuc in cœlibatu Sedini Pomeranorum degens, praxi medicâ occuparer, in urbe qvadam non adeò remotâ, partus rarioris exempli editus est. De qvo controversia in Foro judiciali mota, legitimus sit, nec ne? meum etiam judicium tunc temporis reqvirebatur, qvod denegare iniqvum ratus, manum in scriptionis obseqvium cogebam, & casum, quantum viribus ingenii asseqvi poteram, enodandum suscipiebam, pro eruenda veritate: Casus iste erat talis:

II.

Viduus, Vir honestus, Ordinis Senatorii, septuagenarius, vegetus adhuc, robustus, temperamenti calidi & humidi, elapso octennii viduatu, duxit virginem, annum ætatis ingressam vigesimum primum, sangvineam; cum illâ pacatum habuit Conjugium, cùm inter Conjuges istos ardentissimus intercederet amor. Concubuit cum illâ vix qvatriduum à fluxu menstruo liberatâ. Die, à nuptiis solenni ritu celebratis, centesimo septuagesimo tertio natus ex uxore filiolus, omnia membra quidem integrè, caput si exceperis, cujus commissuræ hiabant, formatus, vivus, undiq; flavâ bile tinctus. Mater pridiè partus diei validos sustinuerat labores, & lapsu passa erat graviorem & improvisum ex mediâ domûs contignatione septendecim circiter pedes Geometricos in arcam ligneam, & ab hac in terram, quem subsecuta insignis cephalalgia.

III.

Rationi nunc absonum qvibusdam videtur, brevi hoc temporis intervallo à naturâ luci donatû hunc puerum, ac proin, aut conjuges intempestivi ante nuptias congressûs, aut matrem læsæ Virginitatis & furtivæ Veneris, esse arguendos.

IV.

Antequam autem decisionem aggrediar, disqvirendum duco, an in tali casu Medici sint consulendi, nec ne? Reor autem maximè qvæstionẽ hanc, utpotè Physico-Medicam, medicæ esse disquisitionis. Poterit etiã Medico-Juridica dici, qvatenus JCti ad clavum Reipublicæ sedentes de Medicorum rationibus, & observationibus, & qvæ ab utrâque parte

 liti-

litigantium adducuntur, fundamẽtis sententiam ferre tenentur. Hinc *Zachias* Doctissimus JCtus qvæstionem de partu inter Medico-legales numerat, jam olim in Belgio Medici de casu tali dubio à JCtis Judices reqvisiti sunt, eorumq; sententia approbata. *vid. Levin. Lemn. de occult. natur. miracl. lib. 4. cap. 22. p. 447.*

V.

Ita Divus Hadrianus olim Philosophorum & Medicorum suffragia collegit, putà Aristotelis, Marci Varronis &c. anteqvam de partu decimestri decerneret, atq; in ipso decreto apposuit, qvâ perqvisitione, qvâ diligentiâ, qvibus rationibus ita judicâsset, ne qvid temerè adversus leges XII. tabularum (qvibus in decem gigni hominem mensibus, non verò undecimo diceretur) atq; adversus publicam utilitatem introduxisse videretur.

Nam & *Plato*, cum de areâ dimetiendâ qværeretur ad Euclidem &c. Scævola Augur, cum de jure prædicatorio (sic legendum esse vult *Glareanus in Notis ad Valer. Maxim. p. 104.*) consuleretur, homo juris peritissimus Consultores suos nonnunqvam ad *Furium* & *Casellium*, prædicatores, rejiciebat. Et *Cicero* de Aqvâ suâ Tusculanâ M. Tugionem potiùs, qvàm C. Aqviliam consulebat. Qvod assiduus uni rei deditus, & ingenium & artem sæpè soleat vincere. Qvo facto, (*inqvit Valerius Maximus lib. 8. cap. 13. p. 448. num. 183.*) Veteres moderationem suam magis commendabant, qvàm authoritatem minuebant, ab his aptiùs negotium explicari posse, confitendo, qvi qvotidiano ejus usu callebant. *vid. Panciroll. Novor. repert. Tit. 10. p. 500. 501. lib. 2.*

VI.

Zachiam etiam video de pubertate differentem, judicio Medicorũ acqviescendum esse, dicere *Qvæst. 4. Medico-legal. Tit. 1. num. 26. 27. 28.* Cuilibet Artifici in suâ arte est credendum. Hinc enim lex de septimestri partu nititur solâ authoritate *Hippocratis*, siqvidem *l. septimo 12. ff. de stat. homin. legitur*: septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter autoritatem *doctissimi Viri Hippocratis*. Et ideò credendum est, eum, qvi ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum esse filium. Unde autem Hippocrates Medicus hoc habet, nisi ex solâ observatione & rationibus Medicis? *vid. sect. 88.*

VII.

De partu autem hominis, maximè septimestri acturis tot ferè occurrunt Autorum dissensiones & divortia, qvot rationes in utramqve partem adductæ pro cujusq; sibi conceptâ opinione militant. Integrâ

gri libri jam dudum in lucem prodiêre, Virorum extra omnem dubitationis aleam certè doctissimorum, qvorum ingenii acumen posteritas maximè admiratur. Attamen in hoc nodo dissolvendo non adeò feliciter omnes occupati fuerunt, qvin adhuc qvidam exsolvendi restent, & explicandi. Qvorum non postremus anno 1646. d. 12. Julii in disquisitionem Medicam, & censuram vocatus meæ etiam commissus est considerationi.

VIII.

Enodandus iste eò majus reqviret studium, qvò majoris momenti fama est, de qvâ unâ hic agitur, & existimatio. Duobus igitur istis Medicinæ fulcris, ratione & experientiâ nixus, aliorum authoritatem unà magnificiam, qvatenus veritati consona svadere videbitur.

IX.

Ponderatis rerum momentis & circumstantiis partum hunc legitimum (siqvidem legibus naturæ non repugnat) genuinum & vitalem in lucem editum fuisse nullus ambigo, meamque sententiam satis fultam expediam. Interim de nomine cum nemine serram contentionis ducam sive aliquis seximestrem sive septimestrem vocandum contendat. Sufficiet mihi demonstrari posse, hunc fœtum 173. dierum spatio in utero gestatum nasci vitalem; & supputationem meam nec Naturæ, Medicinæ fundamentis repugnare. Septimestrium numero & catalogo inseri posse, benevolus Judex facilè ex sequentibus assequetur.

X.

Ne autem in ipso, quod dicitur, limine statim pedem offendam, mensium acceptandorum & supputandorum rationem præmittendam esse arbitror, Solaresnè, an Lunares in hominis generatione locū sibi vendicent? Maximè cùm in *Hippocratis* ipsius ratione supputandi dubii hæreant authores, qui modò Lunarium, *ut lib. de septim. partu sect. 3. p. m. 36. lib. 5. Cod. Foësii* (quem genuinum ipsius librum reputat ibidem *Foësius p. m. 110. l. 20. in Notis*) modò Solarium, *ut lib. de princip. sect. 3. p. m. 35. lib. 20. Cod. Foësii*, & alibi mentionem injicit.

XI.

Sennertus illustre illud jubar Medicinæ Instit. lib. 1. cap. 10. p. m. 110. nostrum senem excusaturus nihil referre ait, Lunares an Solares adhibeas, eò quod in operosâ hominis conformatione se ad punctum aliquod alligari non patiatur, sed temporis quâdam gaudeat latitudine natura. Qvare non tantum nullius erroris insimulandi, sed maximè audiendi mihi videntur, qui Lunaribus calculum adjudicant.

XII. Con-

Digitized by Google

XII.

Constat enim antiquos imprimis Græcos observâsse menses Lunares; Siquidem totum annum ad Lunæ rationem subduxerunt, nec alios menses, quam Lunares, nondum reducto in eam formam anno, quæ nunc nobis usui est, agnovêre, teste *Ludovico Mercato Tom. 4. de puerper. & nutric. affectibus. lib. 4. c. 1. p. m. 714. C.* Idq; eò magis, quòd Hippocrates, quotiescunque de conceptu aut partu verba facere contingit, semper de Lunâ mentionem habeat.

XIII.

Quod etiam *Zachias* fatetur *Quæst. Medicoleg. tit. 2. Quæst. 2. §. 33.* Siquidem Luna, Solis fœmina, & ejus influentiam receptaculum, ut loquitur *Nollius Phys. Hermet. lib. 6. c. 5. axiomat. 8. p. m. 267.* magnas in nostris corporibus mutationes, & quidem magis, quàm Sol introducit. *Ludovicus Mercat. Tom. 1. de morb. lib. 3. part. 2. de dieb. decretor. Class. 5. Quæst. 205. p. m. 343. E. Vid. Galen. tom. 4. Oper. Medic. p. m. 600. A. B. lib. 3. de dieb.* decretoriis.

XIV.

Non quod cæteros Planetas potestate superet, sed vicinitate. Siquidem in infimo orbe collocata, ac terræ proxima ortus & incrementa rerum moderatur sic, ut hujus effectu post seminis conceptionem etiam fœtus in utero materni sanguinis irrigatione augescat & vegetetur. Totum quoque gestationis curriculum, seu diebus, seu mensibus, seu septimanis metiri ac dinumerare libeat, ut gravidæ ferè supputant, ad Lunæ motum erigi referrique debet. *Levin. Lemnius lib. de occult. natur. mirccl. lib. 4. cap. 28. p. m. 449.*

XV.

Videmus certè in Macrocosmo maris fluxum & refluxum à magnis Viris unanimi consensu exinde deduci: quidni in microcosmo ipsi in sanguinis massam, & genitale semen, nostri corporis principia dominium tribuamus? cùm videamus pro ejus positu & dominio menstruas mulierum purgationes fieri, & judicari. *Sennertus Institut. Medic. lib. 3. cap. 12. p. m. 888. vid. Hipp. lib. de septim. partu sect. 3. p. 38. lib. 29. 30. C. E.*

XVI.

Hinc est, qvòd mensis nomen sortitus sit suum à Græco μήνη seu Lunâ, teste *Zvingero Theatr. vita humana Volum. 24. lib. 1. p. m. 4009. Insuper Hippocrat. lib. de septim. partu sect. 3. p. 38. l. 14.* testatum reliquit, conceptiones in mulieribus eodem tempore judicari, quo morbi. Cui adstipulatur *Mercatus oper. Medic. Tom. 4. l. 4. c. 1. p. 706. B. Tom. Gynac. p. m. 1038. C.* Criseos autem deducendæ ratio potiùs à Lunæ

Lunæ, quàm solis motu & influxu dependet. *Sennert. Instit. lib. 3. part. 3. cap. 12. p. m. 890. seqq.* Menses lunares etiam video approbari *ab Alciato in L. Gallus num. 29. ff. de lib. ad posthum.*

XVII.

Menses eqvidem lunares in triplici sunt differentia, dum alius periodicus, seu conversionis & peragrati onis nuncupatur, cujus terminus est 27. & horarum octo. Alius Synodicus, qvi & consecutionis dicitur, cujus spatium 29. diebus & 12. horis definitur, qvem Astronomi communis impressionis Mensem vocant. Alius illuminationis seu apparitionis, continens ferè 26. dies cum dimidio. *vid. Laurent. in Anatom. p. 375. Quæst. 37. Roder. de Castro de natur mulier. lib. 4. c. 3. p. m. 179. Zvingerum Theatr. vit. hum. Volum. 24. l. 1. p. m. 1009. A.*

XVIII.

Horum primum & ultimum planè excludendum in conceptionis opere plurimi arbitrantur. Qvamvis, præsertim primum seu periodicum, qui est 27. dierum 8. horarum ad calculum revocandum esse non diffitear. Nam præcedente sectione textus *Hipp. ex lib. de septim. part. S. 1.* adductus, qvi & alibi unà cum Galeni repetitione, de hac suâ sententiâ nos certiores reddit, eandem scilicet esse rationem conceptionū & morborum, quoad judiciū. Ratio hujus est manifesta, siquidem unum agnoscunt principium, dum utrumque tàm Criseos in morbis, quàm conceptionis supputandæ argumentum Lunæ motus suppeditat. Prout *Sennertus Instit. Med. lib. 3. part. 3. cap. 12. contra Hieronym. Fracastoriū* ingeniosè satis, & solidis obtinet fundamentis. Hinc dicit noster *Cous lib. de septim. part. tit. 1. p. m. 38. l. 27.* in mensibus omnia, quæ diebus contingunt, eâdem ratione.

XIX.

Modus autem dierum Criticorum exigendorum potius mensi Lunari periodico, quàm synodico congruus est. Nam finis tertiæ septimanæ vigesimus, & quartæ vigesimus septimus est, non verò vigesimus octavus. *Vid. Hipp. 2. aph. 34. Fuchs. in comment. ibidem p. m. 114.* usque ad quadragesimum, finem scilicet sextæ septimanæ. *Vid. Heurn. in notis ad Aphor. citat. p. m. 114. & Galenus Tom. 4. Oper. Medic. lib. 2. de dieb. decretor. p. m. 588. B. C. 589. A.* Hâc viâ de quadragenariis conveniet nobis cum *Hippocrate*, de quibus in *l. de septim. & octim. partu* loquitur. Reservatis enim sedecim diebus primi mensis, reliqui 156. dies quartū quadragenarium quàm proximè constituent: qui procul dubiò integrè expletus fuisset, in nostrâ puerperâ, nisi violentia obstitisset externa.

Digitized by Google

XX.

Alterum est, quod pro periodico militat mense, argumentum; Si synodicus hîc solum reperiret locū mensis, sequeretur, quod tantùm vim exereret Luna ex solo Solis positu, & intuitu: atque hoc modo vis cœlestium signorum, & stellarum fixarum planè exularet. Imò tunc palmam obtineret *Hieronym. Fracastorius de dieb. decretor. cap. 5.* & omnes Lunæ denegandas esse vires (quod rationi & experientiæ contrarium) in crisibus evinceret.

XXI.

Verùm dùm rectè & doctissimè se huic opposuit *Sennertus Institut. Medic. lib. 3. p. 3. c. 12. p. m. 892.* fatetur, influxus varietatem, & effectū non solum φάσεως mutationem, sed etiam motum & progressum Lunæ ad signa quadrata & opposita sequi. Et ab horum posteriore maximas fieri mutationes, testante experientiâ. *Vid. Galen. Oper. Medic. Tom. 4. lib. 3. de dieb. decretor. p. m. 600. A.*

XXII.

Nam non solius Solis, sed & reliquorum Planetarum, & maximè stellarum fixarum influxu gaudet Luna: hic cum φάσεων mutatione conjungendus: Planetæ omnes non ex suâ solùm, verùm etiam signorum & stellarum fixarum insigniorum, vicinarum naturâ æstimandi sunt.

XXIII.

Aut ergò Lunæ idem tribuamus necesse est; aut è Planetarum censu & numerô, quod absonum rationi foret, excludamus. Prout enim homo, in puncto suæ nativitatis concipit Characterem totius figuræ Zodiaci & harmoniam radiosam, sub fixis. *Eichstad. Ephem. part. 3. in proleg. aph. 1.* Ita omnes Planetæ, & Luna suam, quam exerit vim, non ex solius Solis acquirit aspectu, sed participat aliam atque aliam pro signorum diversitate, quæ ipsi suas etiam vires communicant. Certè Luna proximè spicam Virginis, aut Regulū, aut Jovem, in φάσεως mutatione sita aliud impressionis & influxus faciet vestigium, quàm juxta Plejades, aut caput Medusæ, aut Saturnum. Et hinc ratio redditur, quare, si hodiè unus, alter cras, tertius tertio ægrotare incipiat die, omnibus crisis diversis contingat diebus.

XXIV.

Tertiò mensis periodicus ferè coincidit cùm mense Medicinali, seu Critico Galeni, de quo citato libro agit, qui ex mixtura periodici & illuminationis originem trahit, cujus spatium 26. diebus & 22. horis circumscribitur. Quem Galenus noster diebus criticis rationabiliter & exactè dinumerandis aptissimum deprehendit & deprædicat, quo se multis, quæ in reliquorum censu occur-

currunt, exſolvit dubiis, de quo *ti-mt. loco lib. 3. de diebus decretoriis p. m. 606. 607.* fusè admodum agit.

XXV.

Qvæ cùm ita ſe habeant, hunc periodicum noſtro ſubjiciamus calculo. Conceptionis initium à vigeſimo Januarii præcipuè faciendum, qui in ordine tertius plenilunium præceſſit. Reſtant itaque ad complendum menſem, cujus terminum novilunium, quod die Februarii quarto completo, ex ſupputatione Mathematicâ, incidit, conſtituit ſedecim dies.

XXVI.

Qvod enim non opus ſit, ut primus menſis, ſeu conceptionis integer aſſumatur, ſed conceptione proximè ante plenilunium factâ, ſedecim dies, vel etiam quindecim menſis Lunaris ſufficiant, eleganter deducit Medicorum illud lumen *Adrianus Spigelius Bruxellenſis* in epiſtolâ de incerto, partûs tempore ad inclytos Germanos Studioſos in Academiâ Patavinâ. Qvam doctrinam hauſiſſe videtur *ex Hippocrat. lib. de ſeptimeſtr. partu ſect. 3. p. m. 37. l. 3. 4. C. F. & lib. de octim. part. p. 41. & ex Galeno,* qui expresſis hanc proſequitur verbis *lib. de octim. part. Oper. Medic. Tom. 1. p. m. 1226. C.*

XXVII.

Hâc tamen lege, ut ſequentes quinque menſes dinumerentur, non ut primus mutili, ſed integri: Quibus cedunt, juxta noſtrum calculum 136 dies cum ſedecim horis. Hac ratione ſumma horum erit dierum 152. horarum ſedecim. Quibus de 173. diebus ſubductis remanent dies viginti, horæ octo, ſeptimo menſi. Hoc modo quin ſeptimeſtrem hunc partum & vitalem indigitemus, nihil prohibet.

XXVIII.

Si quis autem menſis ſynodici numerum omninò rationum normam conſtituendam velit, obſequioſum me præbebo, nec tamen causâ meâ cadam. Nam primò menſi primo dies ſufficere ſedecim, initio numerandi à plenilunio facto extra controverſiam poſitum eſt apud authores, etiam hujus rei Cenſores exactisſimos, *Zachiam, Horatium Augenium, Ludovic. Mercat. &c.* nixos authoritate Hippocratis & rationibus non contemnendis. Nec in dubiû vocatur, qvod quinq; menſes ſequentes integri contineant 147. dies, ſiquidem 29½. dies in quinariû ducti numerum, talem efficiunt ſummam: quæ prioribus ſedecim diebus addita, producit 163, qui de 173. ſubducti numero, decem relinqvunt dies pro menſe ſeptimo.

XXIX.

Hæc ſupputandi ratio genuina, & recipienda ſuo nititur fundamento, ſcilicet, quod ſpatio 163. dierum

Digitized by Google

istorum sex comprehendantur Luminarium conjunctiones, & sex oppositiones. Seu, ut clariùs dicam, quia sex plenilunia, & sex novilunia adimplet: Seu sex completos complectitur menses Lunares. Reliqui decem residui septimo adjudicandi sunt mensi, ad complendum dimidium anni Lunaris. Videatur *Hier. Cardan. lib. 1. tractat. 3. Contrad. 8. p. m. 150. & 137. & 151.* Et hanc rationem à pleniluniis, & noviluniis desumtam, iisque completis, à nullo contradicentium ritè refutatam memini.

XXX.

Verùm obicem hîc plerique ponere conabuntur, quorum oculos antiquitatis authoritas nimium perstrinxit, contendentes, supra istos quinque integros menses medios cum primi dimidio, seu 163. dies adhuc viginti desiderari ad complendos 182 dies dimidii anni, quos exigunt *Hippocrates, Galenus, Plinius l. 7. natur. histor. c. 5. p. m. 68.* quos etiamZachias sibi proposuit imitandos. Plerique hîc, ne ab Hippocratis doctrinâ latum quidem unguem discedant, hinc & inde, nescio quæ quærunt effugia, attamen animo veritatis avido non satisfaciunt, convicti ipsi, natos esse infantes longè citiùs.

XXXI.

Horatius Augenius, magni nominis Vir, Epistol. & Consult. Med. l. 6. p. m. 543. Cum ipsius judicium de partu septimestri dierum 174. requireretur ad Illustrisf. & Reverend. Bolutum Cardinalem præmisis rationibus suis concludit, quod hæc anticipatio sit naturæ assueta in omnibus ferè ejus operibus, seque vidisse ipsum partus dierum 179. & 178. Sic *Avicenna refert l. 9 de natur. animal. c. ult.* sexto mense natum benè vixisse. Refert anteà nominatus *Adrian. Spigelius* in S. Epistolâ, quod tabellarius Zelandiæ sexti mensis initio natus, & hoc nomine urbis Medioburgensis testimonio publico gavisus sit, *Vallesius lib. de Sacr. Philosoph. cap. 18. p. m. 126.* partus sui seculi quinto mense editi (quem tamen juxta Hippocratis supputationem sexto arbitror) meminit.

XXXII.

Idem legere licet *in obs. Schenckii l. 4. observat. cap. 41.* Pincernam Regis Galliæ genuisse filium quinto mense. Renatus Schoppinus Curiæ Parisiensis Advocatus Senatus-Consulto Parisiensi Patrem pronunciatum dicat hæredem filii quinto mense matris execto ventri, & spirâsse visi *lib. 3. de privileg. rusticor. cap. 8.* usque adeò in physicis alterationibus vix quicquam est omninò aut impossibile aut necessarium. *Panciroll. nov. repert. lib. 2. tit. 10. de Horol. p. m. 470.*

XXXIII. Car-

XXXIII.

Cardanus Contradict. 8. tract. 3. l. 11 p. 143. scribit de puellâ annum tum agente decimum octavum, quā Uxor Petri Sorani, Venditoris Vini Cretici Venetiis enixa est die à conceptione centesimo sexagesimo octavo, post abortum fœtus masculi. Item de alio fœtu 170. dierum. Item de alio quinti mensis: ibi demum in hæc verba prorumpit: Talia singulis diebus accidunt experimenta: Qvod si diffidentia horum fœtuum vel negligentia multos superfuturos non occideret, longè frequentiora hujus rei apparerent exempla. Idem ex Ferdinando Menâ *Comment. ad cap. 4.* de septimestri partu narrat contigisse matri pudicæ, honestissimamque vivendi rationem nactæ, ut quinto pareret mense. Nota est adhuc vivis de Mercatore quodam, cui secundus an tertius ambigo in Conjugio natus filius sexto mense, vitalis, sed membris teneris. Et quis omnia exempla recenseret?

XXXIV.

Zachias Qvæst. Medicoleg. tit. 2. qvæst. 2. §. 10. cum tot & tantorum Authorum fidem in dubium vocari ipsi religio foret, ut tamen urbanius elaboretur, regerit: hæc miracula esse, & casu facta. Verùm, quod pace tanti Viri dixerim, Physico non cōgruit rationes alicujus operationis naturalis, ejusque rarioris editi redituro Naturâ postposita ad primū rerum Authorum DEUM confugere. Si facili hoc negotio tela nobis adversa declinare, ne nos feriant, liceret, Physici in inquirendis causis naturalibus justò diligentiores & molestè seduli hactenus fuissent, quod rariorum eventuū causas tam anxiè indagârint. Medicina, mehercule, miraculorum systema foret, quæ quotidiè occurrentes casus, & morborum varietatem à lege *Hippocratis, Galeni*, imò totius antiquitatis longissimè digressam deprehendit.

XXXV.

Potius moderni Medici, neglectis antiquorum regulis veritatem Medicam Physicis rationibus nixam eruunt, & demonstrant. Hîc rationes naturæ conformes, (ut in sequentibus patebit) suppeditant, quibus inhærendum. Magis laudanda *Hieronymi Cardani* sedulitas quando *citat. loco pag. m. 152.* respondit, duplicem dari septimestrium partuum terminum, alium imperfectum seu primum, alium perfectissimum seu ultimum. Hunc 182. dierum constituit; partusque, quò proximiores huic ultimo, robustiores, magisque vitales esse.

XXXVI.

Rationem reddit evidentem, quare priori termino admodū propinqui in lucē progrssi (quod dubio procul

Digitized by Google

sæpiꝰ contingat, in tantâ autē hominū multitudine non advertatur; rarò vivant: scilicet, qvòd vix ulli illorum sc. septimestrium accidat, ut plenilunio concipiantur. Nostro autem puero contigit. Siquidem nuptias die 19. Januar. celebratas excepit die 21. Januar. horâ ferè septimâ plenilunium. Quidam authorum hanc rejicit Cardani distinctionem, quod in Hippocrate non extet. Verùm quàm lubrica sit hæc excusatio, quivis facilè animadvertit. Etiamsi Hippocrates scriptis non tradiderit, tradidit tamen posteris experientia.

XXXVII.

Obiter hîc ex Cardano notandum, quod mensium acceptorum varietas sc. lunatium, & solarium inter concordes etiam authores dissidium pariat, & contradictionem. Prout, quem Nicolaus Mena sexto mense natum introducit septimestrem appellandum vult, quod is solarem triginta scilicet dierum mensem acceptet, ut fœtus in utero moratus sit dies centum & octuaginta.

XXXVIII.

Horatius Augenius lib. 1. de partu cap. 20. p. m. 38. hanc impugnare conatur sententiam. Sed contentio est de solo nomine, de quo litigantes oleum & operam perderemus. Optimè *Galenus Oper. Medicin. tom. 6. lib. 2. de method. medend. p. m. 55.* largitur, morbum aliqvis blytirin, & scindapsum, barbaris vocabulis indigitet, modò de re conveniat. In re ipsâ optimè Horatio Augenio cum nostro *Cardano* convenit, *dùm loco cit. p. m. 39.* partum illius mulieris, quem ibi introducit 168. item alium 171. item alium 174. dierum esse vitalem, & causis naturæ non repugnantem. Cui sententiæ *etiam Epist. Medic. lib. 6. p. m. 543. inhæret.*

XXXIX.

Qvi etiam hoc nomine laudem demeretur, qvod in verba *Hippocratis* (prout *Alexander Massarias, qui l. 1. de peste p. m. 496.* cum Galeno errare, qvàm cum recentioribus vera sentire non tacitè præoptat) non juraverit, sed apertè innuerit, partum minus 182. dierum Hippocrati non innotuisse, nec propriâ, nec obstetricum experientia? Cui manu subscribo eò promptiore, quò majorem deprehendo in Spigelio Viro incomparabili alacritatem cum eâdem ratione, in eodem casu, *Aristotelis* se opponere autoritati, qvi rectè, non qvis, sed quid dicatur, attendit. Facilè etiam venerandi nostri manes veniam mihi concedent, utpotè qui adhuc vitæ superstes adeò ingenuus fuit, ut suos confessus sit, si quos commisit errores. Prout fiat, cum deciperetur suturis capitis *lib. 5. Epidem. agr. 27. & 26.* qvod magni ingenii argumentum laudat *Celsus l. 8.*

sui l. 8. de re medic. cap. 4. p. m. 396. Nec dubito, quin si fata illum superstitem voluissent, tot exemplis tantorum Virorum convictus, axioma hoc de dimidio anno seu 182. dierum emendaret.

XL.

Canon logicus est, quod testimonium humanum negativè non valeat. *vid. Keckerm. Logic. system. l. 3. c. 8. p. 504.* Cujus ductu nulla sequela est, Petrus non vidit Romam, Ergò non est: non audivit campanæ sonum. E. non sonuit. Alius potuit ridere, audire. Non valet: Hippocrates & Galenus nil scripserunt de variolis & morbillis, de destillationibus aquarum, de conficiendis Syrupis & conservis &c. Ergò & nostra Medicina ignorare vel negligere tenetur. Hinc *Julius Cæsar Scaliger Exerc. 306.* conqueritur, quod nihil infelicius sit iis ingeniis, quæ mordicùs sentiunt, majores nostros nihil ignorâsse, & quæ, ut idem de causis *ling. latin. cap. 67.* scribit, pertinaciter tuentur errores, qvos illi ipsi, qui commisêre, si viverent, emendarent.

XLI.

Ipse *Galenus lib. 2. de compos. Medic. sec. loc. p. m. 491. Tom. 5. Oper. Medic. C.* cum paulò antè Archigenem Medicum longè excellentissimum laudâsset, tandem concludit: Non tamen in omnibus sanè, qvæ tradidit, irreprehensibilis mihi videtur. Verum, velut ipse plerosqve Virorum illorum, quibus adjutus optimus evasit, reprehendit, sic par est, ipsum delinqventem à nobis posteris redargui. Difficilè enim est, ut qvi homo sit, non in multis peccet, quædam scilicet penitus ignorando, quædam tandem negligentiùs scriptis tradendo.

XLII.

Indubitatæ veritatis est illa sententia Comici: Nunqvam ita qvisquam benè subductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi, aliqvid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Videatur Sennertus in Epistol. ad Lectorem præmissâ Institutionibus, ubi addit: præcipuè in naturæ obscuritate & veritate eruendâ: & quidam in hac vitæ brevitate, ob qvam, ubi vix amplissimum istum naturæ campum ingressi sumus, atqve in hac veritatis palæstra nos rectè exercere didicimus, lampada aliis tradere cogimur.

XLIII.

Majestas authorum, naturæ majestati cedat, æquissimum est. Potiùs nobis gratulemur, æqvum est, de nostrâ felicitate, quod seculô adeò eruditô fruamur, in quô artes ferè omnes, quæ olim exiguum sortiebâtur

tur initium, in sublimi stant; nec experientiæ refragemur, quæ multa detegit, nostræ rationi fere non congrua. Ex cineribus vitrum adeò pellucidum fieri hodiè notissimum est. De quo nisi experientiâ constaret, cui id rationibus facilè persvaderi posset? *Senn. lib. de Consens. & dissens. Chym cap. 2. p. m. 26.* Multis aphorismis Hippocratis, qui tamen authentici reputantur, extra omne positi dubium, experientia & observationes modernorum Medicorum detrahunt, quod deductores nos sigillatim dies destituerent.

XLIV.

Interim toti antiqvitati maximas debemus gratias & laudes, quod benigna in posteros suâ fuerit eruditione: & maximè Hippocrati agimus, qui divino ingenio præditus ex parvis & vulgaribus initiis in magnam artem Medicinam perduxit, ut loquitur *Patus in Epist. ad Regem Artaxerxem, quæ extat Oper. Hippocr. Sect. 8. p. m. 3. Cod. Foës.* Sed pergamus in dissolvendo nodo.

XLV.

Admiratione teneor, qui fiat, quod Authores adeò stricte termino Hippocratico 182. dierum seu dimidii anni solaris inhæreant, & ante illum completum fœtui perfectionem denegent, cùm tamen largiantur, Lunares & non solares menses ad examen revocandos esse. Exinde etiam, si ista hypothesis aliquid valoris haberet, dimidium anni Lunaris esset recipiendum, quod foret 163. dierum. Viginti namq; septem dies & octo horæ in duodecim ducti tot producunt, Mensis scil. periodici. Si Synodicus desideraretur, juxta tabulas Prutenicas foret 177. dierum, 4. horarum, 24. minutorum. *Vid. Origan. Introd. Ephemer. p. 1. c. 2. p. 33. Ex $29\frac{1}{2}$ in duodecim ductis.*

XLVI.

Qvare nullam video rationem dimidii anni implendi, quàm Hippocratis seculo non alium fuisse observatum. Quod argumentum quem habeat vigorem, ex præcedentibus jam patet. Hippocratis ætatem secuta secula dimidio anni Lunaris editos partus vitales observârunt, scil. dierum 163. 164. 172. 173. &c. Qvos terminos nobis ceu legitimos largiantur necesse est, ex propriâ ipsorum mensium supputatione Lunarium, exortos, aut terminum 182. dierum planè diversæ naturæ esse, ab istâ, quam approbârunt, & ex qvâ emergit, supputatione Lunari. Quorum posterius qui asserit, asserere videtur, ex additione duorum numerorum ejusdem speciei v. gr. quadratorum emergere summam alienæ conditionis & nominis v. gr. cubicam, quod nemo facilè dixerit.

XLVII.

XLVII.

Et quare, quæsò, partum certo puncto seu hebdomadi alligandum Authores adeò acriter defendunt, qui tamen Chronicos imitatur morbos? Cum non nesciant in morbis etiam acutis, quorum tamen propria est crisis, & qui ob celeriorem motum & evidentem alterationem nequaquam â metu seu præfinito die critico aberrare debebant, modò anticipationem, modò procrastinationem deprehendi: prout motus Lunæ & astrorum cum Planetis coctioni humorum & dispositioni subjecti vel succurrit, vel occurrit. In hominis autem formatione de termino exacto contendunt.

XLVIII.

In doctrina de crisibus tota implicita est controversiis, & dissensus oritur, nùm 17. 20. vel 21. sit pro die critico reputandus &c. *Galenus* has difficultates dispiciens *Tom. 4. Oper. Medic. c. 3. de dieb. decretor. p. m. 607. B.* suum etiam in hac re defectum agnovit, dum, quòd solus DEUS sciat dies criticos numerandos, sentit; & *ibidem p.m. 608.* Deos in testimonium vocat, se hæc, de diebus (decretoriis scilicet) amicorum precibus vehementer adactum scriptis mandâsse. DEUS solus, optimo jure dicere possumus, novit nostri corporis formam, terminos, cujus digitus in utero matris nos figuravit.

XLIX.

Quæso dimidium anni adeò exactè dinumerandum volunt, & ipse *Galenus Observ. Tom. 4. de diebus decretoriis p. m. 606. n. 9. A.* asserit, quod nec annus (ergò nec ejus dimidium) nec mensis integris numerentur diebus. Hinc finis secundæ septimanæ cum initio tertiæ incidit, ut Medicis omnibus notissimum. Criseos (cui assimilari partum sæpius jam dictum) anticipatio, &, quæ inde symptomatica dicitur, evacuatio, si solo tempore peccet, non culpanda, utpote quæ naturæ robur, & materiæ coctionem demonstrat celeriorem.

L.

Exemplum nobis suggerit *Hippocrates lib. 1. Epid. Comm. 3. Ægr. 13. s. text. 30.* Mulier quædam prægnans sine damno & abortu quintâ die sudore judicata est. Vid. etiam *Hippocrat. 3. Epid. Comm. 1. text. 14. & seq. Valesf. controvers. Med. & Philosoph. l. 5. c. 3. p. m. 205. l. 34.* Nos verò improbemus naturæ conatum seu partum solum eô nomine, quod non præcisè ceciderit in diem 182. seu quod solo tempore derelinquere videtur, non attendendo matris constitutionẽ naturalem, nec formatricis facultatis operationes varias, nec alias, quæ hîc occurrunt, circumstantias?

LI.

Potiùs, sicut criseos prævenientis

causis adductis naturam erroris suspicione in uno liberamus casu, liberemus in alio consimili planè. Maturantis autem hunc partum naturæ causas attentus rerum Physicarum & Medicarum scrutator indagare poterit, quæ suppeditant non contemnendæ. Duplex autem quærenda causa,& celerioris formationis,& celerioris exitûs.

LII.

Primum de formationis opere acturis nobis Natura parentum ipsa suppeditat argumentum. Matris thema natalitium erectum mihi penitiùs contemplanti examinatis temperiei significationibus, sive propriâ naturâ,sive signorum gavisis,juxta normam & doctrinam magni istius Astronomi *Dn. Davidis Origani Introd. Ephem. p. 3. c. 5. p. m. 567.* in conspectum se dederunt quinq; testimonia caliditatis, cum totidem temperati & blandi caloris: Itemq; tot humiditatis, unum frigidum, duo sicca.

LIII.

Deducta sunt hæc,ut moris est,ex Horoscopi signo, ejus Domino,ex aspectibus cum Ascendente cognationem habentibus, ex constitutione Lunæ, ejus Domino & aspectibus; ex anni tempore & Domino totius figuræ cœlestis satis exactè. Meritò namq; non solùm ex inferiore causa, seu constitutione corporis peculiari,ejusq; signis; sed etiam superiore,seu astrorum influxu fundamenta quæramus, opus est. Quod constitutiones corporum ex astris determinationem adipiscantur, etiam artis minus periti agnoscunt, nedum artifices.

LIV.

Hæc testimonia temperaturam conciliant calidam & humidam, quam sangvineam (utor hâc loqvendi formâ, sicut usus est *Galenus lib. 2. de temper. cap. 6.*) humanæ naturæ maximè convenientem. *Gal. lib. 6. de tuend. san. cap. 3. item 5. de simpl. Medic. Facult. cap. 3.* teste colore faciei admodum florido seu roseo.Hinc ante quatuor annos, anno ætatis decimo septimo pleuritide conflictata est; quod argumentum est constitutionis calidæ. *Vid. Senn. Prax. l. 2. c. 16. p. m. 277.*

LV.

Hæc constitutio omnibus actionibus peragendis aptitudinem præstat, & modum in iis servat inter omnia reliqua temperamenta felicissimè concoquit. *Senn. Instit. l. 3. p. 1. s. 2. c. ult. p. m. 618.* coctiones autem feliciores boni sanguinis abundantiam cumulant, & blandè illi calori naturali subinde conveniens suggerunt pabulum.Quò major copia boni sanguinis, eò plus seminis, ejusq; spiritibus optimè imprægnati generatur. Hæc duo semen & sanguis

Digitized by Google

guis proxima generationis nostræ principia, *Senn. Instit. l. 1. c. 3. p. m. 12.* quò melioris sunt conditionis, eò citiùs formatrix facultas suas exercere novit vires.

LVI.

Sicut enim sparsa humi semina, quò plus humidi congeniti,& calidi nativi obtinent, eò citiùs à calore solis in actum deducta erumpunt: ita etiam genitale semen, quò fœcundius,eò citiùs à calore illo blando,& maximè temperato (nam excedens limites naturæ ordinem potiùs destruit) adjuvantibus astris perficitur. Qui in locis septentrionalibus aliquando degit, ad elevationem poli 57. grad. vel 60. &c. Observator testari poterit, ferè mense Majo præcipite semina conspectius prodire seu crescere seriùs, sed tantâ celeritate perfici matura, ut messis tempus ipsis cum nostro in inferiori Saxoniâ coincidat, eo quod Sol propter Zodiaci obliquitatem diutiùs supra Horizontem commoretur,& intensiorem imprimens calorem acceleret maturationem. De quâ caloris operatione in opere generationis, excitantis formatricem *vid. elegantem discursum apud Joh. Baptistam Montanū Med. part. 1. p. m. 120. 121.*

LVII.

Qvod temperatum,nec à constitutione naturali nimis exorbitans, physicè loquendo, maximè aptum sit generationi corpus *etiam Origanus testatur introduct. Ephemerid. p. 3. c. 12. p. m. 639. & Sennert. Instit. lib. 1. c. 10. p. m. 110.* apertè loquitur sic: Cur autem nonnulli tanto temporis spatio consuetum partûs terminum præveniant, causa procul dubio est in temperie seminis & sanguinis, unde facultatis robur, & debilitas dependet. Sicut enim in criticis diebus Lunæ vis qvidem maxima,sed sola non sufficit, testante experientiâ & ratione, quare ei humorum dispositio & motus, itemq; natura subjecti adjungenda. *Vid. Senn. Instit. l. 3. p. 3. c. 12. p. 12. p. m. 897.* ita etiam fœtus dispositio cum matris naturâ & constitutione, juxta Lunaris motus vires ponderanda.

LVIII.

Hoc autem beneficio omnes sanguineæ, quâ nostra hæc puerpera, non gaudent, in qvâ unâ peculiaris naturæ deprehenditur,& uteri constitutio, fœcunditatis compos; qvam figura cœlestis ipsi elargita est insignem. Siquidem Venus, quæ partibus generationi dicatis,hepati & spermati præest, *teste Origano Introd. in Ephemerid. part. 3. c. 13. p. m. 651.* in hujus Matris themate in medio cœli ferè circa culmen spatiata,& sex fortitudinis testimoniis condecorata, Dominum totius

Digitized by Google

genituræ, ex ſententiâ *Julii Firmici l. 4. c. 12. legitimum. vid. Origan. Introd. Ephemer. part. 3. c. 3. p. m. 557.* ceu fortisſimum, conjunctione platicâ ſibi univit Mercurium. Qvi, quia nullam propriam habet naturam, ſed aliis adſtipulatur, *Vid. Eund. Origan. ibid. p. 3. p. m. 403.* earundem virium & ejusdem putatur effectûs.

LIX.

Et, quod notandum, conjunctio iſta in ſignum cecidit fœcundisſimum ſcil. cancrum. *Vid. Orig. ib. c. 3. p. m. 411.* Lunæ dicatum, in exaltatione & termino Jovis. Jove vicisſim in exaltatione & domicilio Mercurii, ſcil. Virgine exiſtente. *Vid. Tab. dignit. eſſent. Planetar. in Origan. ibid. p. m. 425 c. 4.* Huc pertinet regula *Schöneri lib. 1. cap. 13. de judic. Genit.* quod Mercurius habens convenientiam cum fortunis (hîc cum utroq; habet ſcil. Jove & Venere ſimul) quandoquidem illorum induit naturam, liberorum præventum adaugeat. *Vid. etiam Card. in Comm. ſuper text. 43. ſ. cap. 6. lib. Qvadr. Ptolomai.* Quæ conjunctio felicitatur amico radio ſcil. ſextili Fortunæ majoris Jovis, ex ſigno, Domino Geniture dicato, Virgine.

LX.

Præterea hujus conjunctionis dominium ſibi vendicat ipſa Luna, in ſigno duplici Geminorum recepta ex domo cum Mercurio, ut ex citatâ *tabulâ Dignit. Eſſent. Planetar.* intelligenti patebit. Ipſa pars liberorum, de qvâ *Halii vid. part. 4. cap. 10. & ultim. & Schönerus in initio lib. 1. de judic. Genit.* in undecima fœcunditatis conſignificatrice Domo reperitur. Ubi etiam Regulus extat, ſtella fixa primæ magnitudinis, referens naturam Jovis & Martis, maximè benefica & evidentis effectûs: ut ipſi etiam aſpectûs tribuant in ſpeculo aſpectuum.

LXI.

Intendit hanc ſignificationem alia in Horoſcopo (qui etiam ratione generationis examinatur à Mathematicis, & mediocriter fœcundum ſortitus eſt ſignum Libram) conſtituta ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Martis & Veneris. Ipſum Lunæ corpus favorabili adſpectu trigono quintam, ſeu liberorum domum mediocriter fœcundo Signo inſignem intuetur. Deniqve Mars, cujus regimini parent venæ & pudenda. *Vid. Origan. Introd. cit. loc. p. m. 651.* hîc in ſigno fœcundisſimo, & duplici, piſcibus, fortem partibus generationis communicavit generandi vim, & calorem citiùs formando fœtui accommodavit.

LXII.

Non itaq; mirum, ubi Planetæ parti-

partibus generationis addicti qvasi de fœcunditate implantandâ pacti essent, unanimi concurrerunt nisu, quod suo influxu utero robur conciliârint, & formatrici Facultati quasi calcar subdiderint. Prout enim fœcundius solum suo gremio tepefactum semen fovet, & citiùs, quàm arenosa tellus elicit: (quod etiam *Zachias Quæst. Medicoleg. Tit. 7. Quæst. 3. n. 49.* concedit) ita uterus hic & manifestis, & tot occultis adjutus influentiis conceptum semen breviori perficit spatio.

LXIII.

Nec, quod dispositionis illius cœlestis vim occultam aliquis in dubium vocaturus sit, reor. Siquidem Lunam, tàm manifestâ, qvàm occultâ influentiâ, dies promovere criticos concedimus. *Vid. Senn. Instit. l. 3. p. 3. c. 12. p. m. 890.* quare toti astrorum concentui & harmoniæ in nativitatis horâ in corpus nostrum demissæ illud denegemus, non video.

LXIV.

Cujus fœcunditatis consortem Mater statim, ut concepit, reddidit filium, non solùm semine proprio in uterum ejecto, & virili exactè permixto, sed etiam sanguine pro nutritione partium subministrante. *Vid. Heurn. Instit. Med. l. 5. de procreatione Hominis cap. 4. p. m. 142. Senn. Instit. Medic. l. 1. c. 10. p. m. 91.* maximè cum fœtûs corpus non solum matris corpori contiguum, humoresq; & Spiritus à matre in fœtum deriventur, & cum matris humoribus & Spiritibus sint continui: Sed etiam suo modo fœtus ab animâ matris, qvamdiu vivit in utero, dependeat. Sicut in arbore fructus, etiamsi semen jam perfectum & fœcundum contineant, aliquo modo, donec decidant, de vitâ arboris participant.

LXV.

Quo argumento utitur *Sennertus lib. 4. prax. c. 7. p. m. 607.* qvando à Matris imaginatrice facultate fœtui nævos imprimi demonstrat. Hinc, quæ membra Matris, tempore gestationis seu imprægnationis aliquis error externus afficit, afficit idem eadem fœtus membra. *Senn. l. cit. p. m. 402.* novit fœminam, cujus Mater, cùm sub moro staret, in quo alius mora legebat, & mora aliquot dorso ejus inciderent, ipsa in dorso tot excrescentias habuit, quæ mora & figurâ & colore repræsentarent, quot mora ex arbore dorso Matris fuerant illapsa. Et talia apud Medicos & Historicos exempla plurima, imò etiam vulgo nota sunt, ut ea recensere omninò prolixum foret, & supervacaneum.

LXVI.

Æquè ac ex calvis calvi, ex macrocephalis macrocephali progignum.

gnuntur. *Hippocrat. de Aëre, aq. & loc. s. 3. p. 289. Cod. F.* aut virtutis patriæ exerendæ qualitas communicatur filio, ut fortes creentur fortibus & bonis *Horat. Carm. l. 4. od. 4.* Imò victûs error à gravidâ commissus fœtum hæreditariæ imbecillitatis reum agit. *Galen. Oper. Medic. Tom. 1. l. 14. part. p. m. 745. D.* Hinc non adeò admirandum, quod in hoc fœtu fœcũdissimæ matris peculiaris geniture & naturæ consciò formatrix Facultas opus acceleravit, & quidem masculini sexûs infantem. Nam

LXVII.

Inter omnes ferè authores constat puerperium fœmellæ longioribus temporum intervallis absolvi. *Vid. Mercat. Oper. Med. Tom. 4. l. 4. c. 1. p. m. 704. G.* Id quod tàm in abortibus, quàm in prægnantium animalium dissectionibus animadversum fuit. *Galenus. Oper. Medic. Tom. 1. l. 7. de semin p. m. 1217. C.* Et ratio est in promptu: siquidem ex robustiore seminis massâ elaborantur mares, *Hippocrat. lib. de genit. s. 3. p. m. 13. l. 12. Cod. Foës.* utpote fœmellis perfectiores *Galen. lib. 14. de us. part. Tom. 1. p. m. 740. D.* calidiores & ficciores: fœminæ verò frigidiores & humidiores. *Mercat. Oper. Med. Tom. 1. l. 1. part. 2. Class. 4. Quæst. 53. C. D. E. Vidus Vidius lib. de curat. generat. 12. cap. 7. p. m. 127. Mercurial. de morb. mulier. l. 4. c. 1. p. m. 257. Vid. etiam Zachias Quæst. Medicoleg. tit. 1. Quæst. 6. n. 51.*

LXVIII.

Quod utrique per exordia in talibus nati sunt, & ex talibus concreverunt, *Hipps. l. 1. de vict. rat. s. 4. p. m. 17. l. 28. Galen. l. 2. de sem. Tom. 1. p. m. 1217. c. & comm. 5. aphor. 48.* Quoniam in calidiore solidioreque, dextrâ scilic. uteri parte mares conficiuntur. *Hippocrat. 5. aphor. 48. & lib. 6. Epidem. s. 2. aph. 34. sect. 7. p. m. 263. C. Galen. lib. defin. Medic. Tom. 1. p. m. 179. D.* Quorum principium venarum matrices nutrientium est causa. *Galen. l. 14. de Us. part. p. m. 746. B.* dextra pars est calidior propter hepatis vicinitatẽ. *Galen. comm. in aph. 48. sect. 5.*

LXIX.

Hinc ex dextro teste semen masculo generando aptum profluit, qui obligandus, quoad maximè fieri poterit, si fœminæ; sinister, si maris procreatio expetitur. *Hippocr. lib. de superf. s. 3. p. m. 46. l. 44.* Id autem in Hippiatrinâ à Rusticis aliquando observatum animadvertitur, ut, si quando marem generari cuperent, sinistrum admissarii equi testiculum obligarent. *Foës. in Not. ad hoc cit. p. m. 118. l. 20.*

LXX.

Solus Plinius hìc mihi contrarius videtur, *qui natur. Histor. l. 7. c. 4. p. m. 68.*

Digitized by Google

m.68. statuit, fœminas gigni celerius, quàm mares, sicut & celerius senescere. Verùm doctissimus *Foësius in Not. ad libr. 2. Epid. Hippocr. s. 7. p. m. 114.* cum hanc sententiam Philosophorum placitis repugnantem deprehenderit, mendum subesse scribit, & quod gignere, non verò gigni legendum sit; Siquidem fœminæ liberorum procreationi celerius maturæ fiunt, quàm mares. Quod præcox incrementum adesse fœminis solet ob humidam naturam, & ceream membrorum mollitudinem, quæ materiam ad auctionem reapse efformationi sequacem invitat.

LXXI.

Quo sensu intelligendus etiam est *Aristoteles, quando sect. 10. probl. 10. ait*, quod masculina in multo perficiantur tempore, fœminina autem modico, ut rectè monet *ibi in comm. Ludov. Septalius tom 2. p. m. 52* postquam in lucem emissa fuerint. In utero enim contrà evenire, testis est idem *Aristot. l. 7. de histor. anim. c. 3. & 4. de generat. anim. c. 6.* Hæc ratione sexûs.

LXXII.

Ulterius in prosequendis rationibus fœtûs hujus brevi efformati succurrit mihi contemplatio cœli tempore conceptionis constituti. Nuptiæ celebratæ sunt die decimo nono Januarii præcipite. De conceptione primâ statim nocte factâ nullus dubito, quandoquidem pridiè ejus diei menstruus fluxus cessavit, à quo, dum liberatæ fuerint, necessariò pleræque concipiunt, *Hippocrat. lib. de octim. part. s. 3. p. m. 41. l. 4. C. F.* nimirum, quod venæ propriæ sanguine menstruo tunc spoliatæ non solùm potentius eliciunt genituram, sed longè tunc strictius complectuntur, ad quod ferè svevit conceptio sequi; cùm aliàs eo oppletæ non ita avidè appetant, nec trahant, nec attractum arctè contineant. *Maurit. Cordæus comm. 2. in Hippocr. lib. 1. de morb. mulier. in Tom. Gynæcor. p. m. 568. B. & p. 262. 582. B. 584 D.*

LXXIII.

Præterea uteri internæ superficiei inde asperiori factæ facilius semen adhæret. Quod eleganti similitudine à Cæmenteriis ducta illustrat *Hieronym. Mercurial. lib. 4. de morb. mulier. c. 1. tom. Gynæceor. p. m. 257. D. Vid. Gal l. de dissect. matr. tom. 1. p. m. 377 C.* Imò utero à menstruo profluvio defecato, si quis fœminæ congrediatur, conceptum maximè naturalem perfici contingit, adeò ut postea infans in vitam productus, saluberrimus existat, ac nullis morbis, quibus infantia exposita esse solet, obnoxius. *Levin. Lemn. de occult. natur. mirac. l. 4. c. 22. p. m. 447.*

LXXIV.

Tùm temporis cœlum quasi in matu-

Digitized by Google

maturandam hanc conspiravit, & citiùs expediendam, siquidem Sol in non sterili signo Aquario unà cum Mercurio, Solis naturam hîc aucupato constitutus ipsum quintũ Matris domicilium, generandis liberis ab omni antiquitate donatum aggressus ferè trigonum Veneris in radice tetigit, Lunę in fœcundissimo signo Cancro existenti suas vires plenâ manu & lumine confertim communicatò indidit. Luna proximè Veneris, fœcundissimæ illius matris, locum radicalem collocata in suo domicilio felicem obtinuit statum in exaltatione Jovis: Jove vicissim Lunæ non solùm radicale signum, sed (quod annotatione dignissimum) etiam signi, quo Luna in themate Matris superbiebat, ferè gradum occupante, juxta splendidissimum illius Orionis astrum. Venus in fœcundissimo signo piscibus, quod Jovi additum, exaltata reperitur. Ita ut præcipui significatores feliciores statûs formationi (quod rarissimè contingit) inserviant, si hæc cœli facies cum themate matris natalitio conferatur.

LXXV.

Nam & in conceptione astrorum vires ponderandæ. Neque enim minus ad corpus afficiendum positus cœli tàm tempore conceptionis, quàm nativitatis potest; cum tota corporis natura à conceptione pendeat. Cùm enim certum sit, & Agricolis notissimum, non parum referre, quo tempore, & quo astrorum situ & aspectu semina terræ mandentur: Cur non idem etiam in hominis conceptione, & quidem multò magis accidat?

LXXVI.

Imprimis hîc Luna multum potest, quæ ut plena, ut lumine diminuta, aut nova est, hunc vel illum cœli occupat locum, aut hanc vel illam cum Planetis & stellis fixis configurationem habet, varias conceptui imprimit dispositiones. *Senn. Prax. l. 4. cap. 7. part. 2. sect. 4. p. 395*; in quâ sententiâ etiam est *Ludovicus Septalius lib. de nævis p. m. 10.* Miror sanè harmoniam cœlestem, & matris thema nativitatis concepti fœtûs tempori adeò congruam; de quâ non facilè aliquis se idem in aliis observâsse (nam rarissimè contingit) poterit gloriari.

LXXVII.

Qui naturæ conatus, ut eò citiùs in actum deducatur, Formatrici Facultati properanti auxiliatrices præbuêre manus, aliæ causæ sociæ & adjuvantes. I. Inter parentes amoris ardentissimi vinculum arctissimum conspicitur, & concordiæ, quo animus Parentis Matri ante aliquot annos devinctus fuit, adhuc puellæ, Viri nondum potenti. Quem in viduitate octo integros annos puellam,

lam, & ejus Parentes celavit, exſpectaturus ipſius educationem & mores: Quos cùm demum laudabiles eſſet contemplatus, virtutis & optimæ illius famæ conditione commotus, præviis precibus eam ambivit, & à parentibus ſibi promitti impetravit. Coitus autem voluntarius & jucundus exiſtit fœcundisſimus, *Ludov. Mercat. tom. 4. Oper. Med. p. m. 636. l. 3. D. de ſteril. & pregn. affect.*

LXXVIII.

Ardens enim amor Venere intenſiore accumbit, & afficitur, excluſis omnibus aliis rebus, omnes Spiritus & vires huic tribuens actui. Hinc quidam Philoſophorum juxta politicas, rationem reddunt Phyſicam, quare furtivâ geniti Venere & illicitâ, itemque vulgaris conditionis homines, viribus corporis & animi plerumque polleant, ſintque legitimis longè vegetiores. Contrà filii Sapientum, & ſtudiis emancipatorũ, (qui non magnoperè hanc monomachiam expetunt, aut certè languidè & oſcitanter, diſtractis ad graviora cogitationibus, & Spiritibus debitum, quò pacatiores, magisq; commodas experiantur uxores, exſolvunt) ſtupidiores ſint, & imbecilliores.

LXXIX.

Deinde Hyems huc facit non parũ, quæ excepit conceptionẽ, in quâ plus nutrimenti aſſumitur, eò quod calor nativꝰ ſit fortior: qui quò fortior, eò ſanguis abſolvitur perfectiùs: & ob majorem benè elaborati ſanguinis, copiam ſvavior anathymiaſis, & ſomnus longior, nocte exiſtente longiore. *Hippocr. 1. aph. 15. & Viſcer. in Comment. p. m. 57. Heurn. in Not. p. m. 53.*

LXXX.

Verùm dicam mihi ſcribent non pauci grandem, quibus parentis ſenile contuitis corpus effœtum, & viribus caſſum, ſeminis, ſi aliquid reſtet, infœcundi arguendum videtur. Agit namque ille annum ſeptuageſimum. Seniores tales infirmæ ætatis dicuntur *in l. Civimtibus 122. ff. de Legat. 1.* & canitie graves læſis corpore æquiparantur *in Auth. de Quæſtor. Coll. 6.* imò minùs vivere præſumuntur, quàm ægri. *Joh. Nevizan. in ſylva nupt. lib. 2. n. 4.* Quare Senes & emeritos milites Cypridos caſtris excedere jubet *Ovidius.* Hinc vel ſexagenariis Viris nuptiæ olim *l. Papiâ* interdictæ erant, *l. Sancimus, 27. c. de nupt.* eò quod ad generandum id ætatis homines minus cenſerentur idonei, *ut ex l. ſi pater 15. §. in arrogationibus ff. de adopt.*

LXXXI.

Sed hoc telum me non feriet; multò minùs meam ſemel conceptã convellet opinionem. Medici experientiâ & rationibus convicti Se-

nibus etiam ſeptuaginta & plurium annorum ſpem generandi omnem non præcludunt. *Schenck. obſervat. Med.* 122. *l.* 4. *de concept. p. m.* 225. *ex Maſſæ Epiſt.* 29. *tom.* 2. refert de Venetâ muliere nobiliſſima, quod ſexagenaria ex ſeptuagenario ſene conceperit, & enixa ſit infantem. Et idem *p. m.* 228 accidit *Nicolao de Palavicinis* habente filium à ſe generatum in anno centeſimo ex *Savanorolâ tract.* 6. *c.* 21. *rubr.* 23. Vidit Alexander Benedictus ſuis oculis prolem à Germano ex Conjuge caſtiſſimâ ſuſceptum, quod *teſtatur l.* 2. *de curat. morb. cap.* 11. & *p.* 229. *ex Bernh. Scand. l.* 2. *claſſ.* 9. *hiſt.* recenſet, quod Sigismundus Polcraſtus Medicus & Philoſophus Pataviensis ſeptuagenarius ad ſecunda vota acceſſerit, & tres ante ſuum fœtum, quod expertus eſt anno ætatis nonageſimo quarto, oſculatus ſit ſuos filiolos.

LXXXII.

Noſtrâ ætate civis Stetinenſis anno ſuæ ætatis ſexageſimo primo ad ſecunda vota acceſſit, & ex Conjuge optimæ famæ, & honeſtorum morum, genuit octo filios, & duas filias. Quorum liberorum major pars adhuc vivit. Diem obiit extremum demum anno ætatis nonageſimo. Quod ſi is alternis ſaltem annis unum ſuſcepiſſet ſuorum liberorum, tamen anno ætatis octuageſimo primo adhuc generâſſe dicendus foret. In Pomeraniâ notiſſimum de Viro Magno, quod, qui octuaginta annorum cum eſſet, genuerit liberos, qui adhuc vivunt, Patre anno 1646 fatis cedente. Ante triginta annos Lipſiæ Senator ſexagenarius poſt ſecundas nuptias procreavit quatuor filios, & Mercator ibidem ſeptuaginta quinq; annos natus filium ex Matre juvencula, ante quindecim annos. Qualia exempla toties obviam oculis obſervantur, ut dubitandi nullus amplius locus ſit relictus.

LXXXIII.

Moderni itaque Medici ſibi conſulentes in definiendâ & diſtinguendâ ætate prudentes certum annorũ numerum aſſignare recuſant, magis ætates ſecundum calidi nativi robur vel decrementum metiti. Siquidem virtus ad actiones ex temperamento potiùs comparatur, quã ex tempore, ut loquitur *Mercatus tom.* 4. *Oper. Medicin. l.* 3. *c.* 1. *p. m.* 636. *F.* & complexionis conditionẽ ætatem ſupplere. *Jd. Ib. p. m.* 637. *A.* Quod admodum eleganter & fuſiùs *tractat tom.* 1. *Oper. Medic. l.* 1. *claſſ.* 4. *part.* 2. *Quæſt.* 54. *pag. m.* 106. *A.* ætates nullâ lege, nullo annorum numero, neque communi methodo metiendas, æſtimandasq; eſſe; ſicut multa, quæ in his inferioribus mutationes ſtatas, determinatas periodos ſortiuntur.

LXXXIV.

Humanorum enim corporũ ætates internæ inevitabilesque mutationes certo circumſcribunt, non tamen in præfinito tempore id efficiunt, ſed quibusdam citiùs, aliis verò tardiùs id accidere comperimus, *Gal. comm. iaph. 27. ſect.* Idem ſtatuit, non eſſe unum & certum terminum unicuiq; ætatum correſpondentem, propter variam in calore, & frigore temperaturam, & varias hominum naturas; quo fit, ut non posſit unus omnibus præfiniri terminus: quo profectò factum, ut ætates potius temperamentis, quàm annorum numero metiendæ ſint. *Mercat. cit. Tom. l. 3. part. 3. Claſſ. 2. quæſt. 208. p. m. 386. num. 41. & lib. 2. de ſanit. Claſſ. 2. Quæſt. 169. p. 75. D. num. 4. & part. 2. Claſſ. 1. quæſt. 184. p. 194. B.*

LXXXV.

Hinc legimus multis retrò actis ſeculis hoc uſu veniſſe, Prout *Plinium* docuit experientia rerum magiſtra in M. Catone Cenſorio, qui Octuagenarius tàm vividâ fuit ſenectâ, ut ne conſenuiſſe quidem videretur. Et filium genuit è filia Salonii, Clientis ſui. Item in Rege Masſiniſsâ nonagenario, anno ætatis octuageſimo ſexto filium gignẽte *lib. 7. de hiſtor. natur. cap. 14. p. m. 69.* ubi meminit Voluſii Saturnini, concluditque ad annum usque octuageſimum quintum apud ignobiles vulgarem reperiri generationem. Cujus documenta deſiderans adeat Danos & Norvvegos, ubi ſæpisſimè hoc evenire edocebitur.

LXXXVI.

Imo Lev. Lemn. lib. 4. de occult. natur. mirac. c. 24. p. m. 464. hiſtoriam de Viro centum annorum refert, quod duxerit juvenculam, & ex ea complures ſuſtulerit liberos, qui in tàm provectâ ætate, ſenectâ fuit adeò crudâ viridique, ut vix annum compleviſſe videretur quinquageſimum. Apud Tungros quòque, & in Campana Brabantica, ubi mira aëris clementia, gens temperans & frugalis, inauditum non eſſe ſcribit, ſed vulgare propemodum octuaginta annorum Viros Virgines non admodùm annóſas in Conjugii ſocietatem adſciſcere, atque ex iis proles excitare. Hinc ibidem concludit, quod annorum numerus Viro nihil officiat ad procreandos liberos, niſi prorſus juvenibus ætatis incontinentiâ exhauſtus ſit vigor & genitales partes effœtæ emarcuerint. Sicut, ait, nonnulli validi, robuſtique ſenes, quibus adoleſcentia continenter & moderatè transacta eſt; qui ad ſeptuageſimum annum fœcundi ſunt, & in peragendo concubitu viriliter ſubſiſtunt, quorum multa exempla Brabanti, Gothi, Sueci, (addo hîc Scotos, qualis hic Parens, de quorum fœcunditate

ubique extenditur fama ferè) suppeditant,

LXXXVII.

Hinc Medici Venæsectionē adhibituri non tàm annorū numero, quàm habitui & virium robori attendendum esse volunt, videndumque non solùm quamdiu quis vixerit, sed quantum adsit virium: cum fieri possit, ut septuagenarius facilius ferat venæsectionem, quàm alius nondum annos sexaginta natus, *Sennert. Instit. Medic. l. 5. part. 2. s. 1. cap. 17. pag. 403.*

LXXXVIII.

Demnach ex diligenti & iteratâ cadaveris defuncti N. N. inspectione befunden / daß weder an dessen Haupt / Leibe noch Gliedmassen einiges vestigiũ plagæ, contusionis, ictꝰ aut vulneris vorhanden / welches sonst / wann verstorbener N. N. (quocunq; teli genere solches auch möchte geschehen seyn /) etwa wäre verletzet worden / sich würde geäusert haben: Als ist zu schliessen / daß verstorbener N. N. nicht ab externâ violentiâ oder von gewaltsamer Hand ümkommen / sondern denen in actis enthaltenen Umständen nach von übermäßiger Trunckenheit / wozu der hefftige Eifer nicht wenig geholffen / suffocatis in corpore spiritibus vitalibus, aut obstructo nervorum principio & subsequutâ apoplexiâ gählinges Todes verfahren / wie solches iederzeit / wann es begehret wird / weitläufftiger kan deduciret und außgeführet werden. Salvô aliorum judiciô. Dab. Wolini in transitu. d. XXI. Decembr. Anno M. DC. XXXVIII.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XXXVI.

De partu 311. dierum: An pro legitimo habendus sit?

RESPONDETUR:

Vulgò quidem eos solummodò partûs legitimos dici, qui secũdum comunem naturæ legem mense nono vel decimo nascuntur, reliquos, qui ante vel post illud tempus in lucem prodeunt, pro legitimis haberi, exceptis septimestribus.

Verùm, ut nulla determinatio, quantumvis naturalis, in rebus potentiæ contradictionis subjectis, adeò certa est & immota, quin latitudine aliquâ dividatur, & nunc brevior, nunc prolixior reddatur; ita & humanæ generationi assignati termini cum quâdam latitudine accipiendi sunt, ut rectè monet *Acacia lib. de morb. mulier. c. 6.*

Neque enim naturæ effectus atq; opera ad certum aliquod punctum alligata sunt, sed temporis quâdam gaudent latitudine, id quod in operosâ hominis fabricâ maximè deprehenditur.

Etsi enim pleriq; fœtûs nonò vel decimo mense in lucem eduntur: Certum tamen est, aliquos etiam undecimo, duodecimo decimo, tertio &c. nonnullos sexto, septimo, &c. vitales nasci, quemadmodum apud *Plinium lib. 7. natur. histor. c. 5. Cardan. lib. 1. tract. 3. contrad. 8. Amat. Lusit. cent. 1. cur. 77. Avicenn. lib. 9. de na-*

de natur. animal. Franc. Vallesf. de Philosoph. sacrâ cap. 18. Horat. Aug. Epist. & consult. lib. 6, Schenck. lib. 4. observat. 41. Adrian. Spigel. de formato fœtu c. 7. Speron. in Dialogo de partu, & alios indubitatæ fidei authores videre est.

Ita *Senn. lib. IV. Medic. pract. part. 2. sect. 5. cap. 8. scribit*: Annô M. DC. XXXII. fuisse Wittebergæ fœminam, quæ undecim menses fœtum gestaverit, posteà tamen feliciter pepererit.

Causa hujus varietatis est maturatio & perfectio fœtûs, quæ fit in utero incerto tempore, & variis interdum mensibus, ob facultates corpus fœtûs gubernantes vel debiliores vel robustiores.

Facultas verò debilis vel robusta fit vel per se, ex semine nempè, cui inhæret, tanquam suo principio, vel ex accidenti, nempè apti alimenti penuriâ, quæ contingit vel matris vitio, scilicet morbo, inediâ, aliâvè causâ externâ, vel fœtus ægritudine, quam ex pravo vel nimis copioso alimento contraxit; *Adrian. Spigel. lib. de formato fœtu. cap. 7.*

Ut enim in lucem editi, alii subitò incrementum sumunt, alii ob morbosam constitutionem tardiùs augentur; Ita in fœtu, si facultas formatrix fortis sit, formatio citiùs absolvitur & partu celeriùs sequitur, si debilis, & formationis & perfectionis tempus protrahitur. *Sennert. lib. 4. Med. pract. part. 2. sect. 2. c. 1.*

Quæ cùm ita se habeant, partum 311. sive 319. dierum pro legitimo habendum esse censeo, non quidem simpliciter & modo communi seu consueto, sed singulari & raro, attamen à Philosophis & Medicis fide dignissimis sæpius observato.

Sic Adrianus Imperator requisitis Veterum Philosophorum & Medicorum sententiis, decreto pronunciavit undecimestrem legitimũ. Intereà tamen etiam in alias circumstantias diligenter inquirendum, an fœmina sit imbecillis, an firmæ sit constitutionis, an tempore gestationis morbô aliquô fuerit affecta, an inediam, frequentes lipothymias, aut superfluum singulis mensibus sanguinis fluxum, quô fœtui alimentum subtractum, viresque dejectæ, ita ut egressum ex utero legitimo tempore conari non potuerit, aut simile quid passa sit. Ipsa etiam fœtûs editi constitutio consideranda, an nimirum debilis fuerit, an vegetus, robustus, & per omnia sanus; Vix enim aliâ de causâ protrahitur partus, quàm ob caloris nativi, viriumque imbecillitatem. *Paul. Zachias Quæst. Medico-legal. tit. 2. quæst. 6. Henn. Arnisæus de part. hum. legitimis terminis. tit. 117.*

Sic requisitus respondeo.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPON-

RESPONSUM XXXVII.
De ambiguitate sexûs & inhabilitate conjugali.

Auß denen zwischen Joachim Meves wider die ihm Ehelich vertraute Anna Timmermañs in puncto ambigui sexus & inhabilitatis conjugalis &c. hinc inde verübten und vom E. E. Consistorio mir neulich zugeschickten Actis ist befindlich:

Daß beklagte Anna Timmermañs/ Klägers Vorgeben nach/ mit dem sexui virili nichts gemein habe/ vielweniger beydes sexum virilem & muliebrem repræsentire, und ein Hermaphrodit sey/ zu mahl wie ex oculari inspectione eingezeuget wird/nec solius maris, nec maris & fœminæ sive utriusque sexus, sed tantummodò fœminæ genitalia bey der Beklagten zu befinden: Der Irrthum ist meines Erachtens ex prolapsu sive procidentia uteri, womit Beklagte behafftet/ entstanden/wodurch Kläger sich eingebildet/ daß sie nach Mannes-Art gestalt wäre/ welches dann von einem einfältigen Manne leichtlich geschehen können, siquidem cervix uteri figuram mentulæ sive penis, fundus autem scroti quodammodò repræsentat, unde etiam mulierum partes procreationi dicatas à Virorum genitalibus situ tantummodò differre existimarunt Veteres, quod his foris promineant, illis verò ob naturæ debiliorem vim, frigidamque temperiem, intus lateant. *Andr. Laurent. lib. 7. Hist. Anatom. cap. 8.* Et *Galen.* orificium uteri internum glandi virili persimile esse scribit. *lib. de us. part. & administr. Anatom.*

Was sonsten Beklagte bey der Besichtigung zu Sucken außgesaget / daß sie diesen Schaden durch schwerer Bürden Hebung bekommen / ist gar wol zu gläuben: Ab elevatione enim gravioris ponderis ligamenta uteri facilè extendi & rumpi possunt, quo facto uterus prolabitur. *Hippocrat. lib. 2. de morb. mulier. Vid. Vid. de Curat. membr. lib. XI. cap. XIV. Alexandr. Massar. prælect. Anatom. lib. IV. cap. VII.*

Ob aber dieser affectus könne curiret werden / ist etwas zweifelhafftig.

Zwar bey jungen Leuten/und wann der Schade noch neu / und nicht zu groß ist/ kan solches gar wol geschehe: Affectus enim hic dum recens est, & descensus potiùs uteri, quàm ejus extra vulvam procidentia, faciliùs curatur. *Sennert. lib. IV. Med. pract. part. 1. sect. 2. cap. 15.*

In præsenti autem casu, da der Schade groß/ und so lange Zeit und Jahr gewäret/und die Patientin alt und schwach ist / stehet solches schwerlich zu hoffen: Si enim malum diutius duraverit, & procidentia major sit, difficulter curatur, præsertim in adultioribus, quibus, etsi reponatur

tur uterus, tamen levi de causa iterum prolabitur. *Sennert.* loco allegato. Insonderheit weil zu besorgen/ daß ex elevatione gravioris ponderis die ligamenta uteri zurissen. Rupta autem ligamenta iterum consolidare impossibile est, si malum sit inveteratum, cum partes callo jam obductæ consolidari nequeant. Unterdessen aber ist hiebey zu berichten/ daß ob wol dieser prolapsus uteri auß angezogenen Ursachen nicht kan vollkommen restituiret werden/ also und der Gestallt/ daß die ligamenta sive laxata sive rupta sint, solten können in ihren natürlichen Stand wiederům gebracht werden/und den uterum an seinem Orte halten/ dennoch der uterus præmissis fomentationibus & inunctionibus convenientibus wol könne wiederům in den Leib geschoben/und durch gewisse instrumenta retiniret und behalten werden/ gestalt denn sonderlich pessaria, circuli & pilæ hierzu erfunden/ welche den uterum so fest an seinem Ort halten/ ut etiam coitus & conceptio fieri possint. *Gvilhelm. Fabr. Centur. 4. observ. Chirurg. 61.* Wie solches mit vielen exemplis, wann es nöthig/könte dargethan werden/ immassen dann auch allhier und in der Nachbarschafft unterschiedliche Frauen annoch im Leben/ welche dergleichen Bälle tragen/ und dennoch deß Ehelichen Wercks ohne Verhinderung pflegen/ auch theils unterschiedliche mahl concipiret und gebohren haben.

Dannenhero wäre mein weniges jedoch unvergreiffliches Gutachten/ daß man der Sachen etwa 2. oder 3. Monat einen Anstand gebe/ und immittelst durch eine erfahrne Heb-Amme versuchen liesse/ ob der uterus wiederům in den Leib könte geschoben werden/welches/ da es angienge/ könte man ferner Mittel/ als etwa ein bequemes pessarium oder Ball hierzu gebrauchen/ und sehen ob der uterus dadurch im Leibe möchte behalten werden/ und nicht wieder herauß fallen/ wie solches bey vielen mit gutem success ist practiciret worden.

Dieses habe ich auf Begehren eines Wohlwürdigen Consistorii de præsenti casu zur Nachricht verzeichnen und einzeugen wollen. So geschehen in Colberg am 13. Januar. Ao. 1659.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XXXVIII.

Fœmina qvædam qvatuor post partum horis subitâ morte exstingvitur. Qvidam adstantium mortem obstetricis negligentiæ imputandam putant; Qværitur an justè?

RESPONDEO:

Auf Begehren deß Wohl-Edlen N. N. habe ich Eides-Beschriebener am

ner am 22. Januarii deß itzt lauffenden 1662. Jahres die geschworne Stadt-Heb-Amme N.N. zu mir in meine Behausung allhier in Colberg erfordren lassen / und dieselbe auf ihren Eyd und Christliches Gewissen befraget / wie es in / vor und nach der Gebuhrt bey N. N. selig verstorbenen Haus-Frauen daher gegangen?

Hierauf hat sie geantwortet / daß / wie sie am jüngst abgewichenen 19. Januarii deß Morgens frühe zu itzt ermelten Frauen erfordert / habe sie dieselbe sehr schwach und Kraftloß in Betteliegend gefunden / und weil sich einige Schmertzen im Rücken und unterstem Leibe mercken lassen / habe sie die Frau auf einen Stul gesetzet üm zu versuchen die Frucht / welche sonst nicht und natürlich gewendet gewesen / zu gewinnen / weil aber Selbige noch etwas tieff gestanden / und das Weh nachgelassen / habe sie die Frau mit Hülffe der Dantzger Warts-Frauen wiederüm zu Bette gebracht / und weil sie vermeynet / es würde mit der Gebuhrt noch etwas anstehen / nach Hause gegangen / willens / weil es eben Sontag gewesen / sich weiß anzukleiden / wäre aber durch die Magd alsobald wieder zurücke gefordert worden / unterdessen hätte sich die Frau durch das Warts-Weib auf den Nacht-Stul bringen lassen / woselbst sie garschleunig eines jungen Söhnleins genesen / welches die Warts-Frau mit einem Küssen empfangen / und die Heb-Amme an ihrer Wieder-Kunfft gebührend gelöset / und die After-Gebuhrt zu gewinnen sich bemühet / aber nicht gantz / sondern nur etliche Stücklein davon erhalten können / um Leibe und sonsten wäre nicht das geringste verletzet wordẽ / so wahr ihr GOtt helffen solte / könte es / wann es begehret würde / mit ihrem Eide darthun / daß die Frau in der Gebuhrt nicht verwahrloset worden / sie wäre vorher sehr schwach und Krafftloß gewesen / hätte in drey Tagen nicht das geringste an Speise und Tranck genoßen / sich häfftig gegrämet / Schlafloß gelegen / und über den gantzen Leib / wie auch an Händen und Füssen Eiskalt gewesen / also daß man sie nicht erwärmen können / so wäre auch eine Ohnmacht über die ander zugeschlagen / biß sie endlich etwa vier Stunden nach der Gebuhrt Todes verblichen.

Solte es sich nun berichter Massen verhalten / hätte man der Heb-Ammen wegen einiger Verwahrlosung nichts beyzumessen. Dann ob sie schon bey der Gebuhrt nicht gewesen / ist doch dieselbe gar recht und natürlich ohne sonderliche Schmertzen abgegangen / auch die muliebria noch sonsten etwas im Leibe verletzet / der partus selbsten integris & illæsis membris omnibus zur Welt kommen / und biß auf itzige Stunde bey Gesundheit und Leben geblieben; So hat auch retentio secundinæ so einen schleunigen Tod

 nicht

nicht verursachen können: dann ob zwar auß derselben Verhaltung viel schwere und gefährliche Symptomata zu entstehen pflegen/ geschiehet doch solches erstlich ex intervallo aliquot dierum, wann die secundinæ vorher putrescirен, faule böse Dünste von sich geben/ welche das Haupt und Hertz einnehmen/ hitzige Feber anzünden/ Hertzens-Angst/Unruhe/ und Ohnmachten/ bißweilen auch der schweren Gebrechen/ und endlich gar den Tod verursachen.

Weil aber von den domesticis/und andern eingezeuget wird/ daß die nunmehr selig verstorbene Frau/ eine geraume Zeit ante partum über grosse Mattigkeit geklaget/ in grossem Kummer und Hertzeleid gestecket/wenig und zwar gantzer drey Tage vor der Geburt gar nichts an Speisen zu sich genommen/ ist leichtlich abzunehmen/ daß die Spiritus zum grösten Theil hiedurch absumiret, endlich/wie die labores partus & sanguinis profusio dazu kommen/ gantz und gar dissipiret worden/ worauf der Tod endlich erfolgen müssen. Mœstitia namq; & graviores curæ universum corpus refrigerant & siccant, vigilias inducunt, & Spiritus dissolvunt: Sic & inedia humores bonos atq; utiles absumendo, Spiritibus materiam subtrahit, dolores vires debilitant spiritusque dissipant. Sanguinis autem largæ profusiones animi deliquia & syncopen, sæpè ipsam mortem inducunt: Wie solches iederzeit/ wann es begehret wird/ weitläufftiger kan außgeführet werden. Intereà hæc sufficiant, quæ assertione fideq; medicâ attestari volui, Colbergæ d. XXV. Januarii, Anno 1663.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XXXIX.

De Contagio pestis.

Demnach die hochlöbliche Churfürstl. Regierung N.N. Bürgern und Handelsmann allhier wegen seiner Hau[s]frauen/welche neulicher Zeit metu pe[st]is, w[o]mit ihr Wohnhauß/ in welch[em] ein [M]ägdlein gar schleunig ge[sto]rben inficiret zu seyn verdächtig worden/in den Keller unter berührtem Hause sich begeben/ und nunmehr herauß gelassen/ und in eine andere Wohnung zu gesunden Leuten einzukehren inständig anhalten thut/ an mich remittiret und mein Sentiment hierüber schrifftlich zu eröffnen begehret; Als habe ich vor gut befunden/ daß berührten N.N. Haußfrau vorher/ ehe sie auß dem Keller gelassen würde/ gute bewehrte alexiteria und expulsiva iteratis vicibus gebrauchen und damit schwitzen möchte; Wodurch das Gifft/ welches sie etwa per contagium möchte gefangen haben/ vom Hertzen abgeführet und ad peripheriam

corpo-

corporis getrieben würde / welches dann auch Vermöge beygefügten attestati drey Tage nach einander mit allem Fleiß geschehen:

Wann dann hierauff an Pestilentialischen Beulen nichts außgeschlagen / und berührte Frau ihrer Gesundheit halber nichts zu klagen weiß / über dieses auch schon vier Wochen / nach Absterben deß Mägdleins verflossen / und niemand weiter im selbigen Hause / noch im Keller inficiret oder kranck worden / hat man sich eines contagii bey dieser Frauen nicht zu besorgen / es were dann daß in den Kleidern / Betten 2c. in quibus fomes contagii diutissimè latere potest einiges Seminarum pestis verborgen sein möchte / welches aber durch Wechselung der Kleider und hinterlassung derer Bette / als auch anderer Sachen / so im Keller sein möchten / leichtlich kan verhütet werden. Welches ich auf Begehren zur Nachricht anhero verzeichnen / und einzeugen wollen. Colberg den 15. Januar. Anno 1661.

RESPONSUM XL.

De Constitutione & robore corporis in Adolescente quodam fidiculis subjiciendo.

Adolescens quidam Nobilis annorum XVII. homicidii dolosi accusatus, cùm factum pertinaciter negaret nec testibus convinci posset, à Judice extraneo reqvisito decretum est, rei veritatem per torturam explorare, accusatumq; fidiculis subjicere, eâ tamen conditione, si corporis robur in homine juvare adeò firmum foret, ut sine jacturâ valetudinis & vitæ periculo primum torturæ gradum sustinere posset: Ego super hac re judicialiter interrogatus, inspecto totius corporis habitu deprehendi partes externas omnes rectè & naturaliter conformatas, justæq; figuræ & magnitudinis satisq; pro ætate robustas, & cùm prætereà ad omnes actiones, quæ secundum naturam sunt, exercendas aptus & expeditus esset, pro homine sano & sic satis firmo, qui torturâ & quidem primi tantummodò gradus absq; valetudinis jacturâ perferre possit, eundem declaravi. COLBERGÆ d. xxv. Septembris Anno M. DC. LXII.

BALDASSAR TIMÆUS von Güldenklee.

RESPONSUM XLI.

De Cœcitate ex ulcere Pedis Rhevmatico.

Vir quidam Nobilis, ætatis consistentis, multis annis ulcere Rhevmatico pedis sinistri affectus, consolidato tandem, vetulæ cujusdam operâ, ulcere, in dolores capitis acutissimos, postmodum in cæcitatem incidit. Quæritur, an ex occlusione

clusione ulceris, an ex alia causa, cœcitas suborta sit?

RESPONDEO:

Cœcitas causas quidem multas esse & varias, veluti intemperiem cerebri, ob quam Spiritus exigui aut impuri gignuntur; vel ejusdem debilitatem contractam ex nimiâ evacuatione, diuturno vel gravi morbo, animi mœrore, crapulâ, nimiâ Venere &c. vel nervorum opticorum angustiam & obstructionem ab excrementis cerebri pituitosis, seu extra nervos opticos comprimentibus & irrigantibus, seu intus obstruentibus; vel humorum aut spirituum, vel corneæ tunicæ ac pupillæ vitium &c. Verùm cum nulla harum causarum in Viro nobilissimo præcesserit, dicendum omninò est cœcitatem hanc ex intempestiva ulceris diuturni & fluentis occlusione subortam. Cum enim longo jam tempore naturâ assveverit humores noxios ad pedem deturbare, & per apertum in eo ulcus evacuare, facilè fieri potuit, ut occlusâ viâ ad supernas partes ipsumq; cerebrũ regurgitaverint, & in nervos opticos effusi cœcitatẽ induxerint, quod ipsum & fœtor, quem æger à somno in ore percipit, similis illi, quem ulcus olim in pede exhalavit, manifestè indicat. Ita sentio

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XLII.

De Venæsectione in peste & febribus pestilentibus.

ANNO M. DC. XXIV. sub initium Mensis Julii, pestis contagium per Nauclerum quendam ex Daniâ ad nos delatum immane quantum grassari cœpit. Exortâ inter Chirurgos de Venæsectione controversiâ, ex me quæsitum est, An expediat sanguinem peste infectis incisâ venâ mittere, an secus?

RESPONDI:

Circa Venæsectionem in peste & febribus pestilentialibus magnâ cautione opus esse, minusq; peccari, si Venæsectio omittatur, quàm si incautè adhibeatur. Etenim per Venæsectionem venenum è corpore educi neutiquam potest, sed alexiteriis opus est & Bezoardicis longo usu probatis, quibus venenum intervenientibus sudoribus è corporis centro ad περιφέρειαν quasi foràs trahatur & expellatur, cum è contrà per Venæsectionem naturæ motus in expellendo veneno impediatur, illudq; introrsum rapiatur, quin & vires, dum unà cum sanguine spiritus vitales egrediuntur, valdè debilitentur, aut morbo tàm atroci sustinendo, deinceps pares esse nequeant, metuendumq; ne in locum vacuati sanguinis protinùs venenum pestilens in venas vacuas & ad ipsa

cor

cor trahatur, & pustulæ, bubones, & carbunculi pestilentiales per palindromen sectâ venâ ad interiora revocentur. Præterea experientiâ multiplici cōstat rarò phlebotomiam peste infectis profuisse, sed omnes ferè vel eodem die, vel paulò pòst interiisse, unde *Gvintherus Andernacus libr. de peste* scribit, Venæsectionem suo tempore, dum pestis Lutetiæ Parisiorum grassaretur, ingens damnum infectis dedisse, extinctis omnibus, qui eam admiserunt; Sic *Paraus lib. de peste cap. 24.* refert. Anno M. DC. LXV. cum pestis per totam ferè Galliam grassaretur, se ex omnibus urbium, per quas Regi *Carolo* nono Bajonem iter erat, Medicis & Chirurgis diligenter & studiosè sciscitatum esse, quid ægris successisset in purgatione & phlebotomiâ, atq; omnes unâ voce respondisse, observâsse se sedulò, omnes peste correptos, quibus liberaliter sanguis detractus fuerat, aut corpus valdè purgatum, deteriùs inde habuisse, tandemq; interiisse; reliquos, quibus solis alexiteriis provisum esset, ferè cunctos evasisse. Et *Fallopius* annotavit, omnes, quibus Anno 1524. & 1540. vena secta fuit, mortem oppetiisse. Et *Guilielmus Fabritius lib. 4. observat. 23.* tradit, in peste Lausanensi omnes ferè, quibus secta fuerit vena, periisse. Ita Rodericus *Fonseca libro de tuendâ sanitate cap. 27.* fatetur, ex multis, quos malignâ febre in Hospitali curaverat, plures mortuos fuisse, quibus sanguis sectâ venâ missus fuerat, pauciores, in quibus abstinuerat. Idem confirmat *Forestus, Cornelius Gemma, Conradus Gesnerus, Johannes Bauhinus, Petrus Salius Diversus, Palmarius, Salustius Salvianus, Andreas Chioccus, Cardanus, Raymundus Mindererus, Alexander Massarias, Joannes Heurnius, Antonius Saracenus, Horstius, Thonerus, aliiq;* complures celeberrimi Medici.

Quæ cùm ita se habeant, venæsectionem in peste & febribus pestilentibus omittere tutiùs esse judico, quàm adhibere: Monent quidem nonnulli eam non omninò rejiciendam esse observatis certis conditionibus, nimirùm si pestis incidat in corpus plethoricum & multo sanguine abundans, ut metuendum sit, ne putrida febris vehemens, à quâ æger, non minùs, quàm ob ipsam pestem periclitari possit, accedat, aut sanguinis ad loca inconvenientia impetus animadvertatur, unde pestis curatio impediri aut retardari facilè possit, aut si bubo delituerit, viresque potiùs sint copiâ oppressæ, quàm dissipatæ &c. Sed quotusquisq; Chirurgorum est, qui hæc intelligat? Unde in eâ persto sententiâ, rectiùs eos facere, si à Venæ-

sectione abstineant, vel requisiti, tempestivè, & antequàm 12. horæ elapsæ sint, Medicum prudentem consulant. Rectè *Brunnerus Consilio LXII.* Venam secare in malo hoc acutissimo, lethiferum, potiùs, quàm salutiferum & Victorius Faventinus: in febre pestilentiali & peste, si non adsit insignis quædam sanguinis abundantia, cave à phlebotomiâ, sicut à Diabolo.

RESPONSUM XLIII.
De Unguento Mercuriali.

Filiolus Mercatoris cujusdam, trium circiter annorum puer, achoribus per totum caput diffusis, molestissimo pruritu vexabatur; Parentes, relaxandi animi gratiâ, rus concesserant; Intereà anus quædam domestica unguento Mercuriali caput repetitim illinivit; Hinc achores subitò disparuêre, puer autem in Epilepsiam incidit, convulsionibusq; continuis correptus, paulò pòst fatis concessit; Quærit Parens afflictissimus, an causa mortis litui imputanda?

RESPONDEO

Ex inunctione capitis, humores vitiosos, qui plerumq; ex falsâ, nitrosâque pituitâ, & bile flavâ commixtis achores excitant, ad interiora cerebri repulsos, vel inde constat, quod tàm subitò disparuerunt ulcuscula, unde facilè fieri potuit, ut materia illa acris, & malignitatis Mercurialis particeps, membranas cerebri vellicaret, motusq; convulsivos, tandemq; ipsam mortem induceret. Est enim Mercurius cerebro nervosoq; generi infensissimus, & experientiâ constat, argentum vivum, non minùs, quàm alia venena stuporem, convulsionem, tremorē, paralysin, Epilepsiam, apoplexiam, aliosque morbos gravissimos, imò interdum ipsam mortem attulisse: Nec mirum videri debet, Mercurium ex inunctione capitis, ad cerebrum delatum; maximam enim penetrandi vim habet, scribitq; *Gvilielmus Fabritius Cent. V. observ. XIII.* Matronam quandam honestam ex inunctione capitis cum argento vivo, obstructis nervis opticis visum amisisse; Et ipse memini juvenem quendam literatum ex intempestivâ Capitis cum ungvento Mercuriali inunctione auditûs difficultatem contraxisse, de quo *in Epist. meis medicinalib. lib. 1. Ep. XIX.*

Eustachius Rudius lib. V. de morbis occultis cap. XV. scribit, se vidisse, idq; & alios observâsse, corpora quædam dissecta fuisse, in quibus argenti vivi in ossium cavitatibus non exigua copia, ex inunctione in morbo Gallico, fuit collecta: *Et Libavius in tractatu de igne natura cap. 30. refert,* Chirurgum quendam ob cerebrum usum Medicamentorum Mercu-

Mercurialium mortuum, ossa habuisse, planè friabilia. Sic *Schenckius lib. 7. de Hydrargyro observ. 20.* scribit, cuidam frequenter utenti Mercurio accidisse, ut Mercurius brachio elevato & dimisso in eo fluctuaret, & motu manifestè perciperetur. Negat quidem *Platerus in tractat. 1. de caus. tremoris*, argentum vivum per inunctiones in corpus penetrare posse; Verùm nemo, qui argentum vivum tractavit, ejusque vires & naturam cognitam habet, *Platero* facilè assentietur. Rationes adducit *Sennertus lib. 1. Med. pract. part. 2. cap. 25.* Exempla & historias *Fernelius de lue Venereâ cap. 7. Julius Palmarius de morbis contagiosis libro de Hydrargyro cap. 5. Forestus lib. 8. observat. 5. Gvilh. Fabric. cent. V. obs. XIII.*

Dùm hæc scribo, curanda mihi offertur puella quædam nobilis, undecim circiter annorum, quæ à scabie, sive achoribus capitis per inunctiones Mercuriales liberata, paulò pòst strumam ovi pavonii magnitudinem fermè adæquantem in collo, paulò infrà aurem sinistrâ contraxerat; purgavi corpus iteratis vicibus, exhibui specifica strumas & scrophulas peculiari vi absumentia, applicui topica & emplastra convenientia, sed frustra omnia & sine successu; tandem tumoris causam altiùs mecum expendens, Mercurium expellere, scabiemque iterum excitare constitui, id quod exhibitione decocti, quod habet *Hochstetterus observ. Decad. 3. cas. 4231.* feliciter obtinui. Hinc tumor sensim minui cœpit, tandemq; planè evanescere: Verùm cùm capitis pruritum & scabiem ægrè, & non sine pudore ferret Virgo jam nubilis, denuò litum illum Mercurialem suadente quâdam vetulâ repetiit, ex quo achores quidem disparuêre, paulò pòst tamen struma eodem, quô anteà fuit, loco iterum repullulare, tantamq; in molem excrescere, & ad guttur usque extendi visa est, ut miseram tandem compressis faucibus suffocaret. Ex his omnibus Mercurii malitiam satis elucescere autumo, ac proinde puellum, cujus suprà memini, non aliâ de causâ, quàm ex intempestivâ Mercurii inunctione mortuum censeo. Salvô aliorum judiciô.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM. XLIV.

De Parotide malignâ.

VIr quidam ætatis consistentis incidit in febrim malignam, die septimo pone aurem sinistram erupit tumor, cum rubore & dolore, applicitum à medicastro quodam Emplastrum de spermate ranarum,

ex hoc dolor remisit, tumorque disparuit, postero die mortuus est æger. Quæritur, an medicamento, an morbo mors imputanda?

RESPONDEO:

Tumor juxta aurem Parotis fuit, & quidem maligna, qualis ipsa febris. In omni autem parotide seu critica sit, seu symptomatica, sive benigna sive maligna, repellentia maximè sunt noxia, ut habet *Galenus 3. de compos. Medicam. secund. loc. cap. 3.* Materiam enim vitiosam, quam natura ad exteriora protrusit, ad interiora, & à loco ignobiliori ad nobiliorem repellunt. Maximam autem perniciem inferunt, si Parotis criticè erumpat, & maligna sit, qualis hæc fuit; Undè facilè patet, quàm enormiter in repellentium applicatione peccatum sit; Naturæ namque motus non impediendus, sed promovendus erat, ut pluribus docet *Antonius Chalmetæus Chirurg. lib. 1. cap. XXIII. Gvilhelm. Fabric. cent. 1. observ. 39. Sennertus lib. V. Med. pract. part. 1. cap. XII.*

RESPONSUM XLV.
De Excisione lienis.

SErenissimus quidam Imperii Princeps cursorē habebat adeò velocem, ut spatio duodecim horarum quindecim milliaria Germanica emetiri posset, is inter currendum quandoque sinistri lateris punctiones sentiebat adeò graves, ut sistere gradum & quiescere paullulum cogeretur: Qværit Serenissimus Princeps, an lien sine vitæ periculo & valetudinis jacturâ exscindi possit?

RESPONDEO:

Fuisse quidem prisco seculo & adhuc esse nonnullos, qui hominem post excisum lienum ad cursum magis aptum putant. Sic *Plinius lib. 11. cap. 37.* ait; Peculiare cursus impedimentum esse in liene, quamobrem inuritur cursorum laborantibus, & per vulnus etiam quandoque eximitur; Cujus opinionis fuit *Aretæus, Halus Abbas, Rossetus* & alii. Et *Plautus in Mercatore actu 1. Scena 2.* scribit:

Genua hunc cursorem deserunt, perii; seditionem facit lien, occupat præcordia.

Verùm, ut lienem cursoribus & aliis cito gressu ambulantibus, quandoque sinistri lateris punctiones inducere, non diffitemur; quatenus humores vitiosi in liene arteriis referto, ex concitatiore motu ebulliunt & effervescunt: Sic eundem sine valetudinis incommodo exscindi posse, omninò negamus; Est enim hoc viscus, si quod aliud, ad conservandam bonam valetudinem adeò necessarium, ut si laboret, multorum morbo-

rum,

rum, ut affectionis hypochondriacæ, Melancholiæ, febris quartanæ, icteritiæ nigræ, Scorbuti, Hydropis &c. aliquando & mortis causa sit, id quod vel ex usu ejus liquidò constat. Fuerunt quidem nonnulli, qui usum lienis nullum esse, & frustrà à naturâ hoc viscus conditum, & inutile microcosmi pondus esse, asserere ausi sunt:

Erasistratus scribit naturam timentem necubi artis suæ oblivisceretur, dum fœtui vix concepto jecur in dextris conformaret, in sinistro quoque latere aliquid molitam esse, & consistentem in eo lienem jecori opposuisse.

Democritus, Hippocratis Coætaneus, itidem lienem sine aliquo usu inglorium in animalium corporibus duxit: Splen, ait, ex adverso jecoris jacet, nullum negotium exhibens;

Ruffus Ephesius lib. 2. de appell. part. inquit, lienem esse membrum ignavum, nullo fungens ministerio.

Paracelsus lib. 2. de natur. human. cap. 4. dicit, Splenem corporis tolli debere; Vitam sine splene longiorem esse, quàm cum splene, & cùm necesse sit alia membra in corpore esse, attamen non splenem: Nam benè absque ipso nos vivere posse: Et *cap. 6. de Splene, renibus & felle* scribit: Sunt hæc membra ad nihil aliud utilia, nisi ut corrumpant, quicquid utilia membra ædificant.

Verùm impiæ huic in DEUM Creatorem opinioni ipsa reclamat natura, quæ nihil frustrà facit, nec abundat in supervacuis, nec deficit in necessariis. Rationes prolixè adducit *Bartholinus libro de controversiis anatomicis I.* de infimo ventre, *quæst. XVII.* quas hîc repetere opus non est: Nobis ex Celeberrimorum prioris & nostri seculi Medicorum sententiâ firmum manet & stabile, lienem in corpore humano magni usus esse, & sine valetudinis detrimento neutiquam exscindi posse. Sed si vitio aliquo laboret, & punctiones excitet, Medicamentis convenientibus eidem subveniendum esse.

Ita statuo

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XLVI.

De surditate ex infuso auri oleo.

TAbernarius quidam auris sinistræ sonitu aliquamdiu affectus, Barbitonsorem consuluit; Is magnam copiam olei communis iteratis vicibus auris meatui infudit; Hinc fluctuatio quædam & paulò

paulò pòst surditas suborta. Quæritur, an remedio morbus imputandus?

RESPONDEO:

Peccatum esse in eo, quod oleum, & quidem in tantâ copiâ auris meatui infudit Barbitonsor, cùm ne levissimum quidem Medicamentum, monente Celso auris ductui instillandum sit: Defluit enim facilè liquor ad membranam Tympani, & propter anfractuositatem ductus auditorii denuò effluere non potest. Tutius fuisset turundas ex carbaso vel gossypio formare, earundemque tantummodo apices Medicamento convenienti imbuere & auri indere.

Ita sentio
BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XLVII.

De Enemate Puerperæ injecto gravia symptomata.

Receptarius quidam, Puerperæ nobili quinto à partu die alvi obstructione laboranti tale Enema præscripsit:

Rec. Herb. malv. branc. Ursin.
Endiv. fragar. ana Mj.
Flor. Chamæmel. melilot.
sambuc. violar. ana Mß.
Rad. altheæ ℥ij. lil. alb. ℥j.
Ficuum no. xv. Passul. minor.
℥ij.
Sem. fænugr. lini. ana ℥j.
anis. carui, cumin.
aneth. fœnicul. ana ʒij.
Coq. in s. q. aq. simpl.
Colatur. Rec. ℔iß.
Cass. recent. extract.
℥iß.
Ol. Chamæmel. aneth. ana ℥ij.
M. F. Enema.

Injectum est simul & semel; paulò pòst puerpera de ventris inflatione, murmure & torminibus conquesta, in uteri strangulatum & syncopen incidit, cum Spiritus & vocis interceptione, sudoribus frigidis aliisque Symptomatibus, à quibus ægrè & postero demùm die, solutâ alvo, liberari potuit. Quæritur, an ab Enemate tàm gravia excitari potuerint symptomata?

RESPONDEO:

Clysterem sive Enema componi debere ex radicum & corticum uncia una vel duabus, ex foliorum manipulis tribus, quatuor vel quinque, ut docet *Sennert. lib. 5. Instit. part. 3. sect. 3. cap. 24.*

At Enema à Medicastro præscriptum continet radicum uncias tres, foliorum & florum manipulos septem, seminum uncias tres, drachmas duas.

Quantitas clysteris ad summum transcendere nō debet uncias quindecim; At clyster præscriptus continet uncias viginti tres cū dimidiâ, si libra

libra medicinalis sumitur, si civilis, uncias viginti novem cum dimidiâ.

Hinc patet, quàm enormiter circa quantitatem peccatum sit; Qvalitatem quod attinet, verè dici potest:

Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis.

Et quorsum illa dulcia, ficus, passulæ, cassia? quorsum Endivia, violæ, fragaria, & tot herbarum, florũ, radicum, & seminum inter se pugnantium varietas, nisi ut uterum commoveant, & humores agitent, ex quibus vapores attolluntur, qui cor & caput petunt, graviaq; symptomata excitant, id quod in hâc puerperâ à lochiis nondum perfectè purgatâ, & alioquin cacochymicâ, facilè fieri potuit, & factum esse ex iis, quæ supervenerunt, manifestè constat.

Ita censeo
BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM XLVIII.

De abortu ex terrore.

Fœmina quædam gravida iter faciens inopinato terrore perculsa fœtum abortu exclusit: Quærit Maritus, an abortus ex terrore fieri possit, & quo tempore fœtus in utero perficiatur & vitam accipiat?

RESPONDEO:

Causas abortus multas esse & varias, quas hic recensere nimis longũ foret. De terrore res expedita est, inprimis si inopinatus sit & vehemens; Eo namq; Spiritus valdè turbantur & agitantur, qvandoq; & calor suffocatur, unde non minùs ac alia animi pathemata ab *Hippocrate, Galeno, Celso, Mercato*, & aliis inter causas abortus refertur. Exempla passim obvia sunt; Refert Lalamantius Scholio IX. ad Hippocratem de hominis ætate: Mulierem quandam gravidam, probam alioqui & integræ pudicitiæ, solam domi ostiis apertis, ante focum in humili sellâ sedentem, ostio aversam attentiùs acum tractâsse; quo tempore supervenit tacitè ex familiaribus non nemo, qui sellam inopinatò mulieri per jocum subtraxit, quo factum, ut mulier sellâ avulsa in terram procideret, & subitaneo terrore perculsa abortu fœtum ejiceret. Plura collegit *Schenck. observat. medicinal. lib. 4. de gravidis, Observatione 130.*

Tempus verò, quò fœtus in utero perficitur, & vitam accipit, adeò exactè definiri non potest. *Hippocrates* quidem libro de naturâ pueri, fœmellæ conformationem diebus ad summum quadraginta duobus, masculi autem triginta fieri scribit. Verùm hoc de imperfectiore formatione accipiendum est, & de eâ solùm

ſolùm, quæ fit ex ſemine. Etenim ad trigeſimum usq; diem omnes partes ex puro & ſolo utriusq; parentis ſemine formantur, nullo adhuc affluente ſanguine & fœtu nondùm aliquo rubore ſuffuſo: Pòſt trigeſimum verò diem partes omnes ſangvine affluente nutriuntur, atqve increſcere incipiunt, & omnia exactiùs elaborantur, quod quidem in maſculis non ante tertium menſem, in fœmellis autem non ante quartũ accidit, ut ex variis abortuum inſpectionibus obſervavit *Platerus in quæſtionib. medic. Paradox.* & Endoxis quæſtione primâ & ſecundâ.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM. XLIX.

De Epilepſiâ in gravidâ.

HOneſtisſima quædam fœmina octavo geſtationis menſe ſub occaſum ſolis in Elepſiam incidit adeò gravem, ut convulſionibus ferè continuis concuſſa circa medium noctis è vitâ decederet: Quærit maritus, à quâ causâ morbus, quem nunquam anteà experta fuit, excitari potuerit?

RESPONDEO:

Veram & proximam Epilepſiæ cauſam adeò eſſe abſtruſam, ut nulli nec veterum, nec recentiorum in hunc usq; diem ſatis cognita videatur, unde magnus ille trium Imperatorum Romanorum Medicus *Crato ad Zvvingerum in Epiſtolis à Scholzio collectis Epiſtolâ 137.* jam olim ita ſcripſiſſe legitur: Utinam ante vitæ meæ exitum veram dignotionem hujus mali & verum remedium aliquis oſtenderet! Communis quidem eſt opinio, Epilepſiam ab humore vel vapore acri, mordaci & maligno, principium nervorum vellicante, conſtringente, & ad expulſionẽ irritante produci; verũ, ut rectè monet Sennertus, ſimplex illa acrimonia & malignitas ad generandã Epilepſiã non ſufficit; Dantur enim multi morbi, in quibus tales humores & inde exhalantes vapores ad caput aſcendunt, ut febres malignæ, lues Venerea, Venenatorum animalium morſus, quibus tamen & aliis pluribus Epilepſia non conjungitur, unde neceſſum eſt, ut alia aliqua qualitas & ſpecifica proprietas, membranis cerebri & nervoſo generi peculiari modò infeſta, ſubſit. Quæ autem illa ſpecifica ſit malignitas, explicare in hâc naturæ obſcuritatè imposſibile eſt, unde ad occultam & ſpecificam qvalitatem & proprietatem, neceſſarium illud humanæ ignorantiæ aſylum, confugiendum eſt.

Quæ

Qvæ cum ita se habeant, dicimus Epilepsiam, qvâ Fœmina illa octavo gestationis mense, periit, excitatam esse à vapore acri, maligno & peculiari qvadã vi & specificâ qvalitate cerebro & nervoso generi infesto, principium nervorum vellicante, cujus minera tempore gestationis in utero cumulata fuit: Cum enim ab effectu hoc toto vitæ decursu immunis fuerit, verisimile est tempore gestationis, sangvinem menstruum retentum in peculiarem corruptionem abiisse, cumulatis simul & retentis aliis pravis, qvibus ob cacochymiam scatebat, humoribus, qvi aliàs unà cum fluxu menstruo conclusi fuissent. Unde sangvinis illa & humorum vitiosorum colluvies in utero & vicinis partibus cumulata & detenta facilè corrumpi & malignitatem acqvirere potuit, & hæc mea, salvâ aliorum, est sententia.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM L.

De Fœminâ qvadam gravidâ post usum Clysteris subitò mortua, & de fœtus adhuc vivi inciso utero extractione.

Foemina qvædam nobilis partui vicina in lipothymias freqventes aliaqve symptomata incidit, adhibiti inter alia remedia & clysteres: Ægrâ paulò pòst exstinctâ, maritus missis ad me Medicorum præsentium literis, qværit an clysteres gravidis sine noxâ injici, & an fœtus, cujus motum obstetrix & adstantis fœminæ etiam qvinqve pòst matris mortem horis observaverant, inciso utero vivus extrahi & servari potuisset?

RESPONDEO:

Clysteres non unius, sed varii & diversimodi esse generis: Primò enim sunt evacuatorii, qvi vel flatus evacuant, & carminativi dicuntur; vel humores, & sunt vel lenientes, qvi debentùr humoribus existentibus in intestinis; vel acres & solventes, qvi conveniunt humoribus etiam extra intestina contentis:

Deinde sunt alteratorii, calefacientes scilicet & refrigerantes, ad qvos referri possunt etiam detergentes, exsiccantes, humectantes, sarcotici & agglutinantes.

Tertio sunt anodyni, & qvartò nutrientes.

Ex his omnibus nulli gravidis noxii sunt præter acres & solventes, qvatenus facultatem expultricem irritant, vel dolores aut alvi profluvia

via excitant, qvæ partim spiritus & humores agitando, partim alimentum fœtui subtrahendo, abortum pariunt.

Verùm cum Clysteres Nobilissimæ fœminæ à medicis præsentibus ordinati, emollientes tantùm fuerint & lenientes, minoriqve in qvantitate injecti, nullam exinde nec gravidæ nec fœtus noxam inferri potuisse censeo. Experientiâ namqve longâ & multiplici constat ejusmodi Clysteres gravidis salutares potiùs, qvàm noxios fuisse, id qvod & ipsa nunc μακαρίζης ante biennium, cum utero gerens convulsionibus epilepticis tentaretur, magno suo bono experta est.

An verò fœtus mortuâ matre inciso utero vivus extrahi & servari potuisset? altioris est indaginis: Sunt enim qvi infantim mortuâ matre in utero supervivere non posse statuunt, siqvidem vitâ & motu puerperæ cessante, cesset qvoqve infantis vita; sed falsa est hæc ratio: Habet enim infans suam animam, & si omnia corporis organa jam perfecta & absoluta habeat, etiam sine matris beneficio vivere potest, matre mortuâ eodem modo ut in lucem editus, sine matris adminiculo vivet. *Sennert. lib. 4. Med. pract. part. 2. sect. 6. cap. 8.*

Alii periculosissimam esse sectionem putant, & propterea omittendam: Verùm cum experientiâ constet & exemplis fœtus qvàm plurimos inciso utero feliciter extractos & servatos, non video cur omittenda? Rectè *Celsus*, satis tutum est remedium qvod unicum, & melius est anceps remedium qvàm nullum. Qvin & ipsa lex Regia vetat, mulierem qvæ prægnans mortua est humari, anteqvam fœtus ex utero incidatur; secus qvi fecerit spem animantis cum gravidâ peremisse videtur. Qvare in eâ sum sententiâ sectionem non fuisse omittendam præsertim cùm infans mortuâ matre, tam diu, qvinqve nimirum horis, supervixerit, ut ex motu & subsultatione observarunt adstantes fœminæ. Cur verò à præsentibus medicis prætermissa fuerit, me qvidē latet, puto tamen reclamantibus Parentibus, Amicis & adstantibus hoc factum fuisse: In his enim regionibus tales operationes tanqvam crudeles rarò vel nunqvam admittuntur, nec memini in totâ mea praxi, qvam qvadraginta plus annis exerceo, ullibi locorum Germaniæ hoc factum.

Enarratio morbi.

Generosa ac Nobilissima Uxor, Annum agens 22. partui vicina, corpore plethorica, longo itinere per-

peracto, salva ac incolumis cum Generoso ac Nobilissimo Viro Marito, ad Generosos ac Nobilissimos Parentes devenit, ibiqve per triduum nihil incommodi inde sentiit, sed optimè sese habuit. Qvarto die pòst mane è lecto surgens conqveritur de anxietate ac coangustatione qvadam levi circa præcordia, qvæ tamen paulò pòst subsecutis cruciationibus illam reliqverunt: Ego in consilium adhibitus, num tali mulieri gravidæ, si necessitas urgeat, tutò Clysteres adhiberi possint, persvasi; Si nimirum Clysteres Emollientes saltem ac lenientes, ac in minore qvantitate infundantur. Circa vesperam Syncope gravi uterinâ correpta fuit, cum anxietate & palpitatione cordis, respiratione magnâ ac sublimi: In qvo statu & Ego vocatus illam deprehendi cum phlogosi faciei, ob impeditam nimirum sangvinis circulationem, unde sangvis restagnans rubicundum inducit colorem, pulsuqve debili ac freqventi: Oculi erant clausi, nec aperiri poterant; Vox intercipiebatur, nec loqvi valebat: sed audiebat, qvæ circa se gerebantur, & eorum post paroxysmum mentionem faciebat. Qvare statim Clysterem emollientem ordinavi, qvi qvidem injectus nihil tamen effecit, medicamenta qvoqve matrem ac fœtum roborantia, simulqve morbo huic appropriata adhibui, attamen sine fructu, Symptomata enim adeò ingravescebant, ut pro mortuâ interdum haberetur, Facies pallore obducebatur, tristis erat aspectus, oculi clausi erant, nihil loqvi poterat, totum corpus frigidum reddebatur, pulsus vix sensilis erat, respiratio verò gravis, extendens ac sublimis, qvæ etiam ad finem vitæ ita permanebat. Hæc Symptomata licet adhibitis generosis medicamentis à summè Claro Viro D. Thimæo von Güldenklee, præscriptis aliqvantulum remittere viderentur, prorsus tamen ob magnam materiæ malignitatem ac venenositatem tolli non poterant, sed totâ nocte modò graviora, modo mitiora videbantur; Subseqvebatur vomitus enormis, ob qvem natura insigniter labefactata ac imbecillis reddebatur, materiaqve ex illâ nimiâ agitatione & commotione magis ad motum ferebatur, qvem autem maximè causabat freqvens exhibitio frigidæ cerevisiæ, qvæ tandem, summo mane vocatus, ne imposterum exhibeatur, prohibui, & sic vomitus ilicò sistebatur: Clyster etiam rursus injiciebatur, attamen absqve omni fructu; Natura enim jamjam à morbo victa erat, neqve ullis medicamentis violentiæ mor-

bi resisti poterat; Symptomata etiam de horâ in horam ita ingravescebant, ut tandem in somnum valdè gravem & non naturalem inciderit, & ex illo expergetacta superveniente sudore frigido ac syncoptico, motu sangvinis ac spiritus in corde impedito, suppressaqve respiratione desideratissima Ægra horâ qvartâ meridianâ animam placidè in Deum exspiraverit.

Fœtum qvod attinet, ille toto morbi tractu motum naturalem retinuit, & post mortem matris sese adhuc semel conmovit: Mulieres vero adstantes pro certo affirmabant, se motum fœtus in utero qvinqve horas post mortem matris adhuc perfectè observasse, qvi verò tandem etiam exstinctus est. Et certum est, fœtum per aliqvot horas supervivere posse in utero mortuâ matre; Cessante enim vitâ matris, non statim cessat vita infantis, nisi tandem denegato alimento suffocetur.

Causa autem morbi hujus subitanei ac lethalis nulla alia fuit, qvam copiosa materia corrupta ac maligna, ex sangvine corrupto circa uterum sub speciem vaporis maligni, vel per vias manifestas, viâ nimirum Circulationis per venas sangvinem ab utero partibusqve vicinis revehentes, vel per occultas, nempe per poros & meatus partium corporis insensibiles ad Cor præcipuè delata, ibiqve vi ac copiâ suâ malignitatis liberiorem motum sangvinis ac spiritûs subitò impediens ac figens, qvi dum non movetur, exstingvitur.

ADOLPH. FRIDERIGH HELINUS, Med.

Sverin. 10. Maji 1661.

Ejusdem morbi descriptio.

Generosa & Nobilissima Uxor cum Generoso & Nobilissimo Viro Marito ex Pomerania Siverinum ad Generosos & Nobilissimos Dn. Parentes proficiscuntur, & peracto itinere per triduum aut longius satis commodè habere videtur; Hinc sub vesperam præeunte aliqvo calore præternaturali repente incidit in dyspnæam, lipothymiam, deliqvium & cordis anxietatem; Qvæ Symptomata modò mitigari, modò accrescere totâ nocte videntur: Qvia alvus erat adstrictior, præsens Medicus præscribit Clysterem convenientem, qvi qvidem adhibitus, sed nihil vel parum egessit. Insuper statutum est hæc symptomata oriri à vaporibus ab Utero adscendentibus ex impuro sangvine à vasis uteri

uteri collecto, & jam malignam aliqvam dispositionem adepto. Et qvia Nobilissima Ægra erat gravida, & tempus gestationis uteri ad septimum mensem extendebatur, non qvævis remedia, qvæ uteri strangulationibus & doloribus medentur, internè data sunt, sed appropriata & contra malignitatem & venenositatē humoris pugnantia. At proh dolor morbi vehementia tam fuit pertinax, & hæc ipsa sympto mata de hora in horam ita invaluerunt, ut seqventi die post meridiē supervenientе sudore syncoptico, & spiritibus vitalibus in suo fonte corruptis & resolutis desideratissimam Ægram ex hac vita mortali eripuerit.

Hac ita evenisse testor

ANTONIUS HERZBERG, D. è Wismaria ad Nobilissimam Ægram in consilium evocatus.

RESPONSUM LI.

In suspicione fœtus occisi.

AUff deß am 21. Maji des itzt lauffenden 1654. Jahres an mich abgelassenes Befehl / habe ich Endes unterschriebener mich alsofort und noch selbigen Tages umb 2. Uhr nach Mittag in N. N. Wohn-Hauß verfüget / und in Gegenwart Herrn Petri Schweders Advocati Fisci, wie auch M. Edtmann Hellers / Feldscherers / und hiesiger Stadt geschwornen Hebammen / das Kind / welches bey N. N. im Bette todt gefunden / mit allem Fleiß besichtiget / und da wohl das Haupt / als der Leib und alle Gliedmassen überall unverletzet und unverrückt in ihrem rechten natürlichen Stande und Constitution befunden / ohn allein das circa pubem, ingvina & scrotum die Haut etwas röthlich / und auff den Armen hin und wieder etliche wenig blaue Flecken zu sehen gewesen / welche meines Erachtens à contrectatione fœtus in partu entstanden / Sintemahl sonsten am Haupt / Halß / Brust / Rippen und andern Oertern nichts eingedrücket / zerbrochen / verrücket / oder versehret gewesen: Habe demnach keine indicia occisi infantis spüren können / sondern bin der Meinung / dafern dieses Kind violentâ morte umbkommen / daß es anders nicht als suffocando geschehen / in dem es etwa compressione oris & narium interclusâ spiritûs via gesticket worden. Weil man aber dessen ex inspectione cadaveris keine Kennezeichen haben kan/

Digitized by Google

kan/muß solches aliâ viâ & modo exploriret werden/ Id qvod dexteritati Domini Judicis committitur. &c.

BALDASSAR TIMÆUS von Güldenklee.

RESPONSUM LII.

De Vulnere Thoracis.

AUff Verordnung eines E. E. Raths haben die Herren Gerichts-Voigte N. N. nebenst mir N. N. Secretario Judicii, und dem geschwornen Stadt Balbieren/ Jacob Schelen erstochenen Dinniens Neyresen/ in seinem Hause Gerichtlich auffgenommen/ und an demselben befunden eine tödtliche Wunde in der rechten Seiten zwischen der Brust und Rippen/ ohngefehr zween Rippen von der Dünnung/ und ist der Stich auffwarts nach dem Hertzen gegangen. Actum Colberg den 13. Septembr. zwischen 6. und 7. Uhr auff den Abend/ Anno 1660.

N. N.
Judicii Secretarius scripsit & subscripsit.

Wol-Edler/ Hochgeehrter Herr und günstiger guter Freund/ Als uns derselbe zu verstehen gegeben/ daß er für einiger Zeit zu Colberg mit einem Kauffmann Diennies Neyresen in Wortwechselung gerathen/ und gedachter Kauffmann endlich auff ihn loß gedrungen/ er aber zu seiner defension den Degen fürgehalten/ darein der Kauffmann gelauffen/ und etliche Stunden hernach darauff verstorben/ nach mehrem Inhalt seines Berichts/ und er dahero unser Bedencken begehret: Ob durch die dießfalls beschehene Besichtigung necessitas lethalitatis concludentis (wie die Worte lauten) bewiesen/ und dieses vulnus aus der Besichtigung necessariò pro lethali zu achten sey? So können wir nach genauer und gewissenhaffter Erwegung der Sache denselben in Antwort nicht verhalten/ daß ob zwar wol dieses vulnus simpliciter & absolutè lethale wol möchte gewesen seyn/ so ist doch aus dem der Frage beygefügten Bericht der Herren Besichtiger keine lethalitas zu schliessen/ in dem bey der Besichtigung gantz nicht legaliter noch gebührender massen verfahren/ der Cörper/ wie sichs gehöret/ nicht eröffnet/ viel weniger pars nobilis lethaliter vulnerata in Augenschein genommen/ noch mit denen nothwendigen Umbständen determiniret, sondern nur pur lautern Muth-

mas-

massen beygefüget worden/ deßwegen dann super lethalitate vulneris numehr zu judiciren dißfals allerdings bedencklich und ungewiß/ so wir denselben in Antwort hinterbringen wollen/und verbleiben demselben angenehme Dienste zu erweisen willig. Signatum Leipzig den 13. August. 1661.

(L.S.)

Decanus, Senior und andere Professores der Medicinischen Facultät daselbst.

RESPONSUM LIII.

De eodem vulnere.

WAs derselbe abgewichenen 17. Septembr. aus Colberg an uns Schrifftlich gelangen lassen / ist zwar allererst den 8. Decembr. doch gar recht eingehändiget worden. Vernehmen mit hertzlichem Mitleiden / was massen der Herr durch einen unverhofften Unfall zu grossem Unglück kommen / in dem er nach vorhergehender Wortwechselung mit einem Bürger des Orts Diennies Neyresen an einander gerathen / darüber jener verwundet/ und kurtz darauff todes verblichen. Wann dann der Herr zu seiner Belehrung und gründlichem Unterrichte gerne wolte informiret seyn/ ob vermöge der geschehenen Obduction und Gerichtlichen Besichtigung des Cörpers simpliciter & absolutè könte geschlossen werden/daß solche Wunde tödtlich gewesen?

Als haben wir seinem freundlichen Ersuchen Gnüge zu thun / solche Frage den sämbtlichen membris Facultatis Medicæ bester massen mit beygefügten Beylagen A. und B. vorgetragen / welche auch nach reiffer und gewissenhaffter Untersuchung einhellig geschlossen/ daß aus verzeichneter Besichtigung sub lit. A. keines weges könne geschlossen und behauptet werden/daß dieses vulnus necessariò & simpliciter lethale gewesen / alldieweil/ wie gar recht Facultas Medica Lipsiensis auch erwehnet / der Cörper nicht gebührender massen eröffnet/ der ductus & transitus vulneris gar nicht untersuchet und erforschet/ viel weniger einiges vornehmes Geweyde (deren Wundē doch zuförderst tödtlich) so verletzet möchte seyn / nahmkündig gemacht wird. Und ob zwar der plötzliche Todesfall nicht eine geringe suspicionem in contrarium machet/so kan doch unfehlbar und gründlich aus übersendeter Gerichtlichen Obduction, welche in blossen muthmassen bestehet/

Digitized by Google

het / gantz und gar nicht geschlossen werden/ daß solche Wunde schlechter dinges tödtlich gewesen. Welches dem Herrn zu Beantwortung und gründlich[illegible] Nachricht freundlichst haben hinterbringen wollen. Empfehlen denselben im übrigen Gottes gnädiger Obhut / mit Entbietung unserer fernern bereitwilligen Dienstfertigkeiten. Gegeben Königsberg den 13. Decembr. Anno 1661.

(L.S.)

Decanus, Senior und sämptliche Professores der Medicinischen Facultät daselbst.

RESPONSUM LIV.

De similitudine natorum ad Parentes.

FOemina qvædam edidit partum Marito suo planè dissimilem, juveni verò cuidam, cum qvo familiariter conversabatur per omnia similem, qværitur an propterea adulterii sit arguenda?

RESPONDEO:

Caussæ similitudinis & dissimilitudinis natorum ad Parentes variæ & multum inter se dissidentes cùm à Philosophis, tùm Medicis recensentur. Hippocrates in libro de genitura text. 8. causam similitudinis & dissimilitudinis in multitudinem seu copiam, & in paucitatem ac inopiam utriusqve Parentis genituræ, refert, ita ut si viri semen sit semine mulieris uberius, Natus Patri assimiletur, & è contra si exuberet genitura mulieris fœtus etiam ipsi similis nascatur. Elegantissime in hunc sensum *Lucretius lib. 4. de rerum naturâ:*

Et commiscendo cum semen forte virile
Fœmina commulxit subita vi, corripuitqve
Tum similes matrum materno semine fiunt.
Et Patribus patrio, sed qvos utriusqve figura
Esse vides juxtim miscentes volta parentûm
Corpore de patrio & materno sangvine crescunt
Semina cum Veneris stimulis excita per artus
Obvia conflixit conspirans mutuus ardor.
Et neqve utrum superavit eorum, nec superatum est.

Gale-

Galenus lib. 2. de semine cap. 8. ejusdem ferè est sententiæ, partum scilicet ei similem reddi, cujus vis formatrix in semine prævaluerit: Verùm ex hoc argumento causa reddi non potest cur aliqvando nec Patri, nec Matri, sed majoribus suis similes evadant nati, nec cur interdum, nec parentibus nec Majoribus similes nascantur, sed alienis & exteris, id qvod in qvæstione proposita indagandum.

Aristoteles effigiei causam ad solum seminis motum & vim formatricem refert: Plures enim statuit in semine motus, alios actu, alios potentiâ; Illos dicit esse vel universales, qvi scilicet animal aut hominem generant, aut particulares, qvi & mores & tales, id est, tali formâ, magnitudine membrorum, lineaturâ, & habitu generant: Motus qvi potentiâ insunt ex Avis, Abavis & matre prodire statuit: Si horum motuum qvispiam, ille scilicet qvi proximus est & particularis, intercipiatur, fit transitus in proximum motum; Hic si deficiat, fiet transitus in contrarium, tandemqve in universalem, ita ut homo generetur, parentibus neutiqvam similis.

Galenus lib. 2. de semine, tam varios seminis motus non agnoscit, sed similitudinis causam refert ad seminis temperiem, variamqve permixtionem, nec non ad robur formatricis facultatis.

Erastus effigiei & similitudinis individualis unicam agnoscit causam, vim scilicet formatricem.

Astrologi similitudinis causam ad astra referunt; Qvoties Sol in centro horoscopi fuerit in geniturâ diurnâ, Patribus filios similes gigni putant: Filius autem matribus similes dicunt, cum Luna in genitura nocturna, aut Venus in diurna cum centro Horoscopi fuerit.

Qvintilianus, Plutarchus, Augustinus, Hieronymus Conciliator. Fernelius aliiqve viri doctissimi causam dissimilitudinis natorum ad Parentes adscribunt vehementi ac variæ imaginationi inter concipiendum, vel in toto formationis tempore, qvæ dominatur formatrici naturali seminis, imperatqve ei eo modo, qvo inferiores potentiæ parent superioribus, & sic imprimitur potius idolum seu effigies imagine vehementer comprehensa, qvam paternum idolum in semine adservatum. Et hæc omnium communissima est opinio, cui etiam

Q con-

consentire videtur *Aristot. Problem. sect. 10. probl. 12. Plin. natural. histor. lib. 7. cap. 1. Avicen. 21. 3. tract. 1. cap. 2. Fernel. Physiolog. lib. 7. cap. 12. Andreas Laurent. de formatione fœtus lib. VIII. quæst. XXI. Codronchus in methodo testificand. cap. 17. & alii* qvam plurimi.

Nos communissimam hanc & tot doctissimorum virorum sententiam secuti, pronunciamus Fœminam illam qvæ non marito sed familiari similem edidit prolem, adulterii ex hoc qvidem capite argui non posse, cum similitudo individualis non semper & simpliciter ex semine, sed qvandoq; ex imaginatione forti mulieris, non tantû tempore coitionis, sed etiam ex freqventi ac iterata & qvotidiana imaginum sibi ob oculos obversantium contemplatione effigiem imagini similem natis imprimat, id qvod manifestum est in posthumis, qvi plærumqve Patribus magis sunt similes, qvam reliqvi liberi, non alia de causâ, qvam qvod iterata ac freqventata Viduæ matris imaginatio in demortui conjugis contemplatione plurimum ac enixè fixatur ac hæret.

Est enim, ut allegato loco habet Codronchius, imaginatio tantæ efficaciæ, ut ad speciem imaginatam mutetur spiritus corporeus, qvi ad uterum fœminæ proveniens, fit veluti facultatis formatricis fundamentum & subjectum, qvi postmodum juxta imaginem imaginativæ impressam, fœtum efformat eò qvod sit majoris efficaciæ, qvam spiritus genitivus, qvi in semine paterno præfuerat. Movent enim potentiæ superiores infimas, & aliqvando earum actus potentius perficiunt, qvam ipsimet naturales, ut est videre in irâ, timore, tristitiâ; aliisqve animi passionibus, qvæ efficacius universum corpus turbare solent, & humores undiqve movere, qvàm ipsæ naturales, ex qvo constat spiritum illum ab imaginativa potentia prædicto modo motum efficacius suas exercere vires & formatricis effigiem delineare, qvàm ipsa formativa, qvæ ex parentis membrorum conditione prodierat, & in semine præfuerat.

Sunt qvidem nonnulli, qvi hæc, qvæ de imaginatione dicuntur, ratiunculis qvibusdam impugnant, sed his reclamat experientia, & qvid dicent de muliere alba, qvæ fixis oculis Æthiopis imaginem conspiciendo, prolem

prolem nigram genuit? Qvid de illâ qvæ puellam peperit omninò hirſutam, qvia imago S. Joannis cilicio induti in conceptu ei obverſabatur? qvid de ovibus, qvibus Jacob, ut gregem ſuum augeret, virgas amygdalinas variis coloribus inciſas apud canales diſpoſuit, ad qvos ubi bibendi cauſa oves appellebant, coëuntes, illas conſpicerent, & fœtus variorum colorum conciperent? Novi ipſe Fœminam honeſtam, qvæ utero gerens de induſtriâ, Fratrem qvem habebat, elegantis formæ ſæpiùs & intentis oculis contemplabatur, non aliâ de causâ, pro ut ipſa fatebatur, qvàm ut ſimilem ederet, id qvod & factum eſt.

Hinc etiam Juriſconſulti ſimilitudinem externam per ſe filiationem neutiqvam probare ſtatuunt, de internâ verò, qvæ ſcribit *Zacbias*, etſi non videantur eſſe de nihilo, difficultatis tamen plena ſunt, nec cognoſci ſatis poſſunt, niſi adultâ jam prole. Et mores qvidem qvod attinet immutari facilè poteſt, naturalis propenſio ex conſvetudine & inſtitutione à puero; ſic & morbi, etſi plærumqve unà cum ſemine in natos propagentur, Epileptici qve Epilepticos, calculoſi, calculoſos, Podagrici podagricos, phtiſici, phtiſicos &c. generent, tamen & hoc qvandoqve fallit, qvandoq; in provectiore demum ætate ſe exſerit, ubi fruſtrà & nimis ſerò de filiatione diſceptatur.

Multum qvidem ſimilitudinem urgere & non levem præſumtionem filiationis facere ex Gratiano ſcribit *Zacbius*, qvando in hæc verba erumpit: Ac profectò apud me nunqvàm benè audiret mulier illa, qvæ alteri ſimilem præſertim familiari alicui ac domeſtico vel ſuſpecto Viro filium generaret: ſed ignoſcendum eſt homini Italo, qvi adeò ſunt ſuſpicaces, ut nec adſpici uxores ab alio patiantur, unde domi plerumqve parietibus incluſas, vel in publicum prodeuntes velo tectas curioſè cuſtodiunt, optimum eſt ut proles

Sit ſuo ſimilis Patri
Manlio, & facilè inſciis
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Qvanqvam & hoc interdum fallat dum cum alio concumbens mulier metuit, ne maritus vel ſuperveniat, vel factum poſteà reſciſcat & vindicet, unde ob oculos

 qvaſi

Digitized by Google

qvasi ipsi versatur Zelotypus; Immò qvædam adulteræ de industriâ effigiem mariti in perpetuo conspectu habent, eandemqve fortiter sibi imaginantur, ut marito similem edant partum: adeò dubia sunt à similitudine qvæ petuntur argumenta, ut exinde nec certa filiationis indicia haberi, nec mulier violatæ fidei Conjugalis argui possit. Et hæc mea de similitudine noturam ad Parentes est sententia.

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM LV.

De Cucurbitulis in dolore dentium.

MEdicus qvidam musteus Foeminæ Nobili plethoricæ dentium dolore laboranti cucurbitulam magnam cum scarificationibus iteratis & profundis, revulsionis gratia, ut ipse ajebat, cervici apponi jussit, qvo facto dolor valdè exasperatus est, subseqvente paulò post faucium tumore, ut suffocationis periculum iminere videretur: Qværitur an cucurbitulæ occasionem malo dederint?

RESPONDEO.

Revulsionem non debere fieri ad proxima, cum periculum immineat, ne à toto pleno eâ irritatione ad partem afflictam & vicinas major affluxus concitetur, sed potius ad eas partes, qvæ magnam & notatu dignam à loco affecto distantiam habent, & à membro laborante remotæ sunt, qvod cum non observatum sit, verisimile est, à cucurbitulis sangvinem & humores à capite & vicinis partibus ad dentes & fauces attractos, dolorem exasperasse, fauciumqve tumorem excitasse: *Galenus* qvidem in capitis gravitate & dolore cucurbitulam derivationis gratiâ occipitio admovit, sed toto prius evacuato; Undè rectè monet *Julius Cæsar Claudinus lib. 2. de ingressu ad infirmos, cap. 4.* Cucurbitulas loco affecto vel vicino nunqvam esse admovendas, nisi toto prius evacuato: secus enim possunt trahere materiam ad locum affectum, malumqve fovere & augere; imò inductâ agitatione sangvinis non tantum ad locum affectum, sed etiam ad locum respirationis præcipitare eum; & suffocationem inferre. Et ipse *Galenus 10. method. medend.* cap. ultimo docet; Cucurbitulas

patti

parti affectæ vel vicinæ applicari non debere, nisi nulla fluxione amplius infestante vel plenitudine præsente.

Nam si statim in principio cucurbitulæ loco affecto vel parti propinqvæ applicentur, major ad partem affectam affluxus concitatur, malumqve augetur. Periculosum præterea est cervici tanqvam parti nervosæ cucurbitulas scarificatas applicare, cum plærumqve tremores excitent sæpè etiam convulsiones. Cautiùs itaqve agendum, nec malum malo exasperandum erat. Ita sentio

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM LVI.

De Itinere longinqvo Viro cuidam literato hyemante cœlo suscipiendo.

Aus NN. Schreiben habe ich ersehen/ daß NN. wegen erheblichen Ursachen nach B. gebracht werden: Er aber wegen seiner Leibes Schwachheit bey diesem bösen Wetter zu reisen sich entschuldiget / dannenhero zu wissen begehret wird / wie es umb dessen constitution beschaffen / und ob er ohne Gefahr seiner Gesundheit die Reise fortsetzen könne oder nicht?

Als habe ich mich deßfalls aufs fleissigste erkundiget und befunden / daß NN. mit einem schweren Catarrho, welchen er neulicher Zeit auff der Reise nach Dantzig / von damahliger grimmiger Kälte contrahiret, behafftet ist / welcher Catarrhus denn mehrentheils auff die Lufftröhre und Brust gefallen / und einen schweren starcken Husten causiret / Dannenhero zu besorgen / wann er bey dieser annoch anhaltender hefftigen Kälte reisen solte / es leichtlich ad phthisin, wozu er ohne daß disponiret, ausschlagen möchte. Frigus enim intensum, pulmonibus infensissimum est, & inter causas phthisis numeratur, qvatenus vasa pulmonis densando & angustiora reddendo ea ad rupturam aptiora efficit, aut tussim vehementem, qvâ vasa pulmonis rumpuntur, excitat. Welches auff Begehren zur Nachricht ertheilen wollen

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

Digitized by Google

doch den Gifft nicht wegnehmen: Bald im Anfang kan man gar gelinde Sachen brauchen / als weichende Clystir, oder laxirende Rosinen / cassiam, tamarinden und dergleichen. Nach dem dritten Tage soll man mit allen purgantibus stille halten / biß aller Gifft gezwungen sey / und die Kranckheit abnehme.

Malè itaqve & temerario qvodam ausu in febre tam acutâ & malignâ exhibitum est medicamentum adeò validum, acre & calidum, qvalis est Gialappa, & qvidem in morbi augmento, qvo nihil movendum esse monet *Hippocrates Aphorism. 24. sect. 1.* si enim ut idem *Hippocrates aphor. 51. sect. 2.* docet, in qvovis morbo simul & semel multum evacuare periculosum est, certè in his febribus periculosissimum: Tutius itaqve & melius fuisset à purgatione tam forti & intempestivâ abstinere, & Clysmatibus solummodò & lenientibus agere, qvam ægrum unà cum morbo è medio tollere. Ita sentio

BALDASSAR TIMÆUS
von Güldenklee.

RESPONSUM LVIII.

De Venæsectione in gravida partui vicinissimâ, pleuritide affectâ.

Mulier qvædam prægnans qvatuordecim circiter, ut computaverat, ante partum diebus, pleuritide affecta de punctionibus lateris dextri acutissimis & calore totius anxiè qverebatur. Adstantes Amici venæsectionem urgent, qværitur an admittenda?

RESPONDEO.

Venam prægnanti, si febre acutâ laboret, & necessitas urgeat, viresqve permittant sine periculo aperiri posse omnes fermè Medici, præter Hippocratem, qvi tamen de nimis largâ tantum sangvinis missione, intelligendum est, statuunt, modò hæ conditiones observentur:

1. Ut sangvinis missio sit parcior, qvæ nec magnam in corpore perturbationem efficiat, nec spiritus dissipet, nec foetui alimentum subtrahat.

2. Ut talis vena secetur, qvæ uterum non facilè afficiat, scilicet non in pede, non basilica, sed potius humeraria vel mediana.

3. Ut

3. Ut antè & post Venæsectionem fœtum roborantia umbilico applicentur.

Verùm an ultimo mense & instante jam partu tutò secari possit vena, anceps videtur & dubium: Etenim cum postremis mensibus copiosiore alimento indigeat fœtus, metuendum est ne subtracto alimento enecetur & abortus fiat: Unde & ipse *Hippocrates 5. Aphor. 50.* ubi venæsectionem in gravidis metu abortus prohibet, expresse addit; eoq; magis si fœtus sit grandior; Hæc cum mecum altius perpenderem incertus animi, qvid in morbo præcipiti & periculoso faciendum? tandem non tantum adstantibus mulierculis, sed & ipsâ ægrâ venæsectionem vehementer urgente, exemplo Petri *Salii* Diversi, qvi ultimo mense, & instanti partus tempore feliciter venam aperuit, jeci aleam & sectâ medainâ sangvinem ad uncias circiter sex detraxi, & sic optatò successu & matrem & fœtum à præsentissimo vitæ periculo, DEi gratiâ liberavi.



BAL-

BALDASSARIS TIMÆI von GULDENKLEE
CONSILIUM DIÆTETICON,

PARS PRIMA.

De iis, quæ in genere circa diætam consideranda.

AD conservationem vitæ humanæ bonæq; valetudinis necessariæ sunt res sex non naturales dietæ: Aër ambiens, cibus ac potus, somnus & vigiliæ, motus & quies, animi affectus & retentio utilium inutiliumq; excretio.

CAPUT PRIMUM.
DE AERE.

AËr ad vitæ conservationem adeò est necessarius, ut usu ejus ne momento quidem temporis carere liceat, quoniam eo cor subinde refocillari, deficiente autem suffocari oportet.

Optimus & saluberrimus est aër caliditatis, frigiditatis, humiditatis & siccitatis temperatæ, serenus & ab omni liber inquinamento.

Talis verò cum non semper nec ubiq; sit aër, sed ratione anni temporum & tempestatum ventis, nebulis, pluviis, æstu, frigore, putridis exhalationibus & similibus ferè mutetur, imò sæpe corrumpatur, noxam ejus corrigi & emendari convenit.

Caliditas & siccitas aëris corrigitur aspersa pavimentis aqua frigida pauco vini aceto diluta, floribus violarum purpurearum, rosarum, nymphææ, foliis vitis, cucurbitæ, salicis & similibus refrigerantibus & humectantibus dispersis, vel odoratis pyris, malis, cydoniis, citriis, aurantiis, granatis, melonibus in conclavi repositis.

Non multi etiam uno eodemq; loco simul degant homines, cum constet non parùm ab iis incalescere aërem.

Fenestræ meridiem spectantes

claudendæ, aquilonem autem aperiendæ, aut si licet, habitandum conclave septentrioni oppositum & marmore aut Gothico Lapide stratum, unde non levis dimanat frigiditas. Cryptæ quidem & ipsæ gelidæ sunt, sed propter exhalationum retentionem incommodæ.

Vidi Venetiis apud Excellentissimum Sanctorium singulare organon, cujus ministerio aërem conclavis solibus æstivis bruma efficiebat frigidiorem; & duo alia, quibus aëris constitutionem accuratissimè dignoscebat.

Frigida & humida aëris intemperies igne camini aut fornacis rectissimè alteratur, quorum ille salubrior etsi minùs & inæqualiter calefaciat.

Præstant autem ligna bituminosis illis cespitibus querna, fagina, juniperina, betulæ, pini, fraxini magis, quàm alni, ulmi, populi, salicis &c.

Prosunt & suffumigia ex caryophyllis, cinamomo, thure, myrrha, nuce moschata, baccis juniperi, agallocho ligno rhodio, laudano, styrace, succino &c. Addito ambræ momento, quamvis aqua rosarum & lavendulæ optima mixtæ lapidiq; vel vitro ignito affusæ multò jucundiorem spirent odorem. Præ cæteris autem emendationi aëris & robori capitis ac cordis conferunt & accommodatissimi sunt pastilli subscripti, pretiosi quidem unde & Regii dicti, at fragrantia sua omnium suavissimi

℞. Gran. benzoi
Styrac. calamit. ana ℥ij.
Ambr. grifeæ.
Moschi Alexandr.
Zibeth. Oriental. ana ℈ij.
Ol. rosar. ex flor. ʒß.
Cinamom. ℈i.
Caryophyllor.
Citri ana ℈ß.
Balsami Indici q. s. pro incorporatione.
F. massa, ex qua formentur pastilli vel magdaleones.

Propè aquas & paludosa, uliginosa ac depressa loca & valles qui habitant lucidos foveant camini ignes atq; interdum modicè ac temperanter utantur tabacco.

Cùm in magnis urbibus, ubi populi major est confluxus ex multis & variis sordibus atq; inquinamentis vere præsertim & autumno aër putredinem & fætorem ferè concipiat, benè sibi consulunt dictis temporibus libero puroq; aëre & aliis amænitatibus ruris fruentes, quæ mutatio motu corporis animiq; recreatione relictis in urbico carcere curis sanitati hominis non parùm conducit; unde de seipso scribit Ausonius:

Me

Me quoties mutare locum faſtidia
cogunt,
Tranſeo & alternis rure vel urbe fruor.

Correctionem putridi, corrupti & venenati aëris tradit inſuper tractatus meus Germanicus de peſte Anno 1630. Dantiſci, poſtmodum autem juſſu ſereniſſimi Electoris Brandenburgici Domini mei Clementiſſimi Anno 1658. Sedini typis exſcriptus.

CAPUT SECUNDUM.
De Cibo & Potu.

QUandoquidem calor nativus non tantùm in homine, ſed omnibus animantibus nunquam otioſus ſubſtantiæ corporis ſemper aliquid depaſcit & conſumit, naſcentem hinc defectum reſtaurari oportet; Quare ſapientiſſimus rerum Conditor & Conſervator huic fini deſtinavit cibum ac potum, ut, quod ſolidioris deceſſit ſubſtantiæ, cibo potu verò humiditas abſumpta reſtituatur.

In uſu autem horum quia multi gravesq; committuntur errores & exceſſus, ut mirum non ſit homines tot morbis fieri obnoxios & ante diem mori plurimos; Moderatione certâ & ordine opus eſt monitaq; ſequentia cautè obſervanda:

1. Ne cibi potusvè nimia ingeratur copia, cum calor nativus exindè debilitetur, coctio ventriculi impediatur, cruditates cumulentur multiq; & varii morbi inde reſultent. Præſtat ergò parciùs viſitare quàm ſeſe invitare lautiùs, levemq; à menſâ famem referre, quàm repleto corpore decedere.

2. Ne eadem menſa varii & qualitatibus contrariis præditi aſſumantur cibi, quòd alter alterius coctionem impediat, unde corruptio & putredo febrium aliorumq; morborum cauſæ proveniunt. Varietas namq; ciborum mater morborum.

3. De inconcoctis cibis prioribus novi ingerantur. Abſolvitur autem coctio in homine ſano ferè ſex vel ſeptem, aliquando octo vel novem horarum ſpacio, prout facilis vel difficilis coctu cibus fuerit.

4. Conveniens edendi ac bibendi ſervandus ordo cibiq; coctu faciles, ut juſcula & elixa prius, difficiles autem coctu poſterius aſſumendi.

5. Tempore inter prandium & cœnam intercedente, inprimis autem noctu à potu abſtinendum, ſiquidem eo coctio turbatur, ventriculus labefactatur, & multi vitioſi humores cumulantur.

6. Cibis utendum boni ſucci, multi ac probi alimẽti coctuq; facilib9.

Pernoſcendæ ergò qualitates, utilitas & noxa ciborum omnium: Id verò omne deſcribere cum longum foret, de alimentis nobis uſitatioribus hîc tantùm agemus.

I.

De cibis, quos fruges terræ ſuppeditant.

HIc primò frumenta occurrunt, ex quibus baſis omnium ciborum panis conficitur, triticū, ſiligo & hordeum. Etſi enim ex aliis etiam quandoque fiat panis, raró idtamen & ſolùm in ſumma annonæ caritate contingit nec bonitate conferendus venit cum eo qui ex tritico, ſiligine, hordeo paratur, quamvis hi quoq; bonitate non parùm inter ſe differant.

Triticeus panis bonum multumq; alimentum præbet, facilis eſt coctionis, ac licet viſciditatem quandam habeat, præparatione ea tamen ac coctione ferè omnis adimitur.

Siligineus coctu paulò difficilior eſt triticeo, ſed & ipſe bonum ac multum alimentum ſuppeditat.

Hordeaceus frigidæ naturæ triticeo ac ſiligineo minùs nutrit, difficilioris eſt coctionis flatusq; generat.

Farina panis materia pura ſit, non tame omni careat furfure. Etſi enim ſine hoc ſi ſit, multò nitidiorem, candidiorem & copioſioris nutrimenti panem præſtet, melius tamen eſt, furfurum nonnihil relinqui, utpote qui ſingulari abſtergendi vi prædici ventriculum & inteſtina ab adhærente viſciditatis glutine emundant.

Multum verò etiam in præparatione panis ſitum eſt, ſcilicet ut probè fermentetur, ſale condiatur & percoquatur.

Fermentationem panis triticei piſtores vulgò fæcibus cereviſiæ perficiunt, ſed præſtat fermentum ex modico farinæ triticeæ aceto vini ſubactæ.

Quantum verò fermenti modius farinæ requirat, accuratè ſcribi non poteſt, cum aliud alio acrius etiam tempeſtatis calidæ vel frigidæ ratione maſſam magis minùsve fermentet. Communiter modio farinæ fermenti libram tribuunt.

Aqua, quâ farina ſubigitur, non ſit calida nec frigida nimis, ſed medio modo ſe habeat; Hiberno tamen tempore calidior convenit.

Salis quoq; juſta admiſcenda quantitas, ad modium videlicet unum pugillus unus.

Ignis prætera ratio habenda, qui vehementior panem adurit intusq; nondum coctо cruſtam inducit nigram; debilior crudum, gravem & concoctu difficilem relinquit. Calore autem moderato nec citò, nec diu

diu nimis coctus optimus est, præsertim si non sit vetus aut durior. Panis triū quatuor ve dierū optim9.

Bis quoq; solet coqui panis biscoctus inde dictus& nauticus,quòd nautis familiaris ejus est usus.Firmū is præstat alimentum, at coctu difficilior valentem vult ventriculum sanguineq; gignit gravem &adustū.

Ex tritico & hordeo pilâ etiam conficitur ptisana facilis coctionis boniq; nutrimēti.Triticea complexioni frigidæ,hordeacea calidæ cōducit.Frumētis accensentur Oryza, Panicum, milium,avenā,fabæ,pisa, ciceres, & lentes.

Oryza calida & sicca probè nutrit in lacte cocta aut jure carnis bubulæ vel caponis perfusa. Nocet obstructioni alvi & colicis doloribus obnoxiis.

Panicum & milium frigida & sicca sunt, parùm alunt flatusq; pariunt & obstructiones ventris, illud inprimis, quod tam validè obstruit, ut diarrhææ,dysenteriæ&Hypercatharsi sistendæ non rarò sufficiat.

Avena equis & anseribus, quàm homini convenientior ptisanam tamen præbet obsonium & jusculam non ingratum. Calida est,gignit flatus ventremq; obstruit.

Fabæ frigidæ sunt & siccæ, difficilis coctionis, inflant ventrem parumq; nutrimenti præbent. Nocent alvi obstructionibus, colicisq; & capitis doloribus, vertigini, difficultati respirandi & insomniis gravibus obnoxiis.

Pisorum eadem ferè est, quæ fabarum natura, nisi quòd paulò melius alimentum suppeditant & minùs flatulenta sunt, si probè coquātur & pipere condiantur. Juscula pisorum pisis ipsis præstant, iis maximè, qui temperamento sunt calido; nocent nervis.

Ciceres medicamēti potius,quàm edulii gen9 urinam cient, calculum frangunt, menses movent, lienē, epar,pect9 & pulmones mundificant & quodāmodo alvum movent, jus maximè cicerū. Per se gravant stomachum & pauci sunt nutrimenti.

Lentes difficilis sūt coctionis, sanguinem generant pravū ac melancholicum,caput replent vaporibus, nocēt oculis,urinā&mensesretinēt, præstat tamē jus eorū ipsis lentibus.

Frugibus annumerantur fungi, boleti & alia terræ tubera, frigida omnia & humida, sanguinem præbent aquosum, melancholicum ac pravum ac si copiosiùs comedantur, apoplexiam, paralysin, spirandi difficultatem, podagram aliosq; morbos inducunt. Nonnullis venenum inest,quare magna adhibenda est cautio. Præferuntur quidem tubera fungis,sed his quoq; probè coctis,conditis ac parcè assumptis vini boni haustus superbibendus est.

II.
De Oleribus aliisq; hortorum fructibus.

OLerum omnium in Pomerania nostra communissimum & divitum æquè ac pauperum mensis frequentissimum cibum præbet brassica viridis, lardi aut pernæ frusto, botulis & apexabonibus appositis. Sunt, qui saluberrimam & multarum ægritudinum medicinam esse eaq; instructis non opus esse medico prædicant, quàm rectè, exindè patet, quòd noxa omni non caret, sed sanguinem crassum, fæculentum ac melancholicum gignit, flatus parit, caput vaporibus replet, vertiginem & oculorum caliginem, anhelitus fætorem aliaq; incommoda inducit; ac licet noxam pinguedo addita corrigere videatur, ipsa tamen per se nocet, anserina maximè & porcina, quæ communiter adhibetur.

Brassica capitata adhuc nocentior parum alimenti præbet, sanguinem generat pravum ac melancholicum, difficulter coquitur iisq; tantùm convenit, qui valenti gaudent stomacho & multo exercentur labore.

Blitum quoq; exigui usûs est, alvum quidem solvit obstructam, ventriculum verò labefactat multosq; aquosos & frigidos humores generat.

Brassica crispa seu Sabellica & cauliflora reliquis meritò præferuntur.

Spinachium quoq; gratum & salubre præstat edulium butyro & passulis apparatum; confert pulmonibus, pectus expedit, epar & lienem æstuantem refrigerat, ventrē emollit, paucum quidem sed innoxium præbens alimentum.

Olusculum fœminis convenientissimum paratur ex arthemisia rubra, quæ calefacit & purgat uterum pituitosis & frigidis humoribus oppletum, menses retentos ciet, secundinas fœtumq; mortuum propellit, pulmones, renes ac vesicam mundat, saporisq; est gratissimi, si verno tempore tenella foliola butyro ritè apparentur: Adulta enim durescunt & gratiam amittunt.

Betæ plerumq; brassicæ viridi admiscentur saporis cōciliandi melioris gratia, epatis & lienis obstructiones reserant, nocent autem stomacho.

Radix betæ rubræ condita aceto, armoracia & semine carui embammatis vicem in mensis subit assaturis apposita appetitum aciditate suâ excitans renesq; purgat. Difficilius autem coquitur alvumq; obstruit.

Asparagi temperatè calidi & humidi

midi alimentum ſanguinemq; probum generant, obſtructionem epatis, lienis venarumq; meſaraicarum aperiunt, purgant pectus, ventrem emolliunt, urinas cient, renum & veſicæ arenas expellunt, appetitum excitant. Nimius verò eorum eſus nauſeam parit, ventriculum lædit bilemq; adauget. Apparantur aſparagi pauco aceto, ſale & pipere vel jure carnis bubulæ, gallive pingui; Coctionem longiorem non ferunt, utpote qua amareſcunt & viſciditatem contrahunt.

Lupulus quidem vulgò coquendæ cereviſiæ deſtinatur; Turiones autem ejus ſeu prima germina verno tempore parantur, ut aſparagi, cum aceto, oleo ac pipere, prius parum cocti gratumq; præſtant ſaporem, mundant ſanguinem, deobſtruunt epar ac lienem, ventrem laxant additisq; primis ſambuci germinibus purgant blandè & ſufficienter.

Cavendus tamen nimius eorum uſus, qui diarrhæam periculoſam inducit, qualem obſervavi in conjuge prima, viri cujusdam Chiliarchæ, quæ à liberiore eſu turionum lupuli & gemmarum ſambuci intra diem noctemque plus centies exſurgens tandem ſincerum emiſit ſanguinem iterum atque iterum animi deliquium paſſa, ſed adhibitis idoneis medicamentis, DEi gratiæ, bonæ valetudini iterum reſtituta.

Cichorii fere radices tantùm in uſum veniunt. Parum in aqua coctæ effusâ eâ aceto vini, oleo & ſale parantur. Epar calidum moderatè refrigerant ejusq; & lienis obſtructiones aperiunt. Saccharo conditæ virtutis in amaritudine cōſiſtentis nonnihil amittunt.

Endivia grata præbet acetaria, Epar refrigerat, obſtructiones reſerat, ſanguinem mundat, Urinas ciet appetitum excitat. Frigidum autem ventriculum habentibus, paralyticis & artuum tremori obnoxiis, nocet.

Acetoſæ arvenſi præfertur in hortis ſata nihil rubens, ſed tota viridis. Refrigerat, aperit, incidit, bili & ardentibus febribus reſiſtit, ſitim ſedat, catarrhos ſiſtit, renum arenulas expellit, calculum frangit pauci eſt nutrimenti, melancholicis noxia. Miſcetur acetariis, incoquitur etiam pullis gallinaceis, ovillæ aliisq; carnibus, aut ſuccus expreſſus ſaccharo & vino mixtus aſſaturis ſuperaffunditur.

Lactuca communiſſima præbens acetaria, frigida & humida multum bonumq; ſanguinem generat ejusque acredinem & calorem mitigat, Epar renesq; refrigerat, ſomnum conciliat, prodeſtq; ventriculi intemperie calida laborantibus

bus ac bile abundantibus. Oculis ac visui officit & virilitatem coëundiq; appetitum utriq; sexui adimit. Succus expressus quatuor cochlearium mensura assumptus veneni instar hominem subitò interficit; Herba verò majori copia, quàm pro succo quatuor cochlearium opus est, comesta damnum nullum affert, quòd herba diu in ventriculo detinetur, succus autem expressus subitò miscetur sanguini cordiq; communicatur.

Nasturtium in ciborum usum veniens duum est generum, aquaticum & hortense utrumq; calidum & acris saporis, ciet urinam renesq; purgat, epar & lienem deobstruit, humores pituitosos & viscidos incidit scorbutoq; medetur inprimis aquaticum.

Cochlearia quoq; acetaria præstat jucunda, amara tamen & acria ejusdem ferè efficaciæ cum nasturtio, difficilis coctionis, prælertim quæ jam adolevit; Tenella foliola gratiora & salubriora sunt. Cochlearia cum nasturtio & vino Rhenano trita addita armoracia & saccharo præstans est scorbuti remedium; Si calor urgeat, armoracia vinumq; omittendum. cochlearia verò cum nasturtio ebulliant in lacte caprillo idq; bibatur, & si febris adsit, lactis loco serum sumendum paulumq; acetosæ & beccabungæ incoquenendum.

Borrago temperatè calida & humida cor recreat & roborat, graves & melancholicos cogitatus arcet bonumq; præbet nutrimentum ac sanguinem, si herba cum caule in caponis, gallinarum aliarumve carnium jure elixa usurpetur. Flores acetariis misceri solent ornatûs gratiâ.

Buglossi herba & flores easdem habent virtutes, quas borrago.

Majorana caput & stomachum roborat, pituitosos humores purgat confertq; inprimis hydropicis, urinam & menses ciet, cibisq; mixta gratiam conciliat.

Anethum calidum & siccum aliis cibis, quorum coctionem juvat, commodè miscetur, ut brassicæ, piscibus & similibus, quibus gratum saporem largitur, flatus discutit, dolores ventris lenit, diarrhæam sistit, nervos roborat, lac nutricum auget, nimius verò ejus usus visum hebetat.

Anisum quoq; calidum & siccum obstructiones epatis aperit, prodest hydropicis, movet urinas, flatus discutit, fluorem album mulierum sistit, multisq; cibis, imò & pani utiliter incoquitur.

Fæniculum ejusdem est cum aniso efficaciæ, obstructum epar, lienem, pectus & caput reserat, menses movet, renes purgat, flatus discu-

discutit oculisq; mirè conducit. Tenera fœniculi germina optima sunt. Calculo obnoxii à multo ejus usu caveant, quia arenosas & viscosas humiditates in renes & ureteres deducit, ubi facilimè subsistere calculumq; efficere possunt.

Rosmarinus calidus ac siccus caput & corroborat, calefacit ventriculum, pectus mundat, prodest anhelosis & respirandi difficultate pressis, movet menses, fœcundasq; reddit mulieres.

Salvia calida & quadantenus sicca ventriculum & caput roborat, vertigini & epilepsiæ subvenit, menses & urinam movet & econtra fluorem album compescit, adfert fœcunditatem & fœtum roborat. Antequam in usum veniat, probè abluenda, cum constet serpentes & bufones juxta eam non rarò nidulari, nisi id rutæ vicinia, quæ propè eam plantari solet, prohibeat.

Cuminum, quo cibos condimus, duum est generum, sativum & sylvestre utrumq; calidum & siccum, cibis gratum conciliat saporem eorumq; coctionem adjuvat, discutit flatus, purgat vias urinarias & inprimis vertigini conducit.

Petroselinum calidum & siccum obstructionibus epatis & lienis medetur, Renes expurgat, urinas, arenas & menses ciet, pauci est nutrimenti capitiq; nocet. Nimius ejus usus crudos humores in epar, renes & meatus urinarios deturbat eosq; obstruit.

Potior est usus radicum, quàm herbæ, quæ cum cicutæ simillima sit, cavendum, ne error committatur, quod ante annos aliquot œnopolæ nostro accidit, cui coqua cicutam pro petroselino bubulæ incoctam obtulit, qua comestâ mortem procul dubio oppetiisset, nisi convenientia & efficacia remedia ad manus fuissent.

Rapa calida & humida difficilis sunt coctionis & admodum flatulēta, cruda maximè. Salubriora sunt coctu satisq; boni nutrimenti, prosunt lienosis & melācholicis & quartana febri laborantibus. Præstantiores longè sunt napi sapore & nutrimento bonūq; generant sanguinē, mundant pectus & renes, semen augent, venerem stimulant visumque roborant. Carotæ urinā & menses movent, paucū eumq; crassum calidumq; sanguinē generant, diu probeq; coquendæ, difficilis sunt digestionis. Raphanus calidus & aëris incidit & absumit crassos tenaces & pituitosos humores, urinam ciet arenasq; & calculum renum & vesicæ expellit, sed difficulter cō- oquitur, pauci est alimenti, ructus & flat9 gignit, capiti, oculis & dentib9 noxi9. Paulò melior est raphanus longus.

Raphanus rusticanus seu armoracia acrior est, urinamq;, arenas & calculum valentiùs pellit. In curatione calculi renum efficacius ferè nullum inveni remedium succo expresso cochlearium duorum triumvè mensura cum vino Hispanico mixto.

Sinapi acris, urentis & igneæ naturæ est, corrigitur melle, saccharo, musto, succo cytoniorum & similibus, frigidos & pituitosos humores incidit, utiliter adhibetur cibis durioribus, tenacibus, fumo duratis & coctu difficilibus; Caput verò multis replet vaporibus oculisq; nocet. Præstantior est mostarda Italica.

Cæpæ calidæ sunt & siccæ; Sapidiores quidem reddunt cibos, excitant appetitum & frigidos, viscidosq; humores absumunt, pauci verò sunt nutrimenti, sanguinem accendunt, Venerem stimulant, insomnia gravia & capitis dolorem inducunt, nervis, oculis, dentibus & gingivis nocent, præcipuè non satis coctæ aut assatæ.

Allium ejusdem ferè naturæ est, cujus cæpæ, paulò tamen calidioris, necat vermes, calculum pellit, gaudet peculiari qualitate aquarum pravitatem corrigendi, & venenis ac pesti resistendi, unde Galenus rusticorum theriacam vocat. Non tamen omni noxâ caret, cum capitis dolorem visusque imbecillitatem inferat nervos labefactet, sensus turbet, quietem impediat, sanguinem inflammet, unde præstat, nisi necessitas usum imperet, eo prorsùs abstinere.

Mala terræ calida & humida crassum, nec pravum tamen alimentum præbent, semen augent, Veneremq; stimulant. Capiti verò & nervis, nec non apoplexiæ, & vertigini obnoxiis nocent.

Cinaræ jucundo sapore delectant jure carnis bubulæ vel gallinaceæ pingvi cum modico pipere apparatæ, mediocre præbent nutrimentum, obstructiones solvunt, urinas cient veneremq; stimulant, quamvis id piperi, quo condiuntur, adscribant. Capiti nocent flatusq; copiosiores gignunt. Cucumeres frigidi & humidi calida temperie validoq; stomacho præditis tantùm conveniunt, humores aliàs frigidos, viscidos pravosq; multos generantes crudi maximè aut non satis doctè conditi.

Ejusdem naturę sunt cucurbitæ cholericis inprimis commodę, refrigerant epar, restingvunt sitim ventremque laxant. Tostæ elixis salubriores nihilominꝰ pravum suppeditant nutrimentum, flatus gignũt, ventriculum debilitant, intestinis nocent faciliq; negocio colicos dolores causantur.

Melones non multò meliores odor quidem jucundus & saporis gratia commendat; valenter refrigerant, sitim sedant, urinam, arenas & calculum pellunt; In ventriculo autem facilè corrumpuntur, atq; ob excessum frigiditatis difficulter coquuntur & choleram non rarò febresq; malignas inducunt. Assumendi ergò prima tantùm mensa & ad corrigendam malitiam vinum generosum superbibendum.

Fraga quidem in sylvis ac nemoribus aliisq; locis crescunt, hortensia verò & grandiora & meliora jucundum spirant odorem, reficiunt refrigerantq; epar, bilis ardorem restingvunt, prosunt ictericis, sedant sitim, urinas cient renesq; mundant, dysenteriam, menses & hæmorrhagiam narium compescunt lieniq; prosunt; at in ventriculo facilè corrumpuntur, pauci sunt alimenti nervisq; noxia. Primâ, non ut vulgò fit, ultimâ mensa cum vino & saccharo sumenda sunt.

Mora rubi Idæi & Celsi refrigerant sitimq; restingvunt, conveniunt ardentibus febribus, vim habent adstrictoriam, cujus causâ in diarrhæa, dyssenteria vomituq; utiliter usurpantur, cor admodùm confortant, præcipuè mora rubi Idæi, quorum elegantissima est tinctura.

Baccæ berberum frigidæ ac siccæ ventriculum confortant, appetitum excitant, diarrhæas calidas & mensium profluvium sistunt. Febribus ardentibus & vomitionibus conferunt. Conficitur ex his vinum diu durabile.

Baccæ ursini eadem præstant sola adstrictione & aciditate excepta, quæ illis major.

Uvarum aliæ dulces aliæ sunt acidæ, aliæ medio modo se habent, grato ex dulci & acido sapore, quæ magis commendantur, boni sunt nutrimenti, confortant stomachum, excitant appetitum & epati maximè conveniunt, unde Epatis anima nonnullis vocantur.

Pulmonibus quoq; prosunt tussimq; sedant, inprimis quæ sunt sine nucleis. Acidæ frigidæ sunt ventremq; & lienem inflant, obstruunt alvũ parumq; alimenti præbent.

Olivæ maturæ ac recentes sapore sunt gratissimo bonumq; suppeditant nutrimentum; immaturæ ac sale conditæ aliquid acerbitatis habent, appetitum juvant & pituitam ventriculi incidunt.

Oleum ex maturis expressum cibis nonnullis, maximè acetariis, commodè miscetur, quorum saporem herbaceum corrigit, acorem adimit malitiãq; & cruditatem emendat, alvum lubricat, dolorem lenit, intùsq; ruptis & fractis succurrit.

Capparibus appetitûs causâ cum aliis maximè assatis cibis uti consuevimus, medicamenti, quàm cibi nomine magis dignis. Deobstruunt epar & lienem, movent menses & urinas, absumunt phlegmaticos humores, podagricis & ischiadicis doloribus auxiliantur.

Creber eorum usus à morbis lienis & resolutione nervorum immunes præstat: Parantur oleo, aceto & passulis Corinthiacis.

Amygdalæ dulces sunt vel amaræ. Dulces temperatè calidæ & humidæ boni sunt nutrimenti, augent semen, pectus emundant, sputum promovent & obstructiones epatis, lienis & venarum omnium aperiunt. Amaræ calidæ & siccæ incidendo viscosos humores internos meatus viscerũ expediunt, movent urinas calculumq; & arenulas renum propellunt, flatus discutiunt, sex aut septem ante pastum devoratæ ebrietatem arcent.

Nuces pineæ parem habent cum amygdalis dulcibus, pistacia autem cum amaris virtutem.

Juglandes calidæ sunt & siccæ, recentes præferendæ. Paratur ex his cum ficubus & ruta mithridatium pesti & venenis omnibus resistent. Exsiccatæ bilem generant, stomacho nocent, doloremq; capitis & tussim pariunt.

Avellanæ juglandibus magis nutriunt, minusq; calidæ, sed difficilis sunt concoctionis flatusq; & dolorem capitis excitant. Lombardicæ dictæ præferendæ.

Castaneæ calidæ ac siccæ multum nutriunt, alvi fluxum omnem compescunt, sed difficulter concoquuntur. Crudæ flatus capitisq; dolores generant; Assatæ verò aut potiùs aqua salsa coctæ innoxiæ sunt. Galenus lib. de succor. bonit. & vit. cap. 4. scribit, omnes fructus arborum aliquid mali succi habere, exceptis castaneis. Eligendæ autem grandiores marones dictæ.

Mespila frigida & sicca parùm nutriunt & difficilis sunt coctionis, cient urinas, pellunt calculos, compescunt diarrhæas & vomitiones: Edi non possunt, antequam super stramine vel in aëre suspensa mitescant. Mala citria, limonia, aurantia & granata medicamentis, quàm cibis rectiùs accensentur.

Cortices & semina citri calida & sicca, medulla succusve frigidus & humidus, acidorum frigidus & siccus. Cortices ventriculum & cor confortant conditi vel cocti & sacharo conspersi: Iidem cibis incocti saporem & odorem gratum conciliant. Semen omni veneno adversum est, menses movet & lumbricos necat, idemq; præstat succus acidus, in peste, malignis & arden-

tibus

tibus febribus utilissimus, cor confortans putredini resistens sitimq; sedans.

Limonum eadem est vis & efficacia.

Aurantiorum quoq; malorum duo genera: Acidum & dulce. Dulcia ante pastum sumpta ventriculum juvent, pectori conferunt, catarrhis medentur & obstructiones omnes aperiunt. Acida sitim sedant & appetentiam excitant febribusq; biliosis & ardentibus subveniunt.

Cortices & semina Venenis resistunt, dissipant flatus, necant vermes, ventriculum roborant.

Mala granata dulcia temperatè calida & humida ventriculo & pectori conveniunt, tussim sedant, Veneremq; stimulant. Acida frigida & ficciora epar recreant, febribus conveniunt ardentibus, sitim sedant & stomachi ardorem æstumque ventriculi leniunt; Pectori verò adversa lædunt gingivas ipsosq; dentes, quibus nigredinem inducunt. Cortices & grana vi adstringente & obstruente pollent prosuntq; omnibus alvi fluxibus, dysenteriæ & nimio mensium fluxui.

Pomorum variæ sunt species: alia sunt dulcia, acida alia, alia acidula, alia austera, alia aqueum saporem nec dulcem nec acidum habent.

Acida & acidula frigidiora sunt dulcibus pariuntq; flatus & obstructiones alvi, stomachoque & nervis nocent præsertim cruda.

Aquosa nullius sunt usûs & facilè in ventriculo corrumpuntur.

Dulcia satis matura, bene colorata & odorata optima sunt, bonum præbent nutrimentum, confortant cor, pectus dilatant, sputum promovent lieniq; & melancholicis affectibus conveniunt. In Italia Appiana, nostris his oris Borsdorfiana præferuntur.

Pyra omnia frigida & sicca solis exceptis moscatellinis, quæ calida & humida facilè corrumpuntur.

Acida adstringunt & obstruunt, intestinis & nervis nocent calculumque & tenesmum pariunt.

Dulcia paulò meliora nutrimentum mediocre præbent & cor confortant. Aquosa multas pravas humiditates generant atq; epilepsiæ obnoxiis inprimis nocent.

Pyra prima mensa comesta noxia sunt ventremq; obstruunt, ultimâ verò alvum lubricant stomachumq; claudunt; Cocta autem, non cruda, & saccharo ac cinamomo consperfa esianda sunt. Optima censentur Bergomensia.

Cydonia frigida & ficca funt parumq; nutriunt & difficulter coquuntur, faporis verò gratiffimi, appetitum excitant, cor confortant, alvi fluxus omnes, vomitus, hæmoptyſes fiſtunt, venenis adverſantur ſtomachumque claudunt, ſi à paſtu cocta & Saccharo condita aſſumantur; Obſtruendi autem gratia ante paſtum iis utendum.

Perſica frigida ſunt & humida, nuclei autem calidi & ficci. Optima cenſentur benè odorata ac colorata & matura abſcedente jam quaſi à nucleo carne ſaporisq; jucundi. Nunquam niſi ante cibum & parcè ſumenda, ne cum aliis ingeſta corrumpantur & choleram periculoſam cum vomitu & diarrhæa, febres aliosq; morbos graves inducant, quod tamen hauſtu vini generoſi eſuq; nucleorum perſicorum præcavere licet, providâ natura morbo addente remedium.

Præterea multis aliis affectibus conducunt perſicorum nuclei: Epar & lienem obſtructum aperiunt, frangunt & expellunt calculum, vermes necant, flatus diſcutiunt, ventriculum repurgant, pituitam abſumunt, conſervandæq; optatæ valetudini non parùm conducunt, ſi quotidiè manè jejuno ſtomacho novem circiter aut decem devorentur, multiplici id mihi atteſtante experientia.

Armeniaca mala Perſicorum genus frigida ſunt & humida, ſtomacho grata appetitum proſtratum excitant, ſitim ſedant, urinas cient, Nuclei vermes necant. Aſſumenda ante cibum & ſuperbibendus vini boni hauſtus. Eligenda bene colorata grandia & matura.

Pruna frigida & humida vel dulcia ſunt vel acida & acerba. Optima damaſcena; proximum locum tenent Ungarica. Lubricant ventrem bilemq; purgant, arcent ſitim proſuntq; febricitantibus. Primâ menſa ſaccharo conſperſa ſumenda ſunt.

Mora medicamenti potius, quàm cibi genus pauciſſimi ſunt alimenti & facilimè corrumpuntur, refrigerant & alterant faucium aſperitatem, ſitim reſtinguunt bilesq; retundunt acrimoniam. Prima quoq; menſa ſumi debent, aliàs nocitura.

Ficus calidæ & humidæ benè nutriunt, pectus mundant, tuſſim ſedant, ſputum promovent, venenis adverſantur.

Epati verò, lieni & ventriculo non ſatis conveniunt. Recentia ſiccatis præferenda.

III. De

III.
De Domesticis & feris quadrupedibus animalibus.

INter animalia Domestica, quæ in cibum veniunt, boves primum sibi locum vendicant: Inter quadrupedes gloria prima bovis.

Caro boum mediæ ætatis pinguior multùm & valenter nutrit juvenes & robustos homines assiduis laboribus deditos, sanguinem generat copiosum, jura præsertim elixarum carnium ovis recentibus imprægnata. Veterum & emaciatorum boum caro dura est & difficulter coquitur, crassum & melancholicum generat sanguinē lieniq; nocet, vaccina maximè. Præferuntur boves Hungariæ & Podoliæ, licet hos ferè superent, quos alit Lombardia. Taurorum carnes crassæ sunt, duræ venosæ, siccæ & graveolentes sanguinemq; crassum & pravum gignunt atq; robusto opus habent ventriculo.

Vitellina caro multum nutrit & sanguinem præbet laudabilem facilisq; est coctionis.

Agnina seu lactentium agnellorum caro multum viscosæ humiditatis habet; Anniculorum verò optima est multumq; & probè nutrit, facilis coctu & ægrotis æquè ac sanis commodissimum & utilissimum cibum præstat.

Verveccina caro inter cibos saluberrimos censenda bonum generat sanguinem facilisq; est coctionis juniorum maximè: Annosi enim verveces difficulter concoquuntur.

Hircina caro calida & sicca difficilis est coctionis sanguinem pravum ac melancholicum generans, nocetq; maximè epilepsiæ obnoxiis, quod malum hircis ipsis familiare est: Hædina & castratorum minus habet incommodi.

Suilla caro à Galeno aliisq; optima ac saluberrima putatur tanquam humanæ cognata facilis coctu & bonum sanguinem ac nutrimentum præbens. Constat autem experientia non parum noxæ inesse suillæ carni testantibus id vulneratis, scabiosis aliisq; ulceribus scatentibus, siquidem propter viscidam, crassam & glutinosam humiditatem vitiosum prębet sanguinem & plerumq; jecur ac renes obstruit. Pręcipuè verò nocet minùs sese exercentibus desidemq; agentibus vitam, & cum plerumq; pinguissima comedatur, ventriculum laxat & debilitat, appetitum dejicit bilemq; multam generat. Assiduo autem labori deditis sanisq; non inconveniens præstat alimentum. Majales medię ætatis in campis elatioribus aut quercetis sylvisq; faginis pasti

cæte-

cæteris præferuntur. Porcelli propter nimiam viscidamq; humiditatem vitandi aut rarò & assi potiùs, quàm elixi in usum vocandi.

Inter sylvestria animalia primas quidem lepori Martialis tribuit; Me autem judice de sapore potiùs grato, quàm nutrimenti, quod præstat, bonitate intelligendus. Ferina enim leporina dura tardæq; coctionis est, crassumq; & melancholicum præbet sanguinem.

Sunt qui floridum faciei colorem conciliare, adeoq; sexui fœminino convenire credunt.

Cuniculorum ferè eadem est, quæ leporum natura; Nutrimentum præbent paulò melius minùsq; sicci sunt, sed tamen melancholicis senibusq; vitandi.

Capreolorum ferina cibum præstat sapidum, coctu facilem & boni nutrimenti nec immeritò reliquarum ferarum carnibus præfertur juniorum maximè tenerior & jucundior.

Cervina durior quidem coctuque difficilior est, firmum tamen probumq; suppeditat alimentum. Sæpiùs & copiosiùs assumpta crassos & melancholicos succos generat, magisque junioribus, quàm senibus convenit idq; magis hyeme, quàm æstate.

Aprugna caro paulò siccior est minusque humiditatis habet porcinâ domesticâ, adeoq; melior atque salubrior juniorum maximè aprorum.

Hæc de domesticis & sylvestribus animalibus nostris oris in cibum venientibus breviter dixisse sufficiat.

Cùm verò partium, quæ usurpantur, ut capitis, colli, pectoris &c. magna sit differentia, de his quoq; seorsim paucis agemus:

Capitis caro plerumque brevis & tenella est facileque coquitur & pro naturâ animalis sui bonum aut pravum præstat nutrimentum. Optima sunt juniorum animalium capita.

Cerebrum difficilis est coctionis, nauseam facilè parit & pituitosas ac crassas gignit humiditates. Prima mensâ assumendum pipere, zingibere & cinamomo probè correctum.

Colli caro crassa est plenaque glandularum & nervorum, difficilis coctionis, & pauci pravique alimenti.

Lingua grati est saporis, facilis coctionis, utilis maximè cibus revalescentibus ex morbo.

Cor durum est & siccum & difficilis coctionis.

Probè autem apparatum coctumque non exiguum idque bonum firmumque præstat nutrimentum.

Pulmo

Pulmo quidem facilis eſt coctionis, paucum tamen, ſed bonum præſtat alimentum, modò purus ſit & ſalvus, quod obſervandum: Nam ſi vitio aliquo infectus ſit aut putredinem contraxerit, facilè morbum inducit. Quæ cautio etiam in epate, meſenterio, & inteſtinis adhibenda.

Jecur plerumq; difficilis eſt coctionis pauciq; nutrimenti. Juniorum verò beneq; habitorum animalium ſi ſit, bene ſatis coquitur & laudabilem gignit ſanguinem.

Lien cibus inſalubris eſt plenus ſucci melancholici paucum pravumq; gignit alimentum ex eduliorum cenſu meritò ejiciendus.

Renes quoq; parum boni præbent ſanguinis; Juniorum verò animalium vitulorum maximè pinguium abjiciendi non ſunt.

Ventriculus & inteſtina dura ſunt, frigida & ſicca validumque requirunt ſtomachum & paucum frigidumq; generant ſanguinem. Phthiſi tamen & hecticæ obnoxiis nihilominus proſunt.

Pedes lentos & craſſos ſuccos paucumq; generant ſanguinem coctuq; ſunt difficiles.

Juniorum animalium inprimis porcorum bene cocti & gelatina cum paſſulis & amygdalis parata condit; Tabidis & phthiſicis valdè proſunt, cum non tantùm bonum firmumq; præbeant nutrimentum, ſed & venas pulmonis læſas & laceratas ſanent ac reſtituant.

Lac quoque nonnullorum animalium, ut vaccarum, ovium & caprarum, in numerum ciborum computatur.

Lac vaccinum pinguiſſimum eſt multumq; nutrit; Ovillum vilius & difficilius coctu; Caprillum medio modo ſeſe habet.

Optimum verò lac cenſendum, quod bono eſt odore & ſapore dulci, conſiſtentiæ nec denſæ nec tenuis admodùm aut aqueæ, colore non livido aut viridi, ſed candidiſſimo.

Lac moderatè frigidum eſt & humidum multumq; & probè nutrit. Macilentis & tabidis plurimum confert, facilis quidem coctionis, ſed & facilè in ventriculo corrumpitur, ſi maximè vitioſis humoribus ſit infarctus.

Si in frigidum incidit ventriculum, aceſcit, ſi in calidum, bileſcit, inducit dolorem capitis & præcipuè in omnibus febribus, epatis & lienis obſtructionibus, calculo & imbecillitate viſus affert noxam.

Coagulatum in ventriculo, quod facilè fit, ſi acetum vini aliaq; acida poſt lactis eſum aſſumantur, nocentisſimum evadit variaq; gra-

via infert symptomata, imò non rarò ipsam mortem. Præcaveri autem hæc possunt mala, si sacchoro, sale aut melle lac conditum jejuno ventre comedatur, nec ante concoctionem ejus alius ingeratur cibus.

Dentibus quoq; & gingivis lac damnum affert, quare ab ejus esu os vino collui expedit.

Ex lacte fit serum, butyrum, lac acidum, ὀξύγαλα, flos lactis, & caseus.

Serum medicamentum magis, quam cibus est; in morbis calidis refrigerandi, aliàs verò abstergendi ac mundandi causâ usurpatur, urinas & calculos pellit, succo maximè citri admisto.

Butyrum calidum & humidum multum nutrit, pectus emundat sputumque promovet cum saccharo maximè aut melle sumptum, naturis calidioribus nocet, facilè bilescit & stomachi ardorem caussatur. Nimius ejus usus ventriculum debilitat rectiusq; primâ, quàm postremâ mensa sumitur.

Venenis etiam resistit & à peste præservat cum pane & ruta manè comestum. Verno tempore Majo præsertim & Septembri mense lac & ex lacte parata præstantiora sunt.

Lac ebutyratum frigidum & humidum si[illegible] arcet ardoremq; stomachi & biliosum vomitum sistit inprimis in Scorbuticis. Pectoris verò parit angustiam, difficulter coquitur, crassum præbet alimentum, calculosis nocet, solisq; cholericis & calidioribus naturis & junioribus atque æstivis tantùm mensibus, Majo maximè, conducit.

Eadem est natura lactis acidi, ut & salsi. Flos lactis calidus & humidus easdem habet, quas butyrum, proprietates, usum & incommoditates.

Caseus difficulter coquitur paucumq; & crassum nutrimentum præbet, alvum constipat calculumque generat.

Recens frigidus est & humidus, stomachum gravat, ventrem inflat.

Vetus aëris & calidus pravi est alimenti, epar & renes obstruit, sanguinem gignit crassum & bilem atram, unde infinitæ corporis ægritudines pullulant. Qui mediæ est ætatis & mediocris consistentiæ, dulcis & pingvis pro optimo habetur.

Ovillus reliquis rectè præfertur; Paucius quidem, at melius nutrimentum præbens vaccino, faciliusq; coquitur.

Vaccinus vicissim caprillo, qui omnium vilissimus, præstantior est.

Multum quoq; casei inter se differunt

ferunt ratione paſcuorum, anni temporum & conſtitutionis pecorum, ex quorum lacte conficiuntur.

Paſcua pingvia bonum lac generant caſeosq; inde bonos, teſtantibus id inprimis Parmenſibus, Limburgicis, Hollandis, Sileſiis, Bohemis & Suecicis.

Pecora ſana & bene habita lac præſtantius mittunt ægrotis ac macilentis. Verni quoq; & autumnales caſei æſtivis & hybernis præſtant ob lactis illis temporibus ſupra allegatam præſtantiam.

IV. De Avibus.

Avium multa ſunt variaq; genera. Communiſſimus in cibis uſus eſt gallinarum domeſticarum. Caro earum facilis eſt coctionis, ſanguinem generat purum bonumq; & multum nutrit cibusque eſt ſalubris juvenum & ſenum, eorum maximè, qui minùs exercentur aut laboribus ſunt dediti.

Capones tritico aut hordeo puro ſaginati reliquis præferuntur; Proximum locum galli & gallinæ juniores occupant. Antiquiores paulò difficilioris ſunt concoctionis, ſed jura ſuppeditant boni multiq; nutrimenti.

Galli quoq; Indici jucundi ſunt ſaporis, facilis coctionis multumq; nutriunt juniores maximè lento igne aſſati aut in jure bono cocti.

Perdices citò & facilè coquuntur, ſubtile probumq; præbent alimentum, exſiccant pituitoſas ventriculi humiditates & convaleſcentibus apprimè conveniunt, ut & lue venereâ infectis adeò, ut Cardanus lib. 3. de tuendâ ſanitate cap. 19. ſcribat: Si iſto morbo infectus nullum aliud toto anno ferculum ederet, ſed ſingulis diebus perdicem, absq; alio præſidio à tam pernitioſa lue liberari poſſe.

Sunt qui perdicum jecinora pro certiſſimo habent experimento antepileptico, ſi quavis lunæ quadratura toto anni decurſu unum, duo vel tria devorentur.

Non cedunt perdicibus attagenes & phaſiani, ſed bonitate ſucci & nutrimenti ferè præferri merentur, ſanguinem generant purum & ſubtilem, pinguiores faciunt homines, phthiſicis cibus ſunt convenientiſſimus. Malè autem ſolius Domini gulæ aſſervantur, amicis quoq; inprimis medico parte aliquâ debitâ. Non bonus eſt ſocius, qui devorat omnia ſolus.

Urogalli & betulæ galli & tardæ ſimilis ferè ſunt naturæ, carnemq; habent bonam & multi nutrimenti, facilis coctionis, niſi vetuſtiores ſint.

Pavones ferculis spectativis accommodatiores, quàm corpori alendo, melancholicum, crassum calidumq; sanguinem gignunt, & difficilis sunt coctionis.

Anseres atq; anates vitiosum pravumq; generant sanguinem; Satis quidem benè nutriunt, at stomacho opus habent valentissimo cum admodùm difficulter coquantur. Præferuntur juniores & agrestes. Judæi anseres saginant globulis farinaceis, unde jecinora in miram sæpe magnitudinem excrescunt optimi saporis, facilis coctionis multique nutrimenti.

Cygni, mergi aliæq; aves aquaticæ ejusdem ferè naturæ sunt & proprietatis, sanguinem omnes vitiosum generant & difficulter coquuntur. Fulicæ & rusticulæ paulò meliores boni sunt nutrimenti, & facilis coctionis probumq; sanguinem suppeditant.

Columbarum aliæ domesticæ aliæ sylvestres sunt. Præstant sylvestres, palumbi, turtures &c. Nutrimentum & sanguinem præbent bonum, & facilè coquuntur modò rectè præparentur. Juniores præferendæ veteribus, quæ crassum & melancholicum generant sanguinem & febricitantibus, ætate florentibus, calidioribus & cholericis nocent; Senibus verò & phlegmaticis ii inprimis, qui ad paralysin & apoplexiam propendent, apprimè conveniunt. Turtures dysenteriæ omnibusq; alvi fluxibus affati & caryophyllis integris infixis conditi plurimùm conferunt.

Turdi & merulæ carnem habent teneram & jucundissimi saporis, facilis coctionis multiq; nutrimenti & sanguinem gignunt purum, montanæ inprimis & pingviores.

Alaudæ quoq; laudabile præstant alimentum cibumq; salubrem & coctu facilimum, sapore sunt gratissimo iisq; plurimum prosunt, qui ventris torminibus & doloribus colicis sæpiùs vexantur.

Præferuntur sub initium autumni nocte captæ.

Coturnices pituitosum pravumque gignunt sanguinem febresque non rarò, tremorem articulorum, convulsiones & morbum comitialem inducunt; Multus ergò & frequentior earum usus damnandus.

Ficedulæ delicatum cibi genus præstant, gratissimi saporis, facilis coctionis, sanguinem generant purum & laudabilem, multum nutriunt ægrisq; & convalescentibus utilissimè offeruntur.

Arquata quoq; boni est nutrimenti, facilis coctionis & bonæ notæ præbet sanguinem.

Sturni, quoniam cicuta ferè victitant, noxii sunt, sanguinem gignunt melancholicum & difficulter

ter coquuntur. Sunt tamen, qui multum eos nutrire ideoq; phthisicis prodesse putant.

Passeres nullius sunt valoris, difficilis coctionis, ingrati saporis, nutrimenti pravi, cholerici ac melancholici; Appetunt hos tamen venerei quidam. Aurivittes paulò sunt meliores.

Aviculæ nemorales & montanæ pleræq; bonæ sunt & salubres, facilis coctionis subtilemque pariunt sanguinem & laudabile nutrimentum.

Aves aquatiles coctu sunt difficiles lentosque & pituitosos humores & crassum pravumque generant sanguinem & exiguum præbent nutrimentum.

Ovorum quoq; avium facienda mentio; quorum etsi magna sit varietas, pauca tamen in ciborum censum veniunt. Optima sunt gallinacea, facilis coctionis, boni nutrimenti laudabilemq; generant sanguinem, expediunt pect9 phthysicisq; prosunt; Cholericis autem & bile abundantibus, ardori stomachi, diarrhææ, calculo, apoplexiæ & podagræ obnoxiis vitanda.

Saluberrima sunt recentia leviter cocta aut suffocata, quæ perdutti vocantur. Ad duritiem autem cocta aut butyro frixa noxia sunt.

Gallinaceis phasianorum ova succedunt; Anserina & anatina odorem & saporem ingratum præ se ferunt, difficulter coquuntur sanguinemq; crassum generant rusticis & laboribus gravibus addictis relinquenda.

V.
De piscibus.

Veteribus Romanis & Græcis pisces in nullo fuerunt pretio, unde Ovidius sexto Fastorum scribit:

> Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,
> Ostreaq; in conchis tuta fuêre suis.

Postmodùm verò tanti à Romanis habiti sunt, ut primores familiæ piscium nomina adsciverint. Licinios Murænas appellârunt, quòd harum esu delectati sunt. Sergius Orata dictus, quòd auratis gauderet &c. Tam carè etiam vendi ti sunt, ut teste Plinio pluris constiterit bove piscis; Asinius quippe Celer Consul Romanus ducentis Philippicis, hoc est, centum & quinquaginta aureis mullum emit. Octavius pro mullo quatuor pendente libras aureos numeravit centum viginti quinq;.

Salubriores habiti sunt terrestribus animantibus pisces, quòd morbis nullis obnoxii essent proverbio etiã inde nato, quo homo sanus piscis modo valere dicitur. At nõ sunt

omnis malitiæ expertes cum nutrimentum præbeant frigidum, humidum & pituitosum, facilè corrumpantur & noxias acquirant qualitates; Alii tamen aliis omninò sunt salubriores.

Pro optimis censentur marini, quorum frigiditas & humiditas sale emendatur & exsiccatur, unde pituitosi humoris minùs habent. Marinis succedunt, quos flumina ingentia saxosi maximè & arenosi fundi mittunt; Qui verò in amnibus fluviisq; minoribus sordes inprimis varias recipientibus capiuntur, insalubres sunt, magisque in lacubus & stagnis fluentes aquas nullas admittentibus, degentes.

Hoc loco pisces Germaniæ nostræ considerabimus initio à marinis facto. Inter hos primus occurrit salmo carne rubicundiore & friabili, saporis quidem grati at quorundam sententiâ non adeò facilis coctionis, ructus gignit & sputum frequentius, nisi ventriculum fortiatur valentem. Optimus est, qui in fluviis, in quos ex mari transiit, vere & autumno capitur magnitudine mediocri, colore squamarum non nigricante, sed quasi argenteo. Gratissimi sunt, quos Rhenus, Danubius & Albis mittunt: In Pomeraniâ nostrâ celebrantur Colbergenses, Stolpenses & Rügenwaldenses maximè Rhombi, soleæ, passeres grati sunt saporis, facilis coctionis & multi nutrimenti. Rajæ valentem requirunt stomachum, difficilis sunt coctionis & pauci alimenti.

Asellus piscis est salubris carne candida & friabili, facilè coquitur bonumq; præbet alimentum, recens maximè vere, autumno, hyeme captus. Sale conditus & ipse quidem non insipidus, non tamen æquè salubris est.

Asellus arefactus carne est crassiore & difficilioris coctionis.

Lingulaca sanguinem bonum generat, sapore est grato & facilis coctu, unde à nonnullis marina perdix vocatur.

Halec quoq; inter pisces salubres numeratur adhuc recens, aut recenter salitus, facilè coquitur boniq; est nutrimenti, paratum præbet pauperibus cibum nec aqua nec igne, nec butyro, nec ullo alio condimento opus habens.

Aurata haleci non absimilis tenella carne facili coctione & nutrimento bono.

Sturionis caro crassa lentas gignit humiditates & difficulter coquitur, à nonnullis tamen, Anglis maximè, nobile edulium esse putatur. Ova singularem præbent cibum potoribus gratum & appetitum excitantem. Postquam ex mari in fluvium tranavit aliquandiu in eo moratus sapidior & præstantior evadit.

Fundulus marinus vulgò Tobias dulcem gratamq; gustui, coctionis facilis & boni nutrimenti carnem habet, saporis gratia gobiis comparantur, ideoq; gobii marini vocantur.

Pisciculi millenarii tausendfisch und nich vulgò ejusdem ferè naturæ & bonitatis sunt.

Multi alii sunt marini pisces, in his verò regionibus in ciborum usum non veniunt. In fluviis, aquis stagnantibus, piscinis & lacubus sequentes capiuntur pisces: Lucius carne friabili, boni nutrimenti, facilis coctionis, minor inprimis aut mediocris magnitudinis in fluviis captus.

Perca ejusdem naturæ facilè coquitur, multumq; nutrit. Convenit, ut lucius, iis maximè, qui calidioris & siccioris sunt temperamenti. Meliores & sapidiores sunt melanuri.

Percalucius mediæ est inter lucium & percam naturæ, paulò difficilius coquitur, boni tamen est nutrimenti & grati saporis.

Cyprinus carnem mollem teneramq; habet, satis benè nutrit benè concoctus. Præferuntur mediocres parvis & majoribus in fluviis inprimis degentes.

Cyprinus latus carpioni parum cedit; grati est saporis facilisq; coctionis, modo in aquâ pura sit captus.

Barbus carnem habet mollem & candidam, facilis coctionis & boni nutrimenti; Ova verò nocentissima ventris tormina, diarrhæam, vomitum, anxietatem, aliaque gravissima inducunt Symptomata.

Cyprinus dovelites ejusdem fermè naturæ ova habet innoxia.

Alburni vulgares quidem sed tamen boni & salubres sunt, faciles coctu multiq; nutrimenti in fluviis maximè capti.

Zertæ tenellam, mollem & subdulcem habent carnem, facilis sunt coctionis boniq; nutrimenti. Romanis quondam & Italiæ adhuc ignotæ. Retulit mihi aliquando Dominus Heinricus Strobandus Burggravius Regius Thorunii Borussorum, cum Stephanum Batoreum Polonorum Regem Senatus Thoruniensis ad regale & solenne epulum, vario ciborum apparatu in Curiâ publicâ instructum invitasset ac inter alias dapes Zertæ quoq; assatæ essent appositæ, ministrantem mensæ regiæ Avum suum à Rege, latinè plærumq; loqui solito, sic compellatū: Domine Consul, quomodo vocantur isti pisces? respondisse, Equidem Serenissime Rex, ignoro quomodo latinè vocentur, nos Germani appellamus Zertem, Regemq; subridentem dixisse: Certè istæ Zertæ sunt bonæ; quam laudem regiâ & nos Zertis relinquimus.

Truttæ

Tructæ omnium piſcium optimi ac ſaluberrimi, ſaporis ſunt gratiſſimi, coctionis facilis, ſanguinem generant laudabilem ſanisq;&ægris convenientiſſimũ cibum præſtant, modò juſto non ſint pinguiores.

Gobii & funduli plerumq; in ſaxoſis rivulis degentes meritò ſalubrium piſcium cenſui adſcribuntur, ſiquidem pituitoſi ſucci nihil habent, facilè coquuntur probumque ſuppeditant ſanguinem.

Lapicidæ ſeu mordilapides parùm diſſimiles non tamen pari ſunt bonitate & gratia.

Muſtelæ variæ aliis lampetræ dictæ magni quidem fiunt, grati ac delicati ſaporis gratia; Lentore tamen multo abundant & inprimis podagricis & nervorum morbis obnoxiis incommodant.

Murænarum tria nobis ſunt genera: Maximæ, quæ per totam Germaniam, nullibi locorum, quã in ſolo lacu Colbacenſi annuatim certo tempore circa feſtum ſcilicet natalitiorum ſolummodò capiuntur, carnem habent friabilem jucundiq; ſaporis, facilis coctionis & boni nutrimenti.

Medium genus paulò minus in rivulis & fluminibus paſſim capitur.

Tertium minimum in aquis ſtagnantibus degit ſapore quidem ſatis grato, prædictis tamen nõ comparandum.

Anguilla dulcem quidem & boni ſaporis carnem habet, ſed propter humiditatem & viſciditatem nimiam nec ſanis, nec ægrotis convenit; Stomachum requirit validum & niſi probe concoquatur, detrimentum affert iis maximè, qui calculo ac podagrâ laborant; Menſes quoq; retinet & venas obſtruit.

Muſtela paulò melior eſt anguillâ inprimis in aquis puris & fluentibus capta. Jecur, quod grandiſſimum habet, pro cibo delicatiſſimo habetur, & medicamentis ophthalmicis materiam præbet.

Tincæ in lacuſtribus impurisq; aquis plerumq; degentes coctu ſunt difficiles, & pauci praviq; nutrimenti, epar & lienem lentore & viſciditate ſuâ obſtruunt & canicularibus inprimis diebus nocere creduntur. Fluviatiles ſalubriores habentur magniq; fiunt, quas Tyberis alit. Apua cobitis fætens eſt & inſalubris piſciculus pituitam & pravum putridumq; ſubminiſtrans ſanguinem.

Gammari quidem paulò difficilioris ſunt concoctionis, at boni & firmi alimenti, unde phthiſicis & hecticis utiliter exhibentur. Canis rabidi etiam veneno medentur.

Oſtrea magni fiunt & delicatiſſimis ferculis accenſentur, at difficilis ſunt coctionis, appetitum quidem ſalſugine ſuâ excitant, vene-

rem

rem stimulant & ventrem laxant, parum autem alimenti & pituitæ generant plurimum.

Concharum ferè eadem est natura, saporis tamen minùs sunt grati & interdum vomitum, ventris tormina, alvi fluxum, aliaq; inducunt symptomata.

Cochleæ frigidæ & humidæ sunt, difficulter tardeq; coquuntur, sed multi sunt nutrimenti ideoq; phthisicis valde conducant, inprimis jusculum ex cochleis diu probeque coctis & ex præscripto Quercetani, quod est in diætetico cap. undecimo, præparatum.

Eligendæ montanæ & in vinetis degentes. Calculo renum aut vesicæ obnoxiis nocent, & tamen ex testis nobile contra calculum paratur magisterium.

Ranæ quoq; frigidæ & humidæ naturæ pauci sunt nutrimenti, pituitosiq; humoris gignunt plurimum, gravant ventriculum & colicam ac ventris tormina causantur. Sperma mittentes aut à serpentibus demorsæ gravia inferunt incommoda.

Testudines multi sunt nutrimenti, ideoq; phthisicis prosunt rectè præparatæ. Primæ & secundę coctura aqua abjicienda; Caro autem cinamomo, pipere, croco & vino probè condienda. Præstant siccis, quàm humidis locis degẽtes.

VI.
De aromatibus.

CUm ciborum nonnulli pravitatem quandam in se contineant, alii parum grati sint saporis, consultum est aromatibus, cinamomo, caryophyllis, zingibere, croco, pipere, nuce moschata, macere, saccharo, sale & similibus vel succis gustui gratis & fructibus, ut malis cydoniis, pyris, pomis, succo cerasorum & baccarum sambuci, acetosa, cichorio, petroselino, armoracia, cæpis, allio, sinapi, butyro oleo, aceto &c. eos emendare.

Cinamomum calidum & siccum est. Optimum censetur colore rubicundo, odore fragranti & acri sapore. Prodest phlegmaticis, imbecillitate ventriculi aliisq; frigidis affectibus laborantibus, partes corporis interiores omnes calefacit, cor confortat, humiditates capitis superfluas exsiccat, anhelitus suaveolentiam conciliat, putredini resistit, emundat pectus, flatus discutit, Venerem stimulat senibusq; inprimis confert; Contra juvenibus, calidiori temperie præditis & cholericis nocet.

Caryophylli adhuc calidiores & sicciores roborant cor, cerebrũ, epar & ventriculum, cibis gratũ afferunt saporem, & odorem, stomachũ calefaciunt, coctionem juvant, vomi-

vomitum ſiſtunt, nauſeam arcent alviq; compeſcunt fluxum. Calidioris autem temperamenti & biliofis vitandi ſunt.

Zingiber etiam calidum ac ſiccum humiditatis tamen aliquid participat, cujus ratione facilè corrumpitur. Optimum colore eſt ſubflavo & acri ſapore. Perforatum fractumve pulviſculum ſpargens nullius uſus eſt. Ventriculum calefacit totumq; corpus, humores frigidos & pituitôſos conſumit, coctionem promovet, flatus diſcutit.

Prodeſt phlegmaticis & humidis, calidioribus corporibus nocet.

Crocum calidum & ſiccum optimum eſt flavum ſubalbidum quiddam admiſtum habens, jucundi odoris & ſi madefiat, probè tingens. Cor & ventriculum corroborat, obſtructiones epatis aperit, lieni prodeſt, putredini reſiſtit, urinas & menſes movet, ſomnum inducit, Capiti verò noxium eſt, & ſi doſis unica drachmas duas excedat, veneni inſtar hominem ſubitò interficit.

Piper vel rotundum vel longum eſt. Rotundũ album præſtat nigro. Longum medicamentis magis, quã cibis convenit. Naturæ eſt calidæ & ſiccæ, calefacit ſtomachum coctionemq; juvat, frigidos & pituitoſos humores conſumit, flatus diſſipat, medetur colicæ & ventris torminibus. Confert phlegmaticis & frigidis, nocet calidioribus & cholericis. Non terendum piper, ut vulgò fit, in tenuem pulviſculum, ſed craſſiuſculè contundendum: Ita enim diutiùs in ventriculo moratur eumq; calefacit, nec citò adeò ad epar penetrat illudq; accendit, quod probè notandum. Grana piperis per medium diſſecta & primâ menſâ ex jure carnis aut alio liquore conveniente aſſumpta appetitum excitant coctionemq; promovent. Vile quidem, ſed ſi continuetur ejus uſus, certiſſimum remedium.

Macis & nux moſchata eandem ferè, naturam obtinent, macis tamen paulò major efficacia. Cor & caput roborant, ventriculi calorem augent, coctionem adjuvant, flatus diſcutiunt, lienem deobſtruunt, urinas & menſes movent, uterum confortant, vomitum ſedant, appetitum excitant. Cholericis & calidioribus alviq; obſtructioni obnoxiis non conveniunt.

Saccharum temperatum quidem eſt, magis tamen ad caliditatem vergit. Candidum, dulce, ſapore gratum minusque fragile, optimum. Bonum præbet nutrimentum, corpus mundat, pectus lenit cibosq; guſtui commendat. Inteſtinis tamen animalium additum gravem

gravem fœtidumq; odorem inducit, qualem ferè brassica recens cocta emittit.

Complexionibus calidis & cholericis damnosum, bilem auget, sitim æstumq; parit, candidissimum maximè, quod calce clarificatum est.

Mel quoq; calidum & siccum optimum censetur esse albidum & granulosum, singulari abstergendi vi prææditum senibus & phlegmaticis convenientissimum, pectus mundificat, boni est nutrimenti, ventriculum calefacit, alvum movet, urinas & calculum pellit, at epar & lienem obstruit, facilè bilescit ideoq; cholericis fugiendum.

Acetum fit ex vino, cerevisia, mulso, succo rubi Idæi, pomorum, pyrorum aliorumque fructuum. Præstat autem acetum vini aut cerevisiæ.

Omne verò acetum naturæ est ex frigida & calida mixtæ, frigiditatis tamen plusculum habet; cibis gratum præbet saporem, excitat appetitum, lentas viscidasq; humores incidit & attenuat, bili adversatur & putredini, sudores ciet sitimq; sedat & febribus ardentibus ac pesti convenit.

Econtra lieni & pulmonibus, phthisicis, macilentis, apoplexiæ aut podagræ obnoxiis nocet, nervos lædit artusque debilitat nunquam sine saccharo aut melle assumendum.

Sal condimentorum omnium maximè necessarium & conservandæ optatæ valetudini convenientissimum est. Præstat candidus, durus, splendidus & granis constans æqualibus. Naturæ est calidæ & siccæ, jucundum cibis saporem conciliat, appetitum suscitat, coctionem adjuvat, superfluos humores absumit, putrefactioni resistit urinasq; & alvum movet. Nimius ejus usus sanguinem crassum, adustum, melancholicum gignit, & scorbutum, pruritum cutis, lichenas, scabiem aliosq; affectus vitiosos inducit.

De cæteris condimentis, quorum paulò ante facta est mentio, positione secundâ secundi capitis actum est.

VII.
De potu.

AD vitæ humanæ conservationẽ potus non minor est, ac cibi necessitas; Nam velut isto solida & sicca substantia restauratur, ita illo conservatur humida, cibisque fames, potu verò sedatur sitis, cibiq; vehiculum potus est.

Multa verò & varia sunt potuum genera, aqua, vinum, cerevisia, hydromel, potus ex pomorum & pyrorum succo &c.

Digitized by Google

Aqua frigida eſt & humida. Optima cenſetur limpida, clara, nullo alieno ſapore aut odore imbuta, levis & quæ citò ad ignem incaleſcit & remota ab igne citò refrigeratur.

Omnibus aquis fontana præferenda verſus ſolis ortum ſcaturiens & per arenas & lapillos verſus aquilonem decurrens, æſtate frigidior, calidior autem hyeme.

Fluvialis fontanæ bonitate cedit ex variis nimirum & diverſæ naturæ aquis mixta. Non rarò etiam nivalis & pluvia & ex ſtercoratis vicinis agris & montibus ſordes multæ affluunt, unde deterior aqua fluviorum redditur.

Aqua pluvia magni fit à multis & cæleſtis dicitur, non tamen impuritatis omnis expers, cum ex variis vaporibus terræ generetur, unde & fætorem & putredinem citiùs contrahit.

Aqua putealis craſſa & gravis diu moratur in corpore noxia viſceribus.

Stagnantes aquæ in ſtagnis, piſcinis & paludibus omnium ſunt peſſimæ, citò putreſcunt, ventriculum, epar & lienem gravant, corrumpunt ſanguinem & febres putridas aliosque graves inducunt morbos.

Nivales & glaciales aquæ crudæ craſſæ atque inſalubres refrigerant ſtomachum, epar, lienem, venas meſaraicas & renes obſtruunt & hydropi, podagræ, apoplexiæ & paralyſi cauſam interdum præbent.

Vinum calidum & ſiccum aliud magis alio. Rubrum albo & album fulvo minus eſt calidum. Dulcia quidem ſaporis jucundi, & multi ſunt nutrimenti; At epar & lienem inflant & obſtruunt. Acida minus calida ſunt, pariunt cruditates & difficilis ſunt coctionis, adſtringunt, parum nutriunt nervisque nocent. Media quaſi inter dulcia & acida, clara, pura & pellucida colore ad flavum vergente gratumq; odorem ſpirantia optima cenſentur.

Talia ſunt in Germania Rhenanum, Moſellanum, Neccarinum, inprimis Klingenbergenſe, Linckovienſe, Dehlvveinenſe, Baccheracenſe & Hochheimenſe, Franciæ nonnulla, item Gubenſe & Croſnenſe. Moravica & Ungarica calce abundant, exceptis Toccavienſibus. Auſtriaca & Tyrolenſia puriora ſed fortiora & calidiora ſunt.

Gallia multa vini varietate gaudet. Burgundiaca pro optimis habentur, inprimis Vin de Bonne & vin d' Aij dicta. Muſcat de Lion & Frontignac quoq; ſunt nobiliſſima

fima & jucũdissima at calida & fortia.

Inter Italica vina primas tenent. Vicentina & Apiana, ea inprimis, quæ in monte Fiascone nascuntur, lachryma Christi, muscatellina Formetana & Montalcina, Vinum Græcum Neapolitanum & Malvaticum &c.

Hispanica vina plurimùm dulcia sunt & calida, multamq; bilem generant. Ætate quoq; multùm varieq; vina differunt. Mustum flatulentum est, parit Colicam & tormina ventris, meatus urinarios obstruit, urinamq; retinet & calculo præbet materiam.

Vinum hornum adhuc dulce musti ferè retinet naturam, minus tamen incommodi parit. Antiquum capiti & nervis inimicum; Mediæ æstatis omnium optimum est & saluberrimum.

Cum verò multis locis septentrionalibus maximè nullus sit aut exiguus admodùm vini proventus; Cerevisia ordinarii & familiarissimi potûs locum tenet, ex tritico vel hordeo utplurimùm, raro ex siligine, avena, pisis &c. & lupulo præparata.

Multæ verò sunt cerevisiarum differentiæ tùm ratione aquarum, frumentorum & lupuli, ex quibus conficiuntur, tum præparationis brasii, cocturæ, fermentationis & similium.

Aquarum convenientissima est fontana versùs solis ortum scaturiens. Proximum locum tenet fluvialis ab ortu versùs septentrionem per arenosum & saxosum fundum fluens. Puteales aquæ ferè crassæ sunt & graves; Stagnantes autem putridæ & noxiæ, ut supra dictum est.

Frumenti respectu triticea cerevisia calida & humida est multique nutrimenti, at paulò viscidior, ideoq; epar, lienem & meatus urinarios obstruit & calculo obnoxiis damnum infert.

Hordeacea frigidior quidem est, sed cum copiosiore plerumq; lupulo condiatur, non exiguam habet vim calefaciendi, triticeâ minus nutrit, internas corporis partes aperit urinamq; movet.

Avenacea parum calida pauciq; alimenti flatus & alvi constipationem parit.

Ex siligine parata satis quidem nutrit, at pectoris gravitatem & anhelitus difficultatem inducit urinamq; retinet.

Quæ ex tritico & hordeo mixtis coquitur, medio modo se habet probeq; cocta & debita lupuli quantitate condita potum præstat saluberrimum.

Lupulorum quoq; differentiæ quædam sunt; præstant verò Thuringicus, Misnicus, Marchiacus &

& Brunſvicenſis. Quem Ruſſia & Lauenburgum ac Bütovia aliaque Poloniæ loca mittunt, etiam laudem ſuam merentur. Braſii quoq; præparatio modusq; præparandi & coquendi cereviſiam non parùm ad bonitatem ejus faciunt.

Braſium enim non torrefactum, ſed ſolo ſolis calore exſiccatum deterius eſt multumq; habet humoris excrementitii & venarum anguſtiorum obſtructiones atque aſthma parit.

Præſtantiores quoque ſunt cereviſiæ diu probeq; coctæ, quam ſolâ aquæ calidæ infuſione factæ.

Fermentationis etiam magna habenda eſt ratio, cum conſtet, cereviſias rectè fermentatas clariores, ſapidiores & ſalubriores eſſe, minùs aut nimis, calidius aut frigidiùs fermentatas turbidas & fæculentas.

Optimæ cereviſiarum & ſaluberrimæ temperatè ſunt calidæ & frigidæ, grati ſaporis, nec amaræ nec dulces, nec admodùm acres, odoris jucundi non aduſti, Coloris non nigri aut fuſci, ſed aurei, claræ & limpidæ, bonum præſtantes alimentum, ſtomachum & ventrem non inflantes nec retinentes urinam.

Quisquis autem de naturâ cereviſiæ rectè judicare volet, à Johanne Olhaſio Archiatro quondam Regio & inclytæ civitatis Dantiſcanæ Phyſico Ordinario congeſta & à me ſuper confectione cereviſiæ Colbergenſis ab eodem requiſita hic ſubſcripta obſervet.

I.

Qualisnam aqua pro cereviſia Colbergenſe conficienda aſſumatur?

An fluviatilis, an fontana vel putealis, aut lacuſtris, aut ſtagnans.

Si fluviatilis, an aquæ limpidæ vel rapidi curſus, an fundi arenoſi, ſaxei, glareoſi, limoſi?

Si fontana ſcaturiens ſponte, è quibus locis ſcaturiat, montanis vel planis, cujusnam fundi, an arenoſi, limoſi, glareoſi vel ſaxei? Versùs quam cæli partem oriatur & vergat, an versùs ortum, occaſum, meridiem vel ſeptentrionem.

Si putealis, an è proprio fundo ſcaturiat & qualis ſit ille fundus, an verò aliunde per canales illuc deducatur & unde?

Si lacuſtris, cujus naturæ ſit iſte lacus. An aquam habeat influentem & effluentem? qualem fundum habeat iſte lacus?

Si ſtagnans, è pluviis, aut nivibus aut glacie an ſit collecta?

II.

An aqua in vaſis aliquandiu aſſervetur, antequam decoquatur & cereviſiæ conficiendæ adhibeatur?

III. Qua-

III.

Qualenam frumentum adhibeatur?

An triticum, hordeum vel avena, an sola vel mixta, an ex satione autumnali vel vernali?

IV.

An præter lupulum addantur aliæ herbæ?

V.

Qualisnam observetur proportio frumenti, lupuli & aquæ? E qua scilicet mensura frumenti & lupuli quotnam tonnæ sive tinæ cerevisiæ conficiantur?

An item & quantum differat modius ibi usitatus à nostrate modio.

VI.

Pro brasio conficiendo.

Quàmdiu maceretur frumentum in aqua? Quomodo maceretur?

Germinatio sive excrescentia filamentorum è granis quomodo instituatur?

Torrefactio quomodo fiat? an citra fornacem, in loco calido vel ad solem? Quonam genere fornacis? Quonam genere fornacis? Quonam pavimento seu quibus cratibus super fornacem? Quamdiu duret torrefactio eorundem granorum? An post torrefactionem irrigentur nonnihil aqua frigida? Molitura seu tritura in qualem consistentiam grana conterantur, tenuioremne vel crassiorem?

VII.

Pro præparatione cremoris è brasio.

An fiat id sola infusione brasii in cupa lignea cum aqua ferventissima?

An elixatione brasii in caldario sive aheno una cum aqua?

Quibusnam lignis tunc aqua reddatur ferventissima? tum elixatio brasii perficiatur, pineisne vel quercinis aut faginis &c.?

Quomodo percoletur cremor à brasii silíquis in alveum subjectum & colatorium illud quale sit?

An siliquis brasii nova aqua ferventissima affundatur? & inde percolatus cremori priori permiscea[tur], & quamdiu duret ista novæ aquæ affusio?

VIII.

Pro additione lupuli.

Qualisnam lupulus assumatur?

An lupulus elixetur in caldario sive aheno cum cremore nondum elixato prius cum brasio, an cum cremore jam elixato?

An elixatio fiat in caldario sive aheno cooperto vel aperto? Quamdiu elixetur lupulus cum cremore?

Quæ sit nota, seu quodnam indicium lupuli cum cremore sufficienter cocti?

IX. Pro

Analogia aqvæ ad frumentum & frumenti ad lupulnm qvadrupla est. E. gr. si accipiantur XII. tonnæ frumenti, affundi debent aqvæ tonnæ XXXXVIII. Lupuli verò tonnæ tres: Hanc enim proportionem cerevisiarum coctores plerumqve apud nos observant, & sic ex triginta sex modiis, hoc est, duodecim tonnis hordei & IX modiis, sive tribus tonnis lupuli conficiunt cerevisiæ tonnas viginti. Tonna autem apud nos continet aridorum modios tres, liqvidorum 384. libras civiles; Modius verò Dantiscanus sexta sui parte major est nostrate.

Ad sextam

Qvomodo conficiatur brasium?

Brasium tali modo conficitur: Hordeum in cupa lignea perfunditur aqva frigida, ut qvatuor vel qvinq; digitorum latitudine superemineat maceraturqve per tres dies naturales, postea beneficio tubi exemtilis in fundo cupæ existentis separatur aqva, hordeum verò in loco ædium superiore super pavimentum ligneum largè dispersum per XXIV. horas æqvaliter resiccari permittitur: Inde rursus ad altitudinem circiter unius cubiti coacervatum ad tempus usqve germinationis, qvæ pro constitutione aëris externi aliàs citius, alias tardiùs fieri solet, in eodem pavimento relinqvitur. Qvamprimum verò germinare incipiunt grana, qvotidiè bis aut ter versanda sunt: nisi enim diligenter subinde moveantur, qvædam totam suam substantiam in filamenta effundunt, qvædam citra ullam germinationem qvasi suffocantur & putrescunt. Ubi jam perfectè germinavit hordeum, tostio ejus instituitur in fornace: Collocatur itaqve hordeum partim super pavimentum, partim super ergasterii tectum, qvod crebris foraminibus instar incerniculi pertusum est illicqve leni calore ad duritiem usqve torretur. Oportet autem durante tostione sæpiùs versari, ne aduratur. Post torrefactionem absqve ulla irrigatione beneficio molituræ in crassiorem consistentiam grana conteruntur. Et sic confectum est brasium.

Ad septimam & octavam.

Qvomodo præparetur cremor è brasio de additione lupuli?

Pro eliciendo cremore brasii nostrates utuntur aqva ferventissima; Hac primò brasium in cupa lignea perfundunt eâ saltem qvantitate, ut fiat instar pulmenti: Postea ubi per qvartam horæ partem in infusione stetit, agitaculis ligneis tam diu exagitant, donec spuma in superficie

appareat copiosissima; tunc colatorium qvoddam cratitium qvadratum ex ligno factum in medio cupæ collocant, per qvod cremor circumjacentis brasii in spacium ejusdem colatorii vacuum, unde continuo exhauriendus est, destillat. Hunc cremorem in caldario rursus ferventissimum reddunt & exempto colatorio priori brasio affundunt iterumqve ad spumam usqve agitant. Hinc beneficio colatorii cremorem denuò separant. Dum hæc fiunt, elixatur lupulus in aheno aperto ex aqvæ sufficienti qvantitate, (e. gr. ad IX. modios lupuli assumuntur aqvæ tonnæ duæ) tam diu, donec omnis liqvor sit absumptus. Huic lupulo adhuc ferventi affunditur cremor modò præparatus, cum qvo iterum unius horæ spatio elixatur, postea unà cum cremore effunditur in cupam ligneam, in cujus imo seu fundo factum sit stratum supra stratum ex stramine siliginco, vel qvod melius, avenaceo, inde percolatur in alveum subjectum. Verum præter colatorium illud stramineum est adhuc aliud ex ligno figuræ qvadratæ scrinio non absimile multis foraminibus pertusum: Collocatur autem hoc colatorium supra tubum, per qvem liqvori patet effluvium in fundo cupæ, ita ut manubrium tubi exemptile, qvod adeò longum est, ut etiam ex ipsa cupa promineat, per colatorium penetret & libere eximi inferiqve qveat. Onerandum verò est colatorium lapidibus aut alio pondere, ne à liqvore elevetur & loco suo dimoveatur. Præterea circumferentia tubi probè munienda est stramine in coronæ formam contorto & circumposito, ne aliqvid ex remanentiis lupuli aut brasii unà cum cremore commisceatur vel tubum obstruat. Percolato hoc cremore siliqvæ brasii ex cupa, in qva prima infusio facta erat, eximuntur & in hanc transferuntur rursusqve aqva ferventissima perfunduntur. Cremor autem inde percolatus priori commiscetur & repetitur ista aqvæ novæ affusio tam diu, donec tota aqvæ qvantitas, qvam superius determinavimus, sit in cremorem percolata.

Lignis pro coctione lupuli & aqvæ utuntur plærumqve faginis & alneis; raró qvernis aut pineis.

Ad nonam.

Qvales addantur fæces & qvomodo fiat fermentatio?

Pro fermentatione noviter coctæ cerevisiæ, dum adhuc tepet, adduntur cochlearia tria aut qvatuor fæcum ex cerevisia hordeacea & cum his permittitur cerevisia fermentari in cupis, tempore qvidem calido per

per XII. horas, frigido per integrum diem naturalem. Postea per infundibulum ligneum tonnis infunditur ibidemqve rursus per triduum circiter fermentationi exponitur, qvanqvam fermentationis tempus adeò strictè determinari non possit, aliàs enim citiùs, aliàs tardiùs perficitur, prout constitutio aëris externi vel calida est vel frigida.

Peracta fermentatione servatur in tonnis probe clausis plerumqve per dies qvatuordecim, anteqvam potui detur. Verùm tunc non satis est defæcata, qvare meliùs valetudini suæ illi consulunt, qvi ad maturiorem ætatem hanc pervenire sinunt cerevisiam. Recens enim meatus obstruit & sæpiùs doloribus colicis & nephriticis aliisqve symptomatibus causam præbet.

Cum verò qvævis regio, imò singulæ fere civitates sua cerevisiarum genera admodum differentia habeant; in specie qvædam de nonnullarum cerevisiarum proprietatibus, utilitate & noxa agemus, initium à superiore Germania iisqve provinciis facturi, qvibus amplior est vini proventus.

Austria ergo, Moravia, Bavaria, Svevia, Alsatia, Palatinatus, Hassia, Ducatus Wirtenbergicus, Franconia &c. cerevisias melioris notæ non habent saporisq; parum grati, paucis qvibusdam, ut Ingolstadii, Monachii, Augustæ Vindelicorum, Norибergæ, Ratisbonæ, Ulmæ, Argentorati, Francofurti, Heidelbergæ, Marpurgi & circumjacentium qvarundam civitatum exceptis.

Inferioribus paulò regionibus melioris qvadamtenus notæ sunt cerevisiæ, ut in Thuringia Erfurtensis grati saporis & boni nutrimenti, ventriculū nec gravans nec inflans.

Naumburgensis præstantior & salubrior à nonnullis tamen lædere visum nec raro cæcitatem inferre dicitur.

In Misnia Torgaviensis pro saluberrima habetur; sangvinem generat laudabilem, ventriculo & reliqvis visceribus addit robur.

Succedit proximè arcis Dresdensis cerevisia; seqvitur hanc Friburgensis & qvam Chemnicensis civitas coqvit.

Wittebergensis cuculi cognomine sanitati incommodat & sangvinem impurum flatusq; multos generat.

Lipsiense rastrum non multo præstantius liberalibus ibidem artibus insudantibus parum arridet.

Servestana Anhaltinorum valdè celebratur jucundiqve saporis gratia etiam longiùs dissitis regionibus appetitur, qvamvis frigidæ sit naturæ diuqve moretur in corpore & interdum urinæ ardorem non levem inducat.

qvales ſunt Stolpenſis, Rügenwaldenſis, Treptovienſis, Platenſis &c. Poſtremæ cereviſia meritò præfertur non tantum ob ſaporis gratiam, ſed & propter durationem, cum non facilè aceſcat, ſed vel anuum integrum incorrupta maneat.

In Ducatu Megapolitano Wiſmarienſis duplex primas tenet & longè lateqve in plurimas regiones transfertur; Odore, ſapore & colore eſt grato, boni nutrimenti, ſangvinemqve gignit laudabilem, epatis & lienis obſtructiones tollit, urinas movet meritoqve ſuo ſalutaris potus cenſetur. Cereviſia ibidem cocta ejusdem fere naturæ minùs lupuli habet.

Roſtochienſis qvoqve cereviſia bonæ notæ eſt clara & rutili coloris, grati ſaporis, mediocris nutrimenti, ventriculum calefacit urinamqve movet.

In Brunſvicenſi Ducatu Brunſvicenſis duplex palmam obtinet, odore eſt fragorum jucundiſſimo, ſapore gratiſſimo ex amaro & dulci mixto; ſangvinem generat optimum multumq; nutrit. Nimius ejus potus acres vapores ſuſcitat caput gravantes orisq; & lingvæ ſiccitatem & ariditatem mox tamen iterum evaneſcentem inferentes.

Goslarienſis cereviſia grati eſt & vinoſi ferè ſaporis, multum nutrit & pro ſalutari habetur potu.

Einbeccenſis tenuis eſt, clara & penetrans amaritudinem & acredinem qvandam habens, urinas bilemq; movet, ideoq; ictero & tertianis febribus convenientiſſima eſt.

Hanoverana qvoq; Breyhan vocata inter bonæ notæ cereviſias numeratur.

Hildesheimii, Magdeburgi, Göttingæ & Nordheimii laudabiles qvidem ſunt cereviſiæ, præſcriptis tamen & ſapore & virtute longè inferiores.

In Ducatu Lunæburgenſi & Holſatia vilis æſtimii ſunt cereviſiæ, potiorisqve uſus Lubecenſis & Hamburgenſis.

Hamburgenſis grati eſt ſaporis, meatus urinarios aperit, urinam movet, calidior paulò lautiusq; pota faciei ruborem conciliat.

Lubecenſis ſimilis naturæ, calidior tamen bene nutrit, inſvetis autem dolorem capitis aliaq; parit incommoda.

Weſtphalia pauciſſimas bonas habet cereviſias, ut & Friſia, Hollandia, Brabantia, Geldria &c. Scorbutum fere omnes generantes. Flandrorum paulò ſunt meliores & ſalubriores.

Dania qvoq; & Svecia bonas hodie conficiunt cereviſias; Hafnia inprimis & Stockholmia Roſtochienſi vix cedentes.

Anglicæ grati & jucundi ſunt ſaporis;

poris, benè nutriunt, pingvefaciunt formæqve nitorem conciliant; oleum ollarum Topföhle fortissimum & calidissimum est.

Polonicæ cerevisiæ plerumqve triticeæ, colore albo aut pallido, sapore grato & mediocris sunt efficaciæ. Waracensis, qvam Rex bibit, optima est; Przisecensis, Lobzinchsis, Græcensis, Brambergensis & Smiglensis bonæ qvoq; notæ & salubres sunt cerevisiæ.

Nonnullis in locis ex sola siligine paratur cerevisia colore subviridi vino Rhenano similis & grati saporis, at insalubris, pectus arctat & anhelitûs difficultatem & meatuum urinariorum obstructionem inducit.

Borussia qvoqve cerevisias laudatas habet Thorunii præcipuè, Elbingæ & in monteRegio præstantq; nigræ hordeaceæ albis triticeis.

Dantiscana simplex parum laudabilis vulgo potum præbet; Alii peregrinas, Rostochiensem, Lubecensem, Hamburgensem, Brambergensem, Lobzinensem & ex vicinis pagis advectam satis plerumq; gratam bibunt.

Duplex Dantiscana extracto aut Syrupo similis multum nutrit, at sitim non compescit. Casu, ictu aliisqve modis contusis & fractis sangvinemqve concretum spuentibus medicamenti balsamiq; vicem præstat ideoqve nautis in pretio est.

Lithvania & Livonia parùm bonas ministrant cerevisias; non sunt tamen contemnendæ qvædam ignitorum lapidum & ferreorum globorum candentium freqventi exstinctione præparatæ.

Hydromel diversum ab allegatis hactenus potus genus ex melle, aqva & lupulo paratur.

Optimum Lithvanicum & Finnicum, colore aureo, qvalis ferè vini Hispanici est, sapore jucundo. Præferuntur tamen Lipice Polonis dictum & Caunente hydromel, & illud, qvod ex sufficienti qvantitate mellis puri ex aqva betulæ cum tartaro conficitur. Convenit maximè calculo laborantibus, emundat renes & ureteres, ab arenis liberat, frangit & expellit calculum. Phlegmaticis etiam & intemperie frigida præditis multum confert, ventriculum calefacit, coctionem juvat, pituitam absumit, pectus, caput & nervos mundificat, prodest podagricis & paralyticis nervorumqve affectibus medetur. Calidiore verò temperaturâ præditis & cholericis nocet, bilem generat & epar atqve sangvinem accendit, multis inprimis aromatibus impregnatum crassum & nigrum.

Modus mulsum bonum, clarum, sapidum & salubre parandi optimus hic est: sumantur tinæ seu tonnæ

næ duæ aqvæ betulæ, infundantur aheno, coqvantur qvadrantem circiter horæ diligenter despumando.

Hinc tonna dimidia boni puriq; mellis injiciatur cum manipulis sex lupuli boni facculo lineo mundo inclusi. Coqvantur simul sesqvihoram; Hinc subtrahatur ignis, ne ampliùs bulliant relicta nihilominus super igne lento. Interea seorsim viginti ovorũ albumina in paucula aqva frigida probè conqvassata nec nõ libra semistartari albissimi pulverisati aqvæ mulsæ aheno contentæ injiciantur. Ebulliant iterum horæ circiter qvadrantem trullaq; probè despumentur. Inde per manicam Hippocratis ex panno albo crassiore factam tonnis infundantur. Paucis pòst horis mulso in vasis adhuc calenti addatur mixtura subscripta & fermẽtationi in loco calido dies qvatuordecim aut septimanas tres relinqvatur. Non ad summum usqve repleantur tonnæ, sed spacium relinqvendum fermentationi. Elapsis tribus septimanis in cellam recondendũ mulsum ibiqve tres circiter menses inconcussum servandum. Hinc transvasandum in alia pura vasa unumq; adhuc mensem intactum tenendum, anteqvam potetur. Qvò vetustius, hoc melius. Non asservandum in cellario, in qvo cerevisia recens reponitur, nec tinis infundendum, qvæ cerevisiam antea tenuerunt, sed novis prorsus & probè elotis.

Mixtura fermentationi destinata hæc est: ℞. Cinamomi opt. ℥j. Cardamomi ʒvj. caryophyllor. ʒiiij. Zingib. alb. ʒj. Infundantur in Spiritûs vini malvatici aut Hispanici ℔iss. Stent per diem & noctem in vitro bene clauso. Colaturæ per pannum mundum factæ adde fæcum cerevisiæ cochlearia decem probeqve mixta iufunde mulso. Aliud potus genus nonnullis in locis conficitur ex succo pomorum & pyrorũ maturorum expresso & fermentato grati jucundiq; saporis vini mediocris instar satis forte, ut copiosius haustum non minùs ac vinũ aut cerevisia inebriet. Qvod poma Borsdorfiana præbent, lienis affectibus & qvartanæ febri convenit.

CAPUT TERTIUM.

De somno & vigiliis.

QVam necessarius sit conservationi humanæ vitæ & bonæ valetudinis somnus, suo qvisq; exemplo probat, maximè verò vigiliis immoderatis exerciti; Subitaneum enim virium omnium totius corporis lapsum experiuntur, caput turbatur, intricatur animus, dissipantur spiritus, cor labascit, ventriculus debilitatur, epar & reliqva viscera inflammantur & exsiccantur, artus defatigantur, humores accendun-

duntur, bilis augetur, coctio alimentorum impeditur, alvus constipatur, transpiratio teste Sanctorio in arte Statica summè necessaria inhibetur, unde innumeræ ægritudines ardentes inprimis febres aliiq; morbi gravissimi oriuntur. Somno econtra labore seu corporis seu animi exhaustæ vires refocillantur, spiritus dissipati instaurantur, calor nativus redintegratur, cor confortatur, coctio non tantum stomachi, sed & reliqvorũ viscerum & partiũ corporis omniũ adjuvatur, cruditates absumuntur, articuli incalescunt, totum corpus humectatur, dolores corporis leniuntur animiq; sopiuntur sollicitudines, totus homo recreatur & ad actiones omnes efficitur paratior & alacrior facultatibus animalibus viribusqve sensualibus in somno qviescentibus, naturalibus verò operationes suas tanto promptius perficientibus.

Accipienda autem dicta omnia de somno naturali ac moderato: Nam qvẽ medicamenta inducunt, etsi is qvoq; non rarò naturæ subveniat & eam inter ac morbum inducias exoptatas faciat, naturali tamen neutiqvam comparandus est, imò sæpe plus damni, qvàm commodi adfert.

Immoderatus verò somnus sanitati humanæ detrimenti multum parit, dum enim naturalis calor longiùs debitô intus moratur dissitasqve à corde partes relinqvit, refrigeratur corpus crudiq; & pituitosi humores colliguntur, vapores multi caput replent cerebrum gravantes, spiritus obscurantes, sensus hebetantes, totumq; hominẽ segnẽ & torpidum actionibusq; omnibus ineptum, tardum & morosum reddentes, imò non rarò apoplexiam, epilepsiam, paralysin aliosqve gravissimos affectus causantes. Calor qvoqve diutius intus detentus pabulo in ventriculo aliisqve partibus consumpto naturales & salubres succos aggreditur eosqve torrendo totum corpus exsiccat.

Productiore præterea somno excrementa corporis retinentur nec justo evacuantur tempore adeoqve non paucis morbis occasionem largiuntur.

Hæc aliaqve ut evitentur mala, certus somni tenendus modus. Vix is qvidem determinari certisqve limitibus definiri potest, cum diversæ sint hominum complexiones coctionemqve in hoc citiùs, in alio tardius absolvi & refici vires contingat: Horarum tamen sex aut septem vel novem spacio in homine sano peragi hæc possunt; qvare medium inter hæc spacium videlicet septem horarum convenientissimum judicandum. Ægrotis, infantibus & senibus paulo longius

somni

ſomni tempus indulgendum, nec minus cholericis & inprimis melancholicis, qvorum conſtitutio ſicca & frigida calore & humiditate, qvã ſomnus generat, non parum emendatur.

Sangvineis & phlegmaticis moderatus debetur ſomnus, his tamen paulò productior, cum cruditates concoqvat easqve in laudabilem ſangvinẽ vertat, unde paulò magis incaleſcit corpus calore nativo copioſiore ſangvine adaucto & invaleſcente.

Corporibus pingvibus & plethoricis plurimum damni infert ſomnus modum excedens.

His qvoqve, qvi duris, coctu difficilibus aut variis multisq; cibis potuve nimio ventrem onerarunt, ſolitò longius dormiendi dandum tempus, qvòd ſomni tempore calor nativus intus cogitur: adeoqve coctio rectius peragitur & corpus ſuperfluis humoribus & excrementis omnibus liberatur.

Qvòd ſi verò, ut ſæpe fit, exhalationes calidæ & acres ſomnum prohibeant, in lecto nihilominus ſeſe contineant qvieti & immoti. Corpora enim plena crudis humoribus movenda non ſunt.

Nullum verò tempus ſomno commodius eſt nocte, cùm ratione tenebrarum ac ſilentii, tùm frigidi humidiq; aëris & qvòd eadem qvieti, ut dies laboribus, à Sapientiſſimo Creatore dicata eſt. Somnus qvidẽ diurnus & meridianus non prorſus averſandus aſſvetis maximè aut nocte prægreſſa qviete debita defraudatis, aut ventriculi gravitatem & articulorum laſſitudinem ſentientibus. Ægrotis & ſenibus ſomnus meridianus planè convenit, at non ſupinis aut inclinato capite, ſed in ſella erectis ſedentibus nec longior. Alias ſomnus diurnus & meridianus damnoſus admodum caput vaporibus multis replet, catarrhos gignit, qvi in pectus aliasqve partes delapſi varias inducunt ægritudines.

Damnatur & ſomnus veſpertinus mox à cœna initus. Poſtqvam enim ventriculus cibos commovere & concoqvere vix incepit, craſſi multi & crudi vapores aſcendentes cerebrum replent, caput gravant & catarrhis aliisqve morbis occaſionem præbent.

Noxa qvoqve non caret ſomnus vacuo initus ventriculo, ſiqvidem calor nativus in ſomno intrò coactus cibi potusqve nihil inveniens naturales corporis humiditates aggreditur & exiccat viresqve non parum debilitat.

Porrò cùm jacendo plerumqve & commodiſſimè capiatur ſomnus, hic qvoqve ratio certa modusqve ſervandus. Initio in latus dextrum decumbendum eſt, ut cibus ingeſtus

Digitized by Google

faciliùs coqvatur, evaporatio impediatur & commodior fiat alimenti distributio. Hinc sinistro incumbendum lateri tandemqve iterũ dextro, cum decubitus in unum latus continuus molestus sit, vicissitudo autem grata, coctioni & distributioni plurimùm commodet. Jactatio autem crebra nocet, qvòd coctionẽ turbat, & expultrici impedimentum parit.

Qvi ventriculum frigidum, epar autem calidum habent, lateri sinistro incumbendo inchoare somnum decubitumqve hunc continuare nec nisi aurora jam fere ingruente in dextrum mutare convenit, cum ventriculus ab epate calido tectus incalescat, epar verò à frigido ventriculo refrigerium accipiat. Caput qvoqve semper elatiùs paulò, pedes verò & crura depressiore loco conjunctaqve servanda, ut nervi commodiùs qviescant.

Caput, brachia pedesqve probè contegantur, cum horũ refrigeratio cerebro & nervoso generi noceat.

Arcendi inprimis à capite Lunæ radii cum constet catarrhos iis excitari.

Supinus pronusqve decubitus vitandi, cum ille coctionem impediat, renes calefaciat, ureteres obstruat pravosqve & crudos vapores ac humores posticæ cerebri parti inducat; Iste verò respirationem impediat causamqve det asthmati, oculos defluxionibus gravet visumqve lædat.

Tandem monendum est, ut qvantum per occupationes & actiones cujusqve licet, justo statoqve tempore horisqve somnus ineatur iterumqve dimittatur, cum naturæ id sit convenientissimum, siqve pauculis diebus continuis observetur, consveto hoc tempore facilè & obdormiamus & expergiscamur.

Somnus qvidem ipse sex horis brevior, septem verò longior esse non debebat; ægrè autem hic servatur modus multumqve sæpe qvieti decedit. Consultissimum est, cibis nondum concoctis ventriculo eructante aut aliàs natura in somnũ propendente, ut paululum adhuc indulgeamus qvieti, etsi non dormiamus, in lecto tamen nos contineamus, ut calore intus retento concoctio absolvatur.

Qvò commodior etiam & placidior succedat somnus, vesperi & inprimis à cœnâ seria aut ardua negotia nulla tractanda nec multa legenda, scribenda aut lucubranda; Discursus de rebus tristibus, crudelibus & terribilibus omittendi, curæ, mœrores, sollicitudines gravesqve cogitationes relegandæ, ne vigiliis multorum melancholicorum phantasmatum autoribus distineamur. Qvi cogitabundi

bundi ad somnum se componunt, inqvietè dormiunt.

Licet igitur ad conservationem humanæ vitæ & bonæ valetudinis maximè necessarius sit somnus; sua tamen & vigiliis est utilitas, animâ per instrumenta sua actiones tunc suas instituente, sensus excitante & exhilarante, operationes perficiente, nativum calorem qvasi accendente, augente, confirmante & per omnes corporis partes distribuente, coctionem promovente, superfluas humiditates consumente excrementaqve omnia ejiciente, fusius id docente *Oribasio lib. 6. Medic. collect. cap. 6. & Qvercetano Diætet. cap. 18.* Immoderatæ autem vigiliæ qvantum damni afferant valetudini, initio hujus capitis dictum est. Optimum fuerit somni & vigiliarũ servare modum: Somnus enim & vigiliæ si modum excesserint, malum est. *Hippocr. 2. Aphor. 3.*

CAPUT QVARTUM.
De motu & qviete corporis.

QVemadmodum aqva non commota citò putrescit & fætorem contrahit: Sic homo, qvi non exercetur, multas cumulat pravas & superfluas humiditates, qvæ tandem putrescentes febribus ardentibus aliisq; morbis occasionem præbent, qvotidiana satis id testante experientia:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium ni moveantur aqvæ.

Motus ergò corporis summè necessarius est, tria potissimum commoda præstans:

Primò membra, nervos & articulos omnes solidiores firmiores & actionibus omnibus aptiores & magis reddit idoneas, coctionem promovet, vias & meatus corporis aperit, pravos superfluosqve humores consumit & exturbat, putredinem arcet totiusqve corporis robur firmat & auget.

Secundò calorem nativum qvasi inflammat & accendit, confirmat & adauget, unde cibi in ventriculo rectiùs concoqvuntur, & succus eorũ in sangvinem bonum & laudabilem tandemqve in substantiam corporis convertitur, vitiosi humores ejiciuntur, totius naturæ robur augetur multiq; graves morbi præcaventur.

Tertiò Spiritus facultatum omnium instrumenta qvasi ventilat, subtiliores, penetrantiores & leviores reddit, qvi exindè in omnes corporis partes liberiùs effusi easdem firmant omniaqve membra obeundis actionibus suis aptiora reddunt, exhalationem vaporum noxiorũ pro-

movent, putredini resistunt, adeoq; sanitatem hominis conservant.

Varii autem & multiplices sunt corporis motus, ambulatio, eqvitatio, saltatio, cursus, saltus, luctatio, pugillatio, lusus pilæ, vexillorum vibratio, hastiludium, & illi, qvi eqvo mutatis vicibus modò antrorsum, modo retrorsum, modo dextrorsum, modo lævorsum insultant, id qvod vulgò Voltisiren vocant, &c. Qvo pertinet omnis manualis labor, cujus tot sunt differentiæ, ut recenseri vix possint.

Optimum autem & sanitati tuendæ convenientissimum exercitium est, qvod totum corpus & omnia ejus membra æqvaliter movet, qvale est lusus parvæ pilæ, in qvo caput, oculi, collum, pectus, brachia, crura adeoqve totum movetur corpus. In pugillatione & saltatione idem qvidem accidit, at motus in his ferè fortior est & vehementior, ut & in saltu, lucta, vexillorum vibratione, hastiludio, &c. Ambulatio, eqvitatio, vectio faciliùs moderationem admittunt, qvæ omnibus corporis exercitiis adhibenda, cum fortiore & longiore commotione Spiritus dissipentur, nativus calor & humiditas absumatur, nervi & articuli ac vires corporis omnes debilitentur.

Manuales labores ut plurimum fortem & vehementem corporis motum reqvirunt, qvales sunt messorum, trituratorum, fossorum, lignatorum, fabrorum, arculariorũ, murariorum & similium.

Ast & rustici & opifices hoc tempore tam modestè se gerunt, circa operas suas, ut modum non excedant nec ullo opus habeant præscripto, sic laborandum putantes, ut diu laborare possint, ferenda qvidem opinione, si merces labori responderet adeoq; & ipsa diu solvi posset.

Alii sedentes operas suas conficiunt ut pictores, vestiarii, sutores, textores, &c. parvo aut nullo corporis motu morbosi plerumq; scabiosi, sqvalidi, ex qvo manifestissimum fit, ad tuendam bonam valetudinem summè necessarium esse motum, qvô sine consistere neqveat.

Modus tamen etiam in hoc tenendus & ubi paululum defatigatũ corpus incalescere incipit, color faciei fit rubicundior sudorq; prorumpit, sistendus, sudor verò linteaminibus calidis abstergendus, indusium recenti mutandum, & qvieti in lecto indulgendum, dum vires sese recolligant.

Justo qvoq; tempore & qvidem ante pastum motus corporis & exercitia instituenda sunt: Nam qvæ à pastu pleno fiunt ventre, summopere nocent, dum omnes totius corporis humiditates & maximè crudũ adhuc chylum ex ventriculo unà cũ calore, cujus ope coctio perficienda erat, elicit & cruditates morborum materiam generat.

Opti-

Optima est unius horulæ à cibo qvies & post hanc levis deambulatiuncula, qvò cibus in fundo ventriculi, ubi coctio peragitur, rectiùs subsideat.

Anni qvoqve tempora & corporum constitutiones observandæ: Hyeme, autumno & vere fortiora conveniunt exercitia, qvàm æstate, poris scilicet aëre calido patentibus, frigido clausis.

Robusti etiam & carnosi valentiores motus ferunt, qvàm debiles & macilenti.

Senes autem & qvi alia qvavis de caussa motum non ferunt, frictionibus utantur corpusqve & membra pannis calidis decenter fricari curent.

Tandem monendum est, non statim ab exercitatione & motu capiendum esse cibum: Nam si corpore defatigato & calore ac spiritibus commotis cibus sumatur, humores crudi in viscera rapti ea obstruunt, variisq; morbis occasionẽ præbent. Præstat ergò præmissa qviete demum ciborum salubrium nonnihil assumere.

Post exercitationem adversus frigus muniendũ corpus: Poris enim omnibus motu apertis facilè in corpus penetrat & catharros, imò febres aliosq; morbos inducit.

Qvies etiam moderata sit, nec degeneret in segnitiem & otium sanitati nocentissimum, qvo naturalis calor qvasi suffocatur ejusq; actiones coctio & distributio impediuntur, unde cruditates multæ resultant, qvæ cumulatæ putrescunt morbisq; periculosis causam præbent. Nam velut motu calor nativus augescit, sic nimia qviete minuitur & extingvitur: Motus enim est qvasi flabellũ caloris nativi; & velut ignavia corpus hebetat, sic labor firmat; illa maturam senectutem, hæc longam adolescentiam reddit. *Celsus lib. 1. c. 1.*

CAPUT QVINTUM.
De animi affectibus.

QVemadmodum solis, ventorũ & pluviæ defectu vel abundantia facies terræ aliàs siccior, aliàs humidior, modò calidior, modò frigidior existit: sic hominis animus diversis affectibus, inclinationibus & commotionibus obnoxius gaudet, mæret, sperat, irascitur, odit, invidet, cogitatu Veneris & cupiditate voluptatum, honorum ac divitiarum similibusqve pathematis ardescit & uritur.

Hi verò animi affectus & commotiones cum multas in homine alterationes & mutationes efficiant, sangvinem cæterosq; humores & spiritus agitando eosq; cum impetu & qvasi vi qvadam ab internis partibus ad exteriores extrorsũ vel ab his ad illas introrsum rapiendo tur-

Digitized by Google

bas plurimas excitent & mortem non rarò ipsam inferant, scitu admodum est necessarium, qva ratione caveri, aut si præveniamur, temperari debeant.

Etsi autem hæc omnia à Theologis potiùs aut philosophis addiscenda sint; Medici tamen consilium non spernendum diligenterq; audiendus Galenus de corrigẽdis animi affectibus, Aloisius Luisinus de compescendis animi affectibus per medendi artem, Qvercetanus de perturbationibus animi eorumqve cura, Spinæus de tranqvillitate animi &c.

Cum verò non remedia, sed noxam & utilitates affectuum animi hic proponere instituerim; de maximis magisq; notis paucis agam;

Primo loco gaudium occurrit, qvod mediocritatis limites non excedens magnum affert humanæ valetudini commodum, qvandoqvidem in hoc, cor thesauros qvasi suos recludit sese aperiendo & spiritus vitales cum calore nativo copiosiùs solito universo corpori ejusq; partibus communicando, unde robur, vigor & actiones omnes rectè exercendi alacritas exoritur.

Excedens contra cor admodum dilatando & ampliando spiritus omnes dissipat, mortemq; aliqvãdo subitaneam infert. *Gellio in noct. Atticis, Pausania in Laconicis, Cælio Rhodigino in lect. antiq. Æliano lib. 9. de var. histor. Cicer. 1. Tusc. qv.* aliisqve plurimorum exemplis idipsum contestantibus.

Tristitia autem utilitatem habet nullam, longum verò incommoditatum agmen ducit. Hæc enim nativum calorem cum sangvine & spiritibus ad cor qvasi revocat coctionem & somnum impedit, sensus turbat, sangvinem pravum & melancholicum cumulat, totumq; corpus refrigerat & exsiccat mortemq; accelerat. *Plinio lib. 7. cap. 26. & Qvercetano in diatet. polyhistor. cap. 33.* multorum exemplis idipsum docentibus, consentiente sacro codice *Josua 13. Maccab. l. 2. c. 6.*

Probè igitur observanda admonitio *Syracidis cap. 30. versu 22.* Tristitiam non des animæ tuæ & non affligas temetipsum in consilio tuo: Jucunditas cordis hæc est vita hominis & thesaurus sine defectione sanctitatis & exultatio viri & longævitas: Miserere animæ tuæ, placens DEO & contine & congrega cor tuum in sanctitate ejus, dilige animam tuam & consolare animam tuam & tristitiam longè repelle à Te: Multos enim occidit tristitia & non est utilitas in illa: Zelus & iracundia minuunt dies & ante tempus senectam adducet cogitatus.

Tristitiæ cognatus timor est: nam & hic sangvinem & spiritus ad cor retrahit ideoq; omnibus membris frigus inducit; Hoc uno differunt,

runt, qvòd in tristitia paulatim fit & successivè, qvod in timore & pavore subitò & confertim adeò, ut qvandoq; & syncope aut asphyxia & totalis spirituum suffocatio succedat.

Timori spes rectè opponitur optimum sollicitis animis remedium, unde Nazianzenus: Nihil nos magis exhilarare consvevit, qvàm spes & conscientia bona: Affligit qvidem animam spes qvæ differtur, veniens autem desiderium, lignum vitæ est. *Proverb. 13.*

Ira vehemens & potens animi affectus sangvinem circa pectus ebullire facit & cum spiritibus ac calore mox foris mox intus commovet, undè jam rubent, jam pallent irati pravoq; proposito exseqvendo prompti & audaces sunt.

Sensus qvoq; commotione tam vehementi & calore forti adeò perturbantur vultusq; & omnes gestus deformantur, ut furibundis similes, qvid agant, nesciant. Ira namqve furor brevis est.

Cholerici inprimis & bile abundantes vehementius irascuntur semetipsos non rarò in morbos calidos & vitæ periculũ præcipitantes.

Iram neminem interemisse vulgus qvidem existimat; Ast constat experientia, apoplexiam, epilepsiam, febres ardentes aliosq; morbos irascentibus accidisse & mortem, *Cuspiniano & Cromero lib. 18. testantibus.*

Phlegmaticorum minùs vehemens est ira putantq; aliqvi, temperamento aut morbo frigido obnoxiis iram levem nihil dare damni, cum calorem nativum excitet augeatq; & sangvinem aliosqj humores corporis calefaciat coctionemqve adjuvet.

Filii iræ odium & invidia hoc solo inter se differentes, qvòd mox evanescit ira, odium & invidia diu durant, inprimis apud melancholicos, qvorum fere in odium vertitur ira, cum contra cholericorum iræ flammæ similes sint stipulas depascenti & mox emorienti.

Sangvis autem & spiritus in his affectibus introrsum ad cor retrahitur, calor naturalis hebetatur, coctio turbatur, qvies & somnus impediuntur adeoq; corpus refrigeratur atq; colorem viridem flavumq; contrahit, emaciatur & consumitur: De qvo eleganter *Ovidius, lib. 2. metamorphos.*

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto est,
Pectora felle virent lingva est suffusa veneno,
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos intabescitq; videndo
Successus hominum carpitq; & carpitur unà
Suppliciumq; suum est &c.

Cogitationes qvoq; libidinosæ pravæqve cupiditates non parum commovent & perturbant animũ,

dum

dum personæ amantur, quarum amore frui non licet, unde diurnus nocturnusq; labor curæq; fruendi explendiq; cupidinem. Interea effervescit & bullit in corde sangvis ac spiritus venisq; infusi morbos calidos inducunt, vires debilitant, caput & cerebrũ vaporibus replent acribus, somnum impediunt tristitiamq; & melancholiam pariunt totumq; tandem corpus exsiccant.

— Pectus insanum vapor
Amorq; torret, intima sævus vorat
Penitus medullas atqve per venas
micat (tens
Visceribus ignis mersus & venis la-
Ut agilis altas flamma percurrit
trabes. (*Seneca in Hippolyto.*)

Ambitiosorum non multò melior est conditio. Dum enim omnes cogitationes & actiones eò diriguntur, ut status exaltetur atqve omniũ conspiciantur oculis, somnus & nocturna qvies adimuntur, caput debilitatur, sensus turbantur, coctio impeditur, calor nativus suffocatur & vitæ balsamum consumitur.

Par est avarorum & divitiis inhiantium ratio, qvi præter enumerata mala hoc qvoqve *D. Freitagio* de melancholia hypochondriaca cap. 9. scribente, tergo gerunt, qvòd vitæ periculum nullum extimescunt, genium proprium defraudant, ægrè faciunt corpori suo, accidentibus morbis nulla convenientia adhibent remedia solis domi repertis contenti ineptis & ad morbum nihil facientibus, saltem ut pharmacis usi videantur. Cibos etiam bonos ac salubres aversantur majoris inprimis pretii culpam appetitui dejecto adscribentes, licet aliunde missa gratuita fercula luporum more avidissimè vorent. Eucliones isti perpetuo timore, curis ac sollicitudinibus vexati cogitationibus millesariis dies noctesq; exercentur, facultatibus & actionibus naturalibus sese spoliant inciduntqve in tentationẽ & laqveũ & cupiditates multas stultas & noxias, qvæ demergunt homines in exitium & interitum.

Summatim ut comprehendamus dicta, nihil fere valetudini humanæ plus officit immoderatis animi affectibus & perturbationibus: Spiritus enim vitales & animales dissipant, sensus perturbant, calorẽ nativum viresqve debilitant, coctionẽ impediunt totumqve corpus de statu suo naturali dejiciunt & extremis exponunt periculis.

His ergo omni conatu resistendũ & qvantum per humanam imbecillitatem licet, omnibus in rebus servandus modus, siqvidem talentum non leve est sanitas qvod sapientissimus conditor homini creaturæ rationali præ omnibus aliis credidit. Cogitent, qvi corpus ante tempꝰ destruũt & animã ædificant ad gehenã, monente Augustino, rationẽ sese factorum qvondam esse reddituros.

CA-

CAPUT SEXTUM

De retentione corpori utilium, & inutilium excretione.

QVicquid cibi potusvè assumitur vel purum est & nutritioni corporis utile, vel impurum & naturæ molestum. Illud retentum in sanguinem bonum & conseqventer in substantiam corporis convertitur; istud autem separatur & per ductus meatusq; corporis certos excernitur. Utrumqve conservandæ vitæ & bonæ valetudini maximè necessarium. Nam si qvod nutritioni & conservationi corporis convenit, non retineatur, sed vel assiduo vomitu, alvi fluxu, sudore immoderato, hæmorrhagiâ aliisvè modis naturæ subtrahatur, vires omnes totius corporis propter alimenti carentiam deficient, calor nativus spiritusq; animales resolventur, viscera labefactabuntur, coctio impedietur, cruditates multæ accumulabuntur, unde varii resultabunt morbi, caput turbabitur, oculi caligabunt, pectus angustabitur, corpus & omnia membra emaciabuntur & tabescent vel intumescent. Interdum immodicas ejusmodi evacuationes periculosi singultus, convulsiones, imò apoplexia & morbus caducus conseqvuntur, experientiâ id plus satis comprobante. Econtrà si quod in cibis & potu impurum & nutritioni corporis ineptum est, non separatur, & per meatus solitos, anum, vesicam & vias urinarias, poros, nares & aures &c. non educitur, sed in corpore retinetur, multa inde resultant incommoda, nec rarò periculosi ac lethales morbi. Nam si obstructâ alvô fæces retineantur, vapores multi in caput exhalant illudq; gravant, nec rarò dolores ingentes, catarrhos, sonitum & tinnitum aurium, vertiginem & caliginem oculorum causantur; Interdum ad diaphragma allisi pulmones comprimunt, & respirationis difficultatem atq; angustiam pectoris inducunt; plerumq; coctionem ventriculi impediunt, appetitus prosternitur, lumbi gravantur, totumq; corpus segne obeundisqve actionibus ineptum redditur, prout id ipsum inter alios Italus qvidam sub nomine Eurati Misoscoli in tractatu qvodam eleganti ac jucundo Maschera Jatropolitica, overo Cervello & coure principi rivali aspiranti alla monarchia del microcosmo egregiè deduxit.

Sic vesicâ & urinariis meatibus obstructis urinâ vel ex parte vel planè retentâ multa oriuntur mala: Illud enim, si durat diutiùs, tumorem ventris, hydropem, angustiam pe-

ctoris aliaq; parit symptomata; Hoc verò graves abdominis & vesicæ dolores inducit, epar lædit, in sanguinem & totum corpus regurgitat, tumorem & spirandi difficultatem, non rarò & putredinem sanguinis aliorumq; humorem causatur, unde febres ardentes, & si intra septiduum urinæ retentio non solvatur, mors ingruit.

Poris occlusis transspiratio, exhalatio & sudor impediuntur, hinc sanguinis putredo, febres ardentes aliiq; graves morbi excitantur, fusiùs id docente celeberrimo Medico Sanctorio Sanctorio in arte staticâ.

Narium obstructio capiti molestiam parit, aliqvando dolores, vertiginem, catarrhos in fauces & collum, pulmones, humeros, dorsum, coxas aliaq; membra delabentes doloremq; inferentes causatur, aliquando olfactum & aërem adimit. Per aures quidem naturaliter parum evacuatur, earum tamen etiam obstructio gravem interdum parit auditum, sonitum ac tinnitum aurium, aliaq; incommoda.

Sunt, qvi per hæmorrhoides purgantur, quæ si obstruantur, urentem ano dolorem pariunt. Interdum tumescunt, inflamantur, contrahunt apostema aut fistulam & recedente in epar sanguine hydropem gignunt.

Virgines & mulieres peculiater per menstrua evacuantur, qvæ retenta varios morbos inducunt, dolorem capitis, pectoris angustiam spirandi difficultatem, nauseam & inappetentiam, inflationem ventriculi, tussim, cordis palpitationē, ventris tumorem, hydropem, febres, & similes.

Seminis excretio moderata & licitè facta sanitati hominis conducit, calorem nativum excitat, sensus Spiritusq; exhilarat, membra levat, animiq; tollit ægritudines. Immodica verò calorem nativum, caput, sensus omnes nervos, omniaq; membra vehementer labefactat, totum corpus refrigerat & aliquando apoplexiam, morbum comitialem, paralysin, podagram, aliosq; plenos periculi affectus inducit. Retentio seminis diuturnior econtrà & ipsa sanitati non parum damni affert, inprimis si corrumpatur semen, similes ferè morbis internis affectus generat. Conjuges mala hæc facilè evitabunt; Extra autem conjugium viventes sobrietati & temperantiæ studeant, reliqva DEO & naturæ committentes.

PARS ALTERA.

Quæ ratione ætatis & complexionis diæta observanda.

POstqvam de sex rebus non naturalibus earumq; utilitate, noxâ & usu

& usu in genere hactenus actum est, subjungendum in specie, qvid cuivis ratione complexionis & ætatis suæ observandum sit?

Cùm ergo complexionum variæ sint differentiæ non omnibus notæ, de signis pauca præmittemus, qvibus suum cuiq; temperamentum innotescat.

CAPUT PRIMUM

De signis, quibus complexio hominis cognoscenda.

OPtima hominis complexio seu temperamentum æqvalitatis sive ad justitiam signis sequentibus cognoscitur:

1. Ex colore faciei & totius corporis, ex albo & rubro mixto & qvasi roseo.

2. Ex caliditate & frigiditate, duritie & mollitie, lævitate & asperitate corporis, his videlicet omnibus mediocriter sese habentibus.

3. Ex staturâ hominis justâ nec majore nec minore. Major enim ab animâ non satis benè gubernatur, dum non tantùm alere corpus, sed & mentis operationes perficere debet, cumqve magis plerumqve conservatione & nutritione corporis occupetur, in operationibus animi & intellectus tantùm præstare neqvit, unde in magnis hominibus ferè torpor quidam mentis & ingenii cernitur. In minoris verò staturæ corpore anima quasi in angusto ergastulo coërcita spiritibus commotis corpus inflammat animumq; turbat, unde pusilli homines ferè rixosi sunt faciliq; negotio excandescunt.

4. Corpus non crassum nimis aut pingue, nec admodum gracile si sit aut macilentum, sed medio modo sese habeat & nec glabrum, nec hirsutum sit nimis, & pili in juventute aureo colore splendeant.

5. Si omnes corporis artus & membra decentem formam & justam inter se proportionem habeant nec magnitudine, nec numero excedant aut deficiant, suumq; singula locum teneant.

6. Deniq; ex actionibus animi, sensuum & corporis bona ac perfecta hominis constitutio agnoscitur, nullo videlicet in his apparente defectu. Si caput, sensus & intellectus rectè sese habeant, memoria firma sit, visus acer, auditus promptus, olfactus, gustus, tactus naturales. Si homo non segnis sit aut torpeat, sed ad omnes actiones & operationes alacris, impiger & expeditus, nec tristior, nec lætior, non iracundus & vindictæ cupidus, sed mansvetus, non asper & crudelis, nec

tamen lenis nimis, non timidus, nec audax, non tardus nec præceps, sed consideratus & in omnibus rebus & actionibus suis modum servans. Somnus quietus est nullis terriculamentis insomniisqve turbatus, coctio laudabilis & perfecta, excretio manè & vesperi nec excedens nec deficiens; Veneris aliorumqve omnium appetitus moderatus &c.

Hæc verò constitutio multos patitur defectus paucissimis concessa: Alii enim calidi sunt, alii calidi & humidi, alii calidi & sicci; alii frigidi, alii frigidi & humidi, alii frigidi & sicci. Calida complexio sequentibus signis agnoscitur: Corpus tactu calidum est, macilentum & pilosum, color faciei rubicundior, homo totus valens & ad omnes actiones promtus & alacris, pronus ad iram, at mox placabilis. Calida & humida constitutio sanguinea dicta ex sequentibus deprehenditur: Corpus calidum est & molle, sanguine abundans, carnosum & pingue, facies ex albo rubet, venæ turgent, homo animo est alacri & impigro, hæmorrhagiam narium in juventute maximè frequenter patitur & febribus morbisq; calidis obnoxius est.

Calida & sicca complexio biliosa & cholerica aliàs dicta his noscitur:

Corpus calidum, siccum & macilentum, venæ amplæ, pulsus fortis pili ferè nigri & crispi homo rixosus, iracundus, pertinax & obstinati animi, parum appetens cibi, etsi plus concoquere valeat.

Frigida si sit complexio corpus tactu frigidum est, læve, pingue & quasi tumidum, pectus angustum, venæ exiles, graciles & vix in conspectum sese dantes, color faciei pallidus capilli albi & rari, homo timidus, segnis & tristis.

Frigida & humida constitutio phlegmatica dicta corpus molle, pingue & crassum ostendit; Capilli vel subflavi vel rufi, rari & tenues sunt, venæ exiles, facies pallida, homo socors, piger, tardus, multa vorans, parum concoqvens.

Frigidam & siccum sive melancholicum temperamentum indicat color faciei pallidus aut ex flavo nigricans, corpus tactu frigidum, siccum & macilentum, oculi profundi & quasi rigidi, capilli rari & fusci, homo tardus, piger, morosus, timidus, tristis.

Quâ ratione temperamentum cujusq; partis, cerebri, cordis, pulmonis, epatis, ventriculi, lienis &c. cognoscendum sit, Galenus docet in arte medica, quo brevitatis studio Lectorem mittimus.

CAPUT SECUNDUM.

Quid temperamento & complexione cujusq; conveniat aut officiat.

Tempe-

Temperatâ complexione prædi- ti vulgarem regulam: Similia similibus conservantur, observantes, fugiant naturæ suæ contraria omnia: Talia verò sunt caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate quæcunque excedunt, utilia contrà temperata & moderata omnia.

Ab optimo & saluberrimo hoc temperamento ad calidû deflectentes juvat aër frigidus & paulò humidior. Cibus & potus easdem qvalitates obtineat. Calida omnia, aromatibus condita salsaq; largius nocent. Somno decedat nihil, accedat potiùs; Validior & diuturnior corporis motus damnosus, cùm sanguinem magis calefaciat. Ira aliiq; vehementiores animi affectus fugiendi; repletio sit mediocris, exinanitio quotidiana & perfecta.

Qui frigidæ sunt naturæ, cibis potibusq; calidis fruantur, multùm, attamen non nimis, moveantur, ut excitetur quidem calor, non autem dissipetur.

Somnus sit mediocris, quanqvā excessus hic præstet defectui: Excretiones alvi quotidianæ sint, cum hoc temperamento prædi ti pituitosos humores facilè colligant.

Qvibus humidior est complexio, his aër siccus cibiqúe exsiccantes conveniunt, adhibitô tamen moderamine, ne omnis absumatur humiditas, quare & motus corporis modum non excedet. Somno decedat aliquid, Veneri conjugali ponendus modus, curandumq;, ut alvus qvotidiè respondeat.

Siccæ constitutioni humidus aër convenit, cibique, & potus humectantes & multum nutrientes. Corporis animiq; motus vehementiores, iram, mœstitiam &c. non ferunt hâc præditi. Somnus prolixior balneaque aqvæ dulcis prosunt, cùm totum corpus humectent.

Calidæ & humidæ complexiones calidum & quodammodo humidum requirunt aërem: Nimia enim humiditas putredinem generat, unde febres aliique periculosi morbi originem ducunt; Cibi sint facilis coctionis & multi nutrimenti, paululum refrigerantes, potus lenis, non calidus; Somnus mediocris, motus corporis temperatus, animus hilaris, excretiones, Venerisque usus moderatus.

Biliosis & Cholericis calido & & sicco præditis temperamento frigidus & humidior aër convenit, cibi coctu faciles & boni alimenti, endiviâ, cichoriô, acetosâ, malis citriis aliisq; epati calido appropriatis alterati. Exulent sale & aromatibus acriùs conditi, potus fortis & calidus ac dulcia omnia & vigiliæ nimiæ motusque corporis vehemens.

Phlegmaticis ut frigidæ & humidæ complexionis, aër calidus & siccus, cibique & potus iisdem qualitatibus præditi conferunt. Præstant assa elixis; Lac & lacticinia uberiore usu nocent. Somno minus indulgendum. Corpus autem ante pastum quotidiè exercendum & cùm constitutio isthæc plurima congerat excrementa, alvus quotidiè respondeat aut leni pharmaco proritetur.

Frigida & sicca complexio, melancholica dicta, omnium pessima est, cùm in caliditate & humiditate vita consistat. Maximè igitur necessarium est cibis & potibus calefacientibus ac humectantibus bonique & multi nutrimenti corpus ali. Aër sit calidus & humidus, somnus prolixior, motus autem corporis exiguus. Venus inimica, balnea verò aqvæ dulcis universum corpus humectando utilissima. Cogitationes graves & profundæ, curæ & sollicitudines & mœstitia penitus fugienda naturâ per se huc inclinante.

CAPUT TERTIUM.

Quid ætatis ratione observandum, deqve parvulorum recens-natorum curâ & prægnantium regimine.

PRima bonæ pravæque constitutionis fundamenta in conceptione jaciuntur. Conjuges ergò liberorum procreationi operam dantes curare sedulò & cavere decet, ne morbosos & malè affectos generent, sperati solatii loco perpetuos eosque acerbos dolores allaturos Id verò fiet rectè, si sex rerum non naturalium usum temperantes nec pleno ventre, nec statim à pastu, sed manè absolutâ coctione coiverint; minùs autem rectè valentes aut ægrotantes à concubitu, aut incurabili morbô, epilepsiâ, podagrâ, leprâ &c. affecti conjugio penitùs abstinuerint, cum dubium nullum sit, satisque probet experientia, morbos cū semine transferri in liberos:

Qui viret in foliis, venit à radicib9 humor,
Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Si ergò hortulanus aut agricola studiosè curat bonum semen agro suo committere; Qvantò diligentiùs operam dare conjuges in liberorum procreatione conveniet, prolixiùs de his agente *Fernelio patholog. lib. 1. cap. 2.*

Igitur factâ in matris utero conceptione cautè caveat prægnans, ne quid damni patiatur fœtus, sed ad terminum usque nativitatis illæsus conservetur & incolumis, qvod fiet rerum sex non naturalium dictarum legitimo usu probè observato.

Aërem

Aërem convenit esse temperatè calidum & humidum. Frigus noxam parit testaturq; experientia in frigidioribus regionibus frequentiores accidere abortus.

Prægnantes etiam tempestate turbulentâ & nebulosâ, quantum licet, domi se contineant, caveantque fœtidorum & graveolentium, castorei, sulphuris, pulegii, menthæ crispæ, & similium odorem.

Noxius maximè est fœtor candelarum exstinctarum teste *Plinio lib. 7. cap. 17.* Miseret atque pudet æstimantem, qvàm sit frivola animalium superbissimi origo, cùm plerumque abortûs causa sit odor ab extincta lucerna.

Vitandi cibi concoctu difficiles, pravi paucique alimenti, calidi & acres, urinam mensesq; moventes, allium, raphanus rusticanus, sinapi, cæpæ, aromata. Instante jam tamen partu pauxillo croci & cinamomi condiri possunt.

Fugienda qvoq; vomitum & sternutationem moventia, potus fortior, cerevisia amara & lupulo copiosiore imprægnata, vinum & hydromel generosis, aqua vitæ, Spiritus vini & similia.

Si qvid ciborum insalubrium pravorumque prægnans appetiverit, non denegandum, sed dandum aliquantulum, aut si præstò non sint, nucis moschatæ pulveris momentum melle mixtum exhibendum. Eundem usum præstat aqva citri vel aurantiorum, maximè verò aqua ex tenellis vitis foliolis majo mense destillata. Motus corporis primis & postremis gestationis mensibus modum non excedat. Qvemadmodum enim fructus arborum initio adhuc tenelli & sub finem jam ferè maturi facillimè decidunt: Ita & fœtus in matris utero. Instante jam tamen partu motus paulò major convenit, cum partum faciliorem reddat. Unde & Galenus partui vicinis iter aliquod breve ad cultum DEORUM commendavit.

Iram, timorem & pavores fugiant prægnantes cum causam abortui præbeant.

Somnus sit mediocris: Malus enim nimius, ut & nimiæ vigiliæ, inprimis mox à pastu initus. Quies nocturna septem, octo aut novem horarum optima.

Alvi excrementa quotidiè dejiciantur: Retenta enim & indurata uterum premunt, nec sine magno conatu & abdominis compressione egeruntur, cum aliquali abortus metu. Contrà non minùs periculo vacat alvi fluxus & diarrhœa, si his laboret prægnans, cum fœtum admodum debilitent & ad expulsionem naturam irritent. Multus quoque sudor, larga narium hæmor-

hæmorrhagia, ut & uteri & hæmorrhoidum, fluxus lactis mammillarum, aliæque nimiæ exinanitiones nocentissimæ sunt, utpote quibus alimentum fœtui subtrahitur.

Venæsectione quoque & purgatione circumspectè utendum. Nec suppositoria nec clysteres tutò adhibentur, si quid acredinis obtineant. Quomodo autem in casu necessitatis purgatione & venæsectione utendum sit, longum foret & inconveniens hoc loco describere. Consulantur prudentes & multa super his experti Medici.

CAPUT QUARTUM.

De Diætâ parvulorum ad annum usq; septimum.

Degant infantuli in aëre calido & quodammodo sicco. Alimentum optimum ex lacte materno capiunt, quo neutiquam defraudandi, antequam biennium aut minimùm menses octodecim expleverint. Ipsa verò mater infantulum lactet, nec aliam nutricem admittat, nisi summâ urgente & inevitabili necessitate. Nullum enim lac temperamento infantis magis cognatum, quàm ex sanguine illo, ex quo in utero infans formatus & nutritus est, generatum. Præterea cum lacte nutricum, quæ plerumq; malitiosæ, rixosæ, ebriosæ & leves sunt mulieres, mores & vitia infantes imbibunt, quæ non postrema causa est, cur magnorum virorum liberi à parentum virtutibus ferè degenerent.

Dum materno lacte nutritur infans aliis cibis coctu facilibus & boni nutrimenti paulatim assvefaciendus, quales sunt oryzæ farina, manna Polonorum, & similes. Vulgaris usus est pulticula ex farina triticea; sed cum viscosa sit, & pituitosa, præstat ex pane trito cum jure capi, gallinæ aut carnis bubulæ confectâ uti. Cremor quoque ptisanæ hordeaceæ aut avenaceæ cum passulis, juscula ex amygdalis ovaque sorbilia convenientem cibum parvulis suppeditant.

Ablactatus infans initio mollibus & facilis coctionis cibis alendus; Adulteriori paulò, cum incedere incipit, carnis quoque aliorumque eduliorum non nihil indulgendum. Vino autem & calidiore potu prorsus abstineant. Somno quoque detrahendum aliquid: Multum enim dormiendo segnes, pigri, inepti & quasi stupidi fiunt.

CAPUT QUINTUM.

Quæ Diætâ ab anno septimo ad vigesimum primum servanda?

Ab anno septimo ad vigesimum usque primum omnis generis

cibis

cibis coctu facilibus & boni nutrimenti utendum; Vitanda tamen superfluitas & calidiora omnia. Corpus ambulando, equitando utilibusq; aliis exercitiis movendum, servato tamen modo, ne humiditates naturales vehementiori motu consumantur & exsiccantur, corporis augmentum impediatur, adeoq; ad justam & perfectam staturam & magnitudinē pervenire prohibeatur.

Venereæ voluptates hâc inprimis ætate penitus aversandæ, cum calorem nativum depascant, corpus refrigerent & exsiccent, animumq; & omnes ejus operationes labefactent.

CAPUT SEXTUM.

Quæ Diæta ab anno vigesimo primo ad quinqvagesimum usq; servanda.

A Vigesimo primo usque ad quinquagesimum annum, quo tempore viribus maximè pollet & qvasi in medio ætatis constitutus est homo, cibus & potus omnis generis assumi, motus & exercitia corporis quæcunq; adhiberi variiq; labores & operæ tractari, conjugalis qvoq; Venus exerceri potest, nec qvicquam ad sustentationem humanæ vitæ faciens omittendū est; servandus tamen in omnibus modus, & præscriptæ hactenus regulæ, quoad possibile, non transgrediendæ: His enim annis plurimum exceditur gulâ & helluatione, Venere, exercitatione corporis, animi perturbationibus, curis & sollicitudinibus, aliisque quàm plurimis, quibus multi vel mortem accelerant vel morbis & ægritudinibus plurimis ad vitæ usque terminum comitantibus causam & occasionem præbent. Qvare observanda in omnibus aurea mediocritas in usu præcipuè sex rerum non naturalium dictarum, prout in descriptione earum suprà traditum est, quamvis sani & robore valentes homines non adeò strictè alligari his debeant eleganter id monente *Celso lib. 1. cap. 2.* Sanus homo & qvi benè valet & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, neque aliptâ egere: Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in urbe, sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere, siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modò ungi, modò id ipsum negligere, nullum cibi genus fugere, quô populus utitur, interdū in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modò

plus justò, modò non ampliùs assumere, bis de die potiùs, quàm semel cibum capere. Cavendũ tamen ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.

Qui verò naturâ debiles & morbis sunt obnoxii, Diætam convenientem & mediocritatem diligenter observent, nihil unquam præscriptis regulis adversum committentes, nisi semet ipsos in periculum conjicere & ante tempus vitæ finem facere voluerint.

CAPUT SEPTIMUM.

De Diætâ senum.

AB anno quinquagesimo senectus incipit, ubi humidum radicale & calor nativus sensim deficiunt & absumuntur. Utrumq; ergò pro virili avertendum sumaq; diætæ habenda ratio.

Aër senibus convenit calidior & humidior, qui si talis naturâ non sit, arte & convenientibus mediis parandus est, docente Sanctorio in commentario in primam fen. Avicennæ qv. XVII. Autumno inprimis & hyeme, cùm utrumq; hoc anni tempus senibus admodum incommodet. Etsi enim humida sit hyems, frigiditate tamen suâ nocet.

Cibi quoq; calidi sint & humidi, multi nutrimenti & facilis coctionis, quales sunt panis purus benè fermentatus & excoctus, jura caponum, pulli gallinacei, turdi, alaudæ, ficedulæ, palumbi urogalli, attagenes, perdices, caro vitulina, vervecina, agnina, ova recentia & similia pro ratione anni partium. Cum verò calor senum exiguus & imbecillis sit, ventriculus, cibo multo non onerandus, sed panis illum boni alimenti sæpiùs offerendum, ut manè pro jentaculo jusculum, ovũ recens sorbile aut panis melle illitus senibus admodum utilis. Interpositô trium horarũ spacio pro prandio sumant pulticulam ex farinâ oryzæ, amylo, hordeo, manna polonorum, qvam Schweden vocamus; deinde, carnes & pisces, hos tamen parcè & rarius cùm frigidi sint & pituitosi; deniq; sub vesperam iterum aliquid salubrium molliumq; ciborum degustent. Pro potu ordinario clara, defæcata & paulò fortior convenit cerevisia, magis autem vinum bonum, unde lac senum vinum dicitur, scribitq; *Plato lib. 2. de leg.* Deus vinum hominibus quasi auxiliare adversus senectutis austeritatem pharmacum largitus est, ut rejuvenescere videantur & mœstitiæ nos capiat oblivio. Temperatus autem sit vini usus, ne quod caloris nativi exiguum adhæc superest, vini calore consumatur aut caput repleatur & catarrhi gravis exciten-tur. Paulò autem generosius sit vinum,

ñum, odore & ſapore bono mediæq; ætatis. Craſſum, calce abundans, rubrum & adſtringens vitandum. Omnium verò ſaluberrimum potū ſenibus præſtat hydromel ex melle puro & ſubflavo benè coctum & præparatum: Id enim quàm ſalutaris ſit potus, Pollionis Romuli reſponſum oſtendit: Hunc centeſimum annum excedentem divus Auguſtus hoſpes interrogavit, quænā maximè ratione vigorem illum animi corporisq; conſervaſſet; Ille reſpondit. Intùs mulſo, foris oleo. *Plinius libro 22. hiſtor. natur. cap. 24.*

Motiones corporis ad ſexageſimum usq; annum exiguas indeq; adhuc mitiores eſſe convenit. Satis erit ante paſtum deambulando paululum moveri, aut ſi per vires non liceat, manè in lecto pannis calidis fricari. Somnus paulò longior concedendus, cùm vires totius corporis notabiliter illo reſtaurentur & firmentur, unde vita ſenum ſomnus dicitur. Nocent verò vigiliæ, ad quas evitandas confert potus veſpertinus paulò largior, aut lac amygdalarum cum papavere albo ex aqua lactucæ & anethi præparatum, item pedilavium ex foliis ſalicis, nymphæa, anetho, chamæmelo & capitibus papaveris pedum plantis medulla cervina perunctis. Animi affectus vehementes, ira, curæ triſtitia &c. nocentisſimi ſunt, ſiquidem exiguum illum adhuc ſuperſtitem calorem facilè ſuffocare & humidum abſumere poſſunt. Jucundi contra diſcurſus, faceta colloquia, & recreationes ſimiles aliæ multum ſenibus conferunt.

Tandem neceſſarium quoq; eſt excrementa corporis, quibus abundant ſenes, modo debito evacuari, quod ſi non fiat, eſu fructuum emollientium prunorum, prunellorum, pomorum, paſſularum, ficuum &c. Laxari alvus & promoveri excretio debet, hisq; non proficientibus ſuppoſitorium, clyſter lenis, aut pauxillum mellis roſarum laxativi uſurpandum. Purgantia fortiora plurimum damni afferunt nec tantum vires jam debiles magis dejiciunt, ſed & corpus exſiccant, alvumq; magis obſtruunt.

ANTIQVORUM CIRCA DIÆTAM MONITA.

I.

Menſæ ne ſint æquales, cœna brevior & frugalis.

II.

Inter unam & alteram menſam nullus cibus aut potus ingeratur.

III. Mollio-

III.

Molliores cibi ac liqvidi durioribus præmittantur.

IV.

In eadem menſa vitetur varietas ciborum, quæ mater morborum.

V.

Si quid nimiâ mensâ peccatum eſt, ſeqventis menſæ frugalitate corrigatur.

VI.

Semel in ſeptimanâ una menſa omittatur, cum ſcilicet natura videbitur minus indigere cibo.

VII.

Cibus non deglutiatur, qvin prius in ore probè maſticetur.

VIII.

Nullus ſumatur cibus, niſi priore concocto, ad quod octo circiter horæ in imbecilli ventriculo reqviruntur.

IX.

Ea ſit cibi & potûs menſura, quam uſus docet commodè ac ſine labore concoqvi poſſe.

X.

Cùm licet, per pedes ſemel quotidiè corpus incaleſcat, & hoc ante cibum.

XI.

Animi affectus prudentiæ freno inhibeantur.

XII.

Somnus octo horas non excedat, nec ſeptem ſit brevior, vitetur diurnus.

XIII.

Motus, cibus, potus, Venus, omnia ſint mediocria.

XIV.

Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, nec impigrum eſſe ad labores.



A01 1460891

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D.11.

Google



Digitized by Google